



SPECVLVM PECCATORVM ASPIRANTIVM AD SOLIDAM VITÆ EMENDATIONEM,

siue,

F. Thomas Becquet Ordinis S. P. Aug: Conv: Diesthemiensis

ADMIRANDA S. AVGVSTINI CONVERSIO, HISTORICA EIVSDEM NARRATIONE, DISCVRSIBVS MORALIBVS, ET EMBLEMATIS ADORNATA.

1741

Cum indice Concionum per quatuor Octauas eiusdem Diui, et Dominicos dies .

Auctore P. F. Io. MANTELIO, S. Th. L. Ordinis Eremit. S. Augustini .

Petrus de Iode fecit. *E. Quellien. Delin:*

ANTVERPIÆ apud HENRICVM AERTSSENS *cum Priuilegio anno 1637.*

PERILLVSTRI
ET REVERENDISSIMO

DOMINO DOM. CORNELIO IANSSENIO,

VII. Iprensium Episcopo,
se suaque

L. M. D. C.

F. IO. MANTELIVS AVGVSTINIANVS.

PRÆFATIO
AD LECTOREM,
DE TRIVM LIBRORVM
ARGVMENTO.

ECce tibi, beneuole Lector, hominis peccatoris, ad Deum redeuntis ideam, ſub Speculo, ſiue exemplo, pœnitentis AVGVSTINI: raram quidem & admirabilem, ſi prototypon ſpectes, ſed non interim qualem velim, dum ſingula conſidero. Nam ſi pro rei maieſtate hęc deſcribenda forent; aliud profectò ingenium, aliud lumen, aliud orationis genus poſtularent. Quapropter optaui frequenter, qui acumine præſtantiore, & largâ magis eruditionis ſupellectile inſtructus, pleniùs elegantiuſque hoc argumentum tractaret. Sed, optantibus potiſſimùm, ruit hora: atque ſi mors præoccupet, nullus operæ noſtræ vſus eſt. Sum ergo in ea ſententia, vt generoſum putem, vires experiri: atque, ſi non poſſis ad faſtigium a-

ſcendere, laudi tamen ducas in medio conſiſtere. Iecimus ea propter aleam : & quod magni aliquot viri, in Dauide, Paulo, Maria Ægyptiaca, alijſque ſumma cum nominis ſui celebritate, nec minore legentium fructu præſtiterunt, id in delineanda conuerſi AVGVSTINI imagine, conati ſumus. Quo quidem veluti nihil extitit ſanctitate & eruditione illuſtrius; ita plenos perditi adoleſcentis numeros impleuit: permittente fortaſſis ideo Deo, vt tanto euidentiùs toti mundo innoteſceret, quàm miſer & periculoſus ſit hominis flagitioſi ſtatus, quantaque difficultate & labore eluctandum ſit ex hoc profundo. Quidquid igitur ſolet eſſe fraudi, & quibus gradibus, vt AVGVSTINVS ait, peccator deſcendit ad ima inferni, libro primo expedimus: deinde conditionem peccantium cum ſtatu damnatorum conferimus, & oſtendimus mala quæ peccata conſequi ſolent, petitâ vbique tantummodò ex ipſo AVGVSTINO materiâ, vt quibus viſum fuit fruſtrà aliunde aliquid mutuari, cùm huic viro nihil defuerit aut experientiæ ad exemplum,

plum, aut ingenij ad inueſtigationem. Interſeruimus ex occaſione, documenta moralia ad vſum Concionatorum, & ad narrationis hiſtoricæ telam multa adtexuimus, tamquam lacinias operi: imò & in eorum gratiam, dedimus etiam liberali delectationi Emblemata: quæ licet mutæ ſint imagines; tamen aliquid altius loquuntur, nec pondere ſuo carent, tametſi leuia appareant, vt nihil dicamus de ſubſidio quod memoriæ præſtare poſſunt.

Toto libro ſecundo difficultates, quæ conuerſionem peccatoris vel ſufflaminant, vel impediunt, accuratiùs expenduntur: deinde media, quibus vtitur diuina benignitas in emolliendis cordibus hominum flagitioſorum. Ea hîc tantùm, quæ ab AVGVSTINO didici, ſcribo; & quæ dico, non dico noua. Placuerunt ad hoc præ reliquis libri Confeſſionum, quòd nihil operum eius, aut frequentiùs, aut vtiliùs teri poſſit. Iſthic patebit, ſi vſpiam, quantæ molis ſit annoſum peccatorem refingere, aut quatriduano vitam inſpirare. Fatigari certè videtur hac in re, ipſa Dei infinita virtus: ſudat

verò,

verò, & ad ſanguinem vſque, humana imbecillitas.

Libro tertio digitum tantummodò intingimus in illa bona, quæ ex animo pœnitentem, & feriò conuerſum excipiunt. Relictæ ſunt ibi de induſtria, non tantùm ariſtæ aliquot ad ſpicilegium; ſed manipuli & faſces ad meſſem. Tollat, qui voluerit. Mihi ſufficit, ſi hoc ſcriptionis ordine & diſpoſitione, venerabilibus verbi Dei præconibus, tum aliàs, tum maximè pro ferijs S. AVGVSTINI, adiumento fuero,

Horat lib 1. Serm. ſat. 10.

—— Quibus, hæc ſint qualiacumque,
Arridere velim, doliturus ſi placeant ſpe
Deteriùs noſtrâ.

Stilus erit fortaſſe diſcolor, pro diuerſitate materiæ, quique non aliter ac aqua referet fundum ſuum quem interlabitur; ſed quem planum maluimus eſſe & publicum, quàm ſuperbè aut importunè ampullantem. Tu interim, bone Lector, fruere & vale.

SYLLA-

SYLLABVS CAPITVM.

LIBER PRIMVS,

CAPVT PRIMVM.

CAPVT SECVNDVM.

CAPVT TERTIVM.

CAPVT QVARTVM.

CAPVT QVINTVM.

CAPVT SEXTVM.

CAPVT SEPTIMVM.

LIBER SECVNDVS,

CAPVT PRIMVM.

§ II.

CAPVT SECVNDVM.

CAPVT TERTIVM.

CAPVT QVARTVM.

CAPVT QVINTVM.

CAPVT SEXTVM.

CAPVT SEPTIMVM.

CAPVT OCTAVVM.

CAPVT NONVM.

CAPVT DECIMVM.

CAPVT VNDECIMVM.

LIBER TERTIVS,

CAPVT PRIMVM.

CAPVT SECVNDVM.

CAPVT TERTIVM.

CAPVT QVARTVM.

F. MICHAELIS HOYERI AVGVSTINIANI

CARMEN ΣΥΓΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ

AD AVCTOREM,

cùm S. Theol. laureâ insigniretur, atque iam tum statuisset præsens opus euulgare.

*M*ANTELI, *quem rara leuat super æthera virtus,*
Ante fores pridem stantes amplectere lauros,
Et meritis da vela tuis; exordia famæ
Sunt hæc prima tuæ: posthàc, cælo auspice, cernes
Et titulos alios, aliasque in vertice frondes.
Assuesce his, palmisque volens prælude futuris.
Te Regum Bruxella parens, te Scaldis, acutis
Auribus, Hyblæo pascentem nectare mentes
Innumeras hominum noscit, cùm plena theatri
Frena regis, pendetque tuo constanter ab ore
Examen sine fine virûm, quos copia torrens,
Et dulci vox mixta fauo, velut Attica Musa,
Detinet: vnde parans altis iter arduus astris,
Illimes animas ad puluinaria Diuûm
Vsque leuas, replens pulchris supera atria stellis.
Hoc est, MAGNE PATER, *totum se impendere mundo,*
Se supra sortes hominum decus addere cælo.

An-

An dicam, vt ſacræ tua mens Permeſſidos hauſtus,
Vt Dirces vacuarit aquas? Quos Suada lepôres,
Quod tibi Pieriæ nectar tribuêre Camœnæ?
Quale tuis Charites lac ingeſsêre labellis?
An longâ referam ſudatos arte libellos,
Siue animi SPECVLVM *ſcelerum ſub mole gementis,*
*(*AVGVSTINE PATER *primæ ſub flore iuuentæ*
Qualis eras) & ſe cælo credentis? an illos,
Queîs commiſſa tuæ torrens opulentia linguæ,
Nulla dies venturo vmquam quos eximet æuo?
Hæc ego non tenui celebrarem pectore, Muſis
Nî ſcirem maiora meis; quæ carmine ſi quis
Enumerare velit, ſimiles tibi quærere chordas,
Æqua tuis debet plectris percurrere plectra.
Macte animo, VIR MAGNE, *Iouis tibi filia quando*
Ipſa ſuas oleas, vigilatæ præmia noctis,
Ipſa ſuas tibi dat rupes Parnaſſia lauros.
Tam celſis aſſurge bonis, & ouantibus aſtris,
Extento nomen molire perennius æuo.

CAPVT PRIMVM.

§ 1. *Deprauata voluntas, quam ab Adamo hereditamus, initium* AVGVSTINO *fuit ad viam perditionis.*

THEM. CONCION.

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Rom. 7.

PRima ratio peccandi in AVGVSTINO, ceterisque hominibus, est deprauata voluntas, quæ non minùs in malum ruit, quàm sphærica corpora maximo impetu proiecta in præceps, non eunt, sed feruntur. Hæc autem labes, & totius mali origo hereditate nobis obtigit à primo humani generis parente; estque eadem vt appendix culpæ præteritæ, & eiusdem pœna residua. Adamus quidem ab omnipotente Deo in tanta gratiarum affluentia creatus erat, vt omnia quæ vellet bona & meritoria, suapte tantùm non naturâ exequeretur, nullamque in membris luctam, nullam in creaturis rebellionem sentiret. Vt enim Bernardus ait: Tale inuenit homo inferius suum, qualem se exhibuit superiori. Quinimò ipse rerum Conditor, omnigena animantia ad eum adduxit, vt pro summa ei data sapientia, nomina ijs imponeret, tamquam futurus vniuersorum dominus & moderator. Quia tamen ex Adama, (vnde illi nomen Adæ) id est, rubrâ terrâ, formatus erat, non ex nigrâ, quæ omnium optima censetur, quia & imbrem & siccitatem ferre potest, quod non potest rubra; in illo felicitatis apice diutiùs consistere non valuit, factaque est illi tam multiplex & abundans gratia, occasio ruinæ. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis.* Audire enim maluit vxorem, quàm Deum, illiusque illecebras huius legibus præferre: ideoq; nec bruta animalia, nec ani-

Dominica XII. post Pentec.

Serm. 2. de omnibus SS.

Dionys. Vticensis lib. 2. cap. 8.

Psalm. 48.

mæ paſſiones (mera tamen ſeruicia mancipiaque) dominæ rationi obedire voluerunt, meliorque pars deterioris ſuperbam ferè dominationem perpeſſa eſt. Armata eſt deinceps (vti Bernardus pergit) creatura ad vlciſcendam ſui Creatoris iniuriam; & ideo nouit anima illius, quæ rebellem inuenerat carnem ſuam, ſe quoque minùs, quàm oporteat, ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubiectam. Neque interim intra ſolum Adamum, indomitum hoc malum ſtetit, aſt

Vnius ob noxam pœnas ſtirps tota rependit,

vnâque veluti buccellâ, totius poſteritatis patrimonium abliguriuit: ſic vt ſuâpte naturâ homo, ad bonum quidem tardus ſegniſque, ad malum verò ab adoleſcentia ſua valdè propenſus exiſtat. *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Quemadmodum enim humida materia à natura habet, vt ignem, qui calidus & ſiccus eſt, tamquam ſibi aduerſantem refugiat; ita homo, non quidem à naturæ ſuæ conditione, ſed à peccato naturam deprauante habet, quòd ægrè ad virtutis ſtudium accendatur & aſcẽdat, ad humida verò & grauia peccati ſemper declinet. Quòd & Poëta Ethnicus videtur intellexiſſe, cùm dicit:

Gen. 8.

O curuæ in terras animæ, ac cæleſtium inanes!

Etenim nec fluuiorum aduerſus impetus aſcendentia nauigia tantopere remoratur, quantum peccati originalis pondus mentem ad cæleſtia aſſurgere conantem deprimit. Dixeris pedicam hoc illius eſſe, quâ humi detenta ſurſum euolare non poſſit, aut, vt Gregorius Nazianz. ait, Echineïda ſurſum remigantis animæ,

In carm. ad virgines.

Quæ velut iniectâ properantem compede puppem
Detinet, ac tantam cogit ſubſiſtere molem.

Nempe, vt veteres dixerunt, Ate per omnium hominum capita graditur: non ob aliud ſanè, quàm quòd afflati ipſius veneno omnium hominum animi, ad mala & noxia ſibi perpetranda ſint procliues, ipſaque huc omnium vires & facultates inclinet. Eſt enim Ate, diabolus: quæ ideo fingitur

tur filia Iouis, siue vetusta, siue natu grandior, quia Lucifer prior est & antiquior humanâ mente quam vexat, non tantùm anteà productus, sed cœlo etiam pulsus, & damnatus exilio sempiterno, quàm humanum genus crearetur. Cùm grauitate quadam suâ, inquit Gregorius Nyssenus, deorsum vitia vergant; idcirco frequentiùs id quod contrarium virtuti est, accidit. Multò citiùs enim princeps animæ facultas, bruto naturæ pondere impulsa deprimitur; quàm, quod graue ac terrenum est, vnà cum mente in altum subleuetur. Siquidem affectus nostri vitiosi, ad imperium rationis & voluntatis comparati se habent (vt Aristoteles ait) velut membra paralytica, ad voluntatē hominis ea mouere cupientis; sed quæ is mouere non potest, vel quantum, vel quomodo, vel quando vult. Nam sicut eiusmodi mēbra, si ad dexteram mouere volueris, contrà in sinistram feruntur: sic quoq; in anima contingit: in contrarias enim partes, incontinentium appetitiones feruntur. Sed in corporibus quidē, quod præter voluntatem fertur, videmus: fortasse autem nihilominùs esse & in anima aliquid præter rationem existimandum est, quod ei aduersetur & resistat. Vbi notādum est, quòd Aristoteles huic suo dogmati addat particulam dubitandi *fortasse*, veluti si nondum illi satis ea res explorata foret: at verò Aristotele doctior Apostolus, sine vlla hæsitatione clarè asserit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.*

De hom. opific. cap. 19.

Lib. 1. Ethic. in fine.

Rom. 7.

Eamdem rem S. P. AVGVSTINVS Emblemate declarat libr. 2. Confess. cap. 3. vbi hanc voluntatis peruersitatem, siue corruptionem, ingeniosè confert cum temeto immodicè hausto: asseritque se bibisse de inuisibili peruersæ atque inclinatæ in ima voluntatis vino. Nam quomodo, inquit Hieronymus, vinum contra potantem facit, & postquam surrexit, neque pes, neque mens suum officium tenet, omnisque lætitia, & mentis exhilaratio, vertitur in ruinam: ita Adamum, totamque eius posteritatem, esus vetiti pomi in exitialem omnium bonorum iacturam compulit.

De vino inuisibili peruersæ atque inclinatæ in ima voluntatis.
Lib. 2. Confeſſ. cap. 3.



Ad lapſum prona eſt, vitioq́ addicta voluntas:
Cùm ſemel eſt Adæ crimine facta nocens:
Non ſecùs atque ægrè titubantes ebrius artus
Suſtinet, immodico membra grauante mero.

§. II. *Quo hæc deprauatæ voluntatis pronitas maior, eo animosiùs illi obuiandum est.*

QVæ quidem non eo fine dixi, vt AVGVSTINVM aut quempiam alium, si in varia peccata inciderint, culpâ liberare velim; sed vt tanto clarius euadat, quàm strenuè atque continenter aduersus hereditarium hoc malum depugnandum sit: adeoque non esse de vita rectè, & ex præscripto rationis instituenda desperandum, vt hinc potiùs fortiores sumendi sint animi, quòd homo, tot præsidijs destitutus, cereusque in vitia, vnius tamen diuinæ adiutorio gratiæ subnixus, grauiores illos concupiscẽtiæ motus compescere, & ad deperditam integritatem reassurgere possit, iuxta illud Apostoli: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Meruerat, fateor, corrupta hominis natura, & ad malum semper procliuis, vt ipsi malo cui inhiabat, æterno vinculo innecteretur: quod sanè Dei iustitia effecisset, (quemadmodum exemplo horrendo in Lucifero declarauit) nisi immensa ipsius bonitas & clementia intercessisset; ipseque Dei Filius humanæ factus consors naturæ, nobis & gratiam promeruisset, & pro illa nos assiduò orare docuisset: *Et ne nos inducas in tentationem*: id est, Ne ratio, neue mens, sublimior pars nostra, ita firmiter, & veluti nexu adamantino, carnis corruptelæ adstringatur, vt ei non audeat repugnare; sed instar pedissequæ in sententiam eius descendat. Quod breuiùs versu Lipsiano explico:

Dominica xv. post Pentecost.

Philip. 4.

Annue ne pariter cum corpore mens brutescat.

Etenim si animus non præsumat de se, sed cõfortetur à Verbo, poterit dominari sui, vt non dominetur ei omnis iniquitas: ita, inquam, Verbo innixus, & indutus virtute ex alto, nullâ vi, nullâ fraude, nulla illecebrâ poterit vel stans deijci, vel subijci. Tanta enim diuinę misericordię est abundantia, vt quæ ad iram & indignationem alios prouocare soleat, Deum ad misericordiam & opem ferendam flectant, &

Bernard. serm. 85. in Cant.

quemadmodum pater aut medicus, quo magis maledictis & probris à phrenetico filio vapulat, eo magis dolet, eiusque miseretur, quia videlicet euidentiùs morbi vis apparet,
Psalm. 11. ita de se Deus ait: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam.* Christus etiam aliquando obscurè & in parabolis locutus est, dixitque ideo se ita loqui, vt vi-
Luc. 8. dentes non videant, & audientes non intelligant: non quòd absconditam ab auditoribus vellet veritatem, quam cupiebat omnibus vel maximè manifestam; sed vt hoc pacto tepidos & oscitantes Iudæorum animos pungeret & excitaret, hacque molestia desiderium in eis accenderet, ardor verò desiderij obstantes difficultates laboremque perfringeret, vellentque tandem studiosiùs de aduentu Messiæ inquirere, cuius præsentiam non poterant sine dispendio æternæ salutis ignorare. Quæ enim omnibus obuia & facilia, licet sæpè magni momenti sint, otiosas tamen, & nauseantes animas nec excitant, nec accendunt. Id indicat D. Prosper in epigram.

De lect. S. Script.

Gratior est fructus quem spes productior edit:
Vltrò obiectorum vilius est pretium.

An non huc collimauit magnum illud Medicorum decus Hippocrates, dum Aphorismos suos ita auspicatur: Ars longa, vita breuis? Non enim deterritos à studio medicinæ discipulos volebat, sed alacres magis, ideoque voluit hoc illis vice stimuli esse, quòd ars medica tantis difficultatibus implicetur. Namque vt Hesiodus canit:

Sudorem ante locum virtutis Dî posuerunt.

Ideoque velut columnam, quæ recta stat, impositum pondus magis firmat; ita altas Christianasque mentes decet, non cedere huic deprauatæ naturæ, sed contrà niti potiùs, atque illam conuertere in exercitium virtutum, & commendationem victoriæ. Malo nodo malus adhibendus est cuneus. Etiamsi ille internus & domesticus hostis arcem
Luc. 14. cordis nostri oppugnaturus cum viginti millibus aduenerit,

rit, audacter illi cum decem millibus occurrendum est: facilius namque est propria defendere, quàm inuadere aliena. Quin imò ipse hostis prouocandus, & vrgendus est. Contra affectus, inquit Seneca, non subtilitate pugnandum est, nec minutis vulneribus, sed incursu auertenda acies. Si quis tentationum vincendarum labores libenter suscipiat, promptoque animo ad eas accedat, haud magnam sanè vim aduersus eum habituræ sunt; at si pedem referat, ab ijsque se remoueat, maiores omnino ac vehementiores videbuntur. Ecce tibi congruam ex Dione Chrysost. similitudinem. Hoc porro, inquit, etiam in igne contingere videmus: etenim si magno cum impetu in eum ascenderis, protinus extingues; si autem timidè & ignauè, vehementer teipsum exures. Nec longè hinc abit eloquentiæ Pater: Vt onera, inquit, contentis corporibus faciliùs feruntur, remissis opprimunt: simillimè animus intensione suâ pressum depellit omnem ponderum, remissione autem sic vrgetur, vt se nequeat attollere. Quàm regiè Dauid de se loquebatur! *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant.* quàm Christianè Paulus! *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius?* & quæ sequuntur vsque ad finem capitis. Nempe, quemadmodum vita piscis manifestè dignoscitur, si natat contra fluminis ictum; qui verò aqua labente ducitur, tantum-non mortuus iudicatur: ita illum hominem gratiæ vitâ viuere existima, qui deorsum omnia secum rapientibus passionibus obnititur, nec cessat contra illas conari, sed vel ipsis reluctantibus viam in cęlũ molitur.

Lib. de breuit. vitæ c.10

Cicero lib. 2 Tusc. quæst.

Psalm. 17.

Rom. 8.

Nec verò Deus suos athletas sic decertantes otiosus spectat: (quamuis hoc solo maximè debeant animari, quòd in oculis summi Imperatoris, bellum cum hoste ipsius infenso gerant) sed vires suggerit, animosque labantes restaurat. *Ecce*, inquit fortissimus ille Protomartyr, *video cœlos apertos, & Iesum stantem* quasi in acie, *à dextris virtutis Dei,*

Act. 7.

Dei, paratumque ad ferendum suppetias. Adde, Deum tantò id facere libentiùs, quòd non parum ad gloriam nominis eius faciat, mundi huius & tenebrarum harum principem, tot conflictibus exercitatum, laboribus vigiliisque infatigabilem, à tam exiguo & abiecto antagonista, qualis

Ezech. 20. est homo, superari. *In terra*, inquit ipse Deus, *in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias vestras: in odorem suauitatis suscipiam vos, & sanctificabor in vobis in oculis nationum.* Id est, vt Prado explicat, vestra viuendi ratio, & institutum plus quàm humanum, vestræ contra tentationes & deprauatam naturam victoriæ, meam bonitatem & sanctitatem longiùs sonantiusque prædicabunt, quàm egregia illa portenta Ægypti, transitusque populi mei per maris rubri vtrimque stupentes vndas. Non poterat Da-

1. Reg. 17. uid tectus Saulis casside, loricâque circumdatus incedere; sed cæli ope, & sua virtute satis armatus, contra Goliathum in arenam descendit, eo illustrior fortiorque, quòd vel sic armatum, & vndique ferro munitum prostrauerit.

Dominica v. post Epiphaniam. Neque etiam ideo magis desperandum est, quòd hanc procliuitatem, & tantùm-non necessitatem quamdam, augeat diaboli inuidia, qui toto spiritu fertur ad perdendum humanum genus. Ille enim audentibus & imperterritis vltrò cedit, fugientibus & timidis instat. Prius testatur Ia-

Iac 4. cobus in Canonica: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*: po-

1. Epist. 5. sterius Petrus, *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Quod cla-

Lib. 4. quæst. nat. riùs demonstro ex natura crocodili, de quo Seneca: Fugax animal, audacissimum timido. Ecce tibi naturam diaboli. Est quidem *leo rugiens*, dum ipse primùm bellum mouet, & imbellem aduersarium nanciscitur: tunc enim instar crocodili, audacissimus est timido, quæritque quem deuoret: at verò si diuinâ fretus gratiâ, illi viriliter (vt Iacobus monet) restiteris, inuenies nihil illo fugacius, nihil imbecillius. Ad quem modum, iam ante nos, loca eadem

dem ſacræ Scripturæ compoſuit oppoſuitque Bernardus, qui allegatis D. Petri verbis ſubiungit: Rugire poteſt, ferire non poteſt. Rugiat quantum vult, tantùm-non fugiat ouis Chriſti. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat? Non ſimus beſtiæ, vt nos proſternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent qui talia curioſiùs veſtigauerunt, ad rugitum leonis nullam beſtiam ſtare poſſe, ne eam quidem quæ aduerſus ictum eius totâ animoſitate repugnat, & plerumque ſuperat ferientem, quæ non ſuſtinet rugientem. Verè beſtia eſt, verè rationis expers, qui tam puſillanimis eſt, vt ſolo timore cedat, qui ſolâ futuri exaggeratione laboris victus ante conflictum non telo, ſed tubâ proſternitur. *Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis*, ait ſtrenuus ille dux, qui leonis huius nouerat vanum eſſe rugitum. Leones hoſce infernales nec ille metuebat, de quo Eccleſiaſticus, *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis.* Apprehendebat enim mentum eorum, id eſt magno & excelſo animo eos aggrediebatur, nec reuertebatur, vti iam diximus, donec deficerēt. Etenim venit Chriſtus, ait S. P. AVGVSTINVS, & alligauit diabolum. Sed dicet aliquis, Si alligatus eſt, quomodo adhuc tantum præualet? Verum eſt, fratres chariſſimi, quia multum præualet, ſed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim, tamquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum, qui ſe illi mortiferâ ſecuritate coniunxerit. Iam videte, fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates ſæculi noli coniungere, & ille ad te non præſumet accedere. Latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet; nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit. Et D. Gregorius de illo ait, Antiquus hoſtis, ſicut contra conſentientes fortis eſt; ita contra reſiſtentes debilis: ſi enim eius ſuggeſtionibus aſſen-

Serm. 13. in Pſalm. 90.

Hebr. 12.

Eccli. 47.

Serm. 197. de tempore poſt medium.

Lib. 5. Moral cap 17. poſt. medium.

ſus præbetur, quaſi leo tolerari nequaquam poteſt: ſi autẽ reſiſtitur, quaſi formica atteritur. aliis ergo leo eſt, aliis formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant; ſpirituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant. Eſt & alia figura in immani illo piſce, qui Tobiam iu-
Tob. 6. niorem perterruit. *Apprehende*, inquiebat Angelus, *branchiam eius, & trahe eum ad te.* Strepitum quidem magnũ edit, ſed in aquis ſuis hæret, illarũ limites non egreditur: latrare, vlulare, ſpumas voluere poteſt; lædere nõ poteſt. Veriſſi-
Lib. 2. Moral. c. 6. aliàs 10. mè Gregorius, Sciendum eſt, inquit, quia ſatanæ voluntas ſemper iniqua eſt; ſed numquam poteſtas iniuſta, quia à ſeipſo voluntatem habet, ſed à Deo poteſtatem: quod enim ipſe iniquè facere appetit, hoc Deus fieri non niſi iuſtè permittit: formidari ergo non debet, nec honorari, qui nihil, niſi permiſſus, valet. Incredibili ſtudio Nero Imp. ardebat addiſcendi magicas prẹſtigias; numquam tamen permiſit Deus, licet magos haberet vndique ad hoc conquiſitos, & obſcænæ iſtius artis ſcientiſſimos, vt Plinius teſtatur,
Plinius lib. 39. cap. 2. ne tanti nimirum tyranni ſæuitia peſſimorum ſpirituum adminiculo iuuaretur.

Quanta dæmonis contra humanum genus ſit imbecillitas, vel ex hoc ſolo patet, quòd ad obſidendum hominem, non vnus, non decem, ſed integra ſe legio accingat. Quid? quòd integer Pharaonis infernalis exercitus aquis ſuffocatur, ſolâ oſtenſione virgæ Moſaicæ, ſolo ſigno ſalu-
Lib. 1. in Cant tiferæ crucis. Magnum, inquit Rupertus, ſpectaculum reſpicienti inde currus Pharaonis, hinc equitatum Dei: currus namque Pharaonis, valdè multi, ferro armati: equitatus
Exod. 14. autem Dei, virga vna fuit, virga quam Moſes manu tenebat: hæc contra ſublimes currus Pharaonis taliter equitauit, hoc modo pugnauit. Vnde ſponſus dilectam ſuam animans, vir-
Cant. 1. tutemque dilaudans, ait, *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſsimilaui te, amica mea*, id eſt, tam terribilẽ, licet inſtar virgæ flexilis ſis & imbecilla, te reddidi diabolo, quàm equitatus meus,

meus, virga ſcilicet Moſaica, curribus Ægyptiis formidabilis exſtitit. Illuſtre exemplum eſt in Thoma à Kempis: ille quadam vice, cùm dæmon teterrimâ eum horrendaque formâ circumſtetiſſet, & lecto appropinquare conaretur, intremuit primùm ad larualem intuitum: ſed, cùm inſpiratione diuinâ, Salutationem Angelicam tremulâ voce (vt timidi ſolent) recitaret, eoque perueniſſet: *Ventris tui Ieſus Chriſtus*; vidit dæmonem quaſi horrendo quodam tonitru pauefactum, quàm citiſſimè fugam arripere, vtpote qui vim vel vnius ſalutiferi nominis iſtius perferre non poſſit. Ad hanc pugnam nos hortatur Ioannes Climachus: Cum gaudio, & ſine metu ad egregium illud certamen accingamur, inimicos noſtros nullâ ratione formidantes: intuentur enim illi, etſi non videantur à nobis, animarum noſtrarum vultus; & ſi viderint illos formidine contrahi, vel immutari, acerbiùs cõtra nos armantur. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus*, &c. *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure*. Pro *timidis*, græcè eſt δειλοῖς, ignauis, ſiue labori & tentationibus vltrò cedentibus. alioquin timor, naturalis paſſio, non eſt peccatum dignum pari pœnâ puniri cum homicidio, fornicatione, & aliis grauiſſimis ſceleribus. *Ne* ergo, inquit Apoſtolus, *tentatio vos apprehendat*, id eſt, perterreat, & timore veluti quibuſdam vinculis conſtrictos teneat. Ne nimis præproperâ fugâ vos vltrò in laqueos & retia, vt cerui ſolent, induatis. Pugnandum, reſiſtendum illi eſt, cuius ſuggeſtionibus niſi præbeatur aſſenſus, velut formica conteritur.

In vita eius.

In ſcala ſpirit. gradu 1.

Apoc. 21.

1. Cor. 10.

§. III. *Quibus remediis deprauatæ naturæ mederi poſsis.*

EN tibi præſtantiſſimam remediorum quadrigam, quâ ſi vti volueris, perire non poteris, quin potiùs quaſi in laureato curru, tandem prauarum cupiditatum victor, triumphabis.

1. Frequens Communio.

Dominica II. post. Pentec. Primum igitur & efficacissimum est frequens sumptio Corporis Christi, quâ rursus diuinitati illius quasi inserimur, qui per originale peccatum ab ipso Deo distracti auulsique fueramus. Quemadmodũ enim probè intelligimus ab esu nos læsos, ita subducamus rationem de naturalibus experimentis, ab esu rursum remedium petendum; non secùs atque ij, qui à scorpionibus icti sunt, ab ijsdem sibi sumunt antidotum. Hanc intimam coniunctionem euidenti exemplo copulæ coniugalis, quâ duo fiunt quasi vna caro, declarat Apostolus, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est in Christo & in Ecclesia*, id est, inter Christum & Ecclesiam: per sumptionẽ enim Eucharistiæ, talis fit coniunctio & vnio, vt homo quodammodo in substantiam ipsius Dei conuertatur, ipseque Deus hominis quasi reddatur membrum. Vnde Sancti Patres, atque in primis Cyrillus ait, Catech. mystag. 4. nos fieri concorporeos & consanguineos Christi. Et verè tum fit, quod diabolus falsò olim primis parentibus pollicebatur, Gen. 3. *Comedite, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum:* Rupertus lib. 6. in Ioan. quia in sumptione huius Sacramenti, nequissimi dæmonis fraudem Deus in verum effectum conuertit. Et quam inuestigabimus aliam rationem, cur Euangelista Lucas dicat, Luc. 22. Christum auulsum esse à discipulis, cùm oratum secederet, in dura illa & vltima nocte, nisi quia ipsis adeò intimè coniunctus & coagmentatus fuerat super mensa in distributione Corporis sui, vt non potuerit ab illis distrahi, nisi quemadmodum ramus auellitur à suo trunco? Aliàs enim, priusquam hæc sacratissima cõmunicatio esset instituta, dicitur Christus discipulos suos Marc. 6. coëgisse vt nauem cõscenderent, atque præcederent trans fretum ad Bethsaidã. Videbatur adhuc illis præsens, licet toto mari distaret, quia necdum Eucharistiam sumpserant: at, vbi illo cælesti cibo semel refecti fuerunt, licet Christus tantũ quantum est iactus lapidis, à discipulis abijsset, dicebatur ab illis *auulsus*. Nec mirum, quia manducatio & potus est

quasi

quasi quædam incorporatio, subiectis obsequiis, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis. quæ omnia non nisi difficulter ab inuicem separari possunt. Dico ergo, & quidem asseueranter, non esse aliud donum excellentius, nec remedium efficacius, quo in pristinum innocentissimæ vitæ statum redeamus, corruptamque naturam restauremus, quàm sit hoc: in quo longè plura recipimus quàm perdidimus, & maius beneficium participamus quàm detrimentum sustinuimus. Cyprian. sermon. de cœna Dom.

Sicut autem peccatum primi parentis non tantùm nos à Deo separauit, sed exercitum nobis variarum tentationum instruxit, ablatis virtutum præsidiis; ita Eucharistia nos roborat & munit: atque reuerâ in mystica illa mensa exhibetur *omnis armatura fortium, mille clypei pendent ex ea.* Cant 4. Id experientiâ edoctus dicebat ille: Ergo si quis vestrûm non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, aut ceterorum eiusmodi; gratias agat corpori & sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. Sensum minuit in minutis, & in grauioribus peccatis impedit omnino consensum. Bern. serm. de cœna. Samson adamauit Dalilam, feminam alienigenam, ingratam, perfidam, quæ & sponso suo tandem mortem accersiuit: Filius verò Dei humanam naturam deperiit, illam assumpsit, illam multis beneficiis, licet immerentem, & sordibus peccatorum deturpatam, affecit; ac tandem illius causâ, ab ipsis hominibus captus, flagellatus, delusus, irrisus, atque in infamem crucem actus est. Samson hostibus suis Philisthæis ænigma proposuit, *De comedente exiuit cibus, & de forti dulcedo*, depositâ sponsione decem vestimentorum; interpretationem Iud. 14. verò amasiæ suæ, meretriciis illius blanditiis inescatus, detexit. At clementissimus Saluator noster non modò arcanum huius mysterii Eucharistici, *de forti exiuit dulcedo*, reuelauit; sed ita fruendum apposuit, iuxta illud Regis Solymæi, *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant* Psalm. 22.

me, vt & anima roboretur, & ei abundè vires ſuppeditentur contra vndequaque incurſantes tentationes, atque re
1.Reg. 2. ipſa experiamur: *Non eſt fortis ſicut Deus noſter*: &, *Noua bella*
Iud. 5. *elegit Deus, portas exterorum* (quod aliàs ſolebat miniſterio Angelico,) *ipſe ſubuertit*. Vbi in Vulgata editione legimus:
Pſalm. 77. *Panem Angelorum manducauit homo*; D. Hieronymus vertit, *Panem fortium*, qui ſcilicet comedentem fortem & imper-
Prouerb. 9. territum efficiat. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, miſcuit vinum, & poſuit menſam.* Sed quo fine? Vt animabus pijs accedat robur ad pugnam: eò enim vocamur; ad arcem & mœnia ciuitatis, quæ contra hoſtes defendenda ſunt. Narrat Iulius Frontinus, ducem quemdam Carthaginienſem hoc vſum aduerſus hoſtes ſtratagemate: vinum quod in caſtris habebat, infeciſſe ſucco mandragoræ, cuius vis veneno proxima eſt, & ſomnum cõciliat; atque leui commiſſo prælio fugam ſimulaſſe, caſtra reliquiſſe hoſtibus diripienda. Illi vt erant largioris potus auidi, ſtatim medicatum illud vinum exhauſerunt, altoque ſomno ſepulti ſunt. Tum verò dux inopinatus ſuperueniens, omnes trucidauit. Miſcet verò diuina Sapiẽtia nobis vinum, & ponit menſam, non quò prædæ hoſtibus ſimus, ſed vt illis terribiles, & quaſi leones ignem ſpirantes appareamus. Næ hinc plus virium depromimus, quàm Antæus cum Hercule decertans, à materno contactu, ſiue ipſa terra, cuius filius perhibebatur. A quo nõ abluſiſſe videtur S. P. Av-
Lib. 3. Confeſſ. cap. 6. GVSTINVS: At tu amor meus in quem deficio, vt fortis ſim. In te Deum meum decido, dum ſacra myſteria tua frequento, & à tactu corporis tui validus robuſtuſque euado, qui priùs adeò pronus ad lapſum eram.

Si olim ſola profeſſio Chriſtiani nominis, etiam imbecilles feminas, ad fortiſſima quæque tormenta animarit, vti
Lib. 5. hiſt. c. 1 narrat Euſebius Cæſarienſ. de Blandina, cui cùm alij omnes Chriſtiani timerent, ne tormentis eſſet ceſſura, & præ corporis teneritudine vix ad primæ confeſſionis tormenta ſufficeret;

ſufficeret; fuit tamen ipſa adeò hac profeſſione roborata vt poſteà edixerit ſuis, toties nouas corpori vires redditas, quoties vocem confeſſionis emitteret, *Chriſtiana ſum*; donec tandem carnifices, qui à prima luce vſque ad veſperam tormenta ſemper innouarant, ſe victos faterentur, ſtuperentq; quomodo ſpiritus in ea permaneret, cùm nihil iam in illa ex corpore per ſupplicia reſediſſet. Si ergo tantum vocalis confeſſio potuerit, quantum intima cum Chriſto vnio non animabit; vbi anima quaſi omni agendi iure exuta, totam belli molem, laudemque victoriæ in clementiſſimum Sponſum transfuſura eſt?

2. Propriæ imbecillitatis confeſſio.

Alterum eſt, vt hanc naturæ imbecillitatem, & prauos animi motus frequenter & libenter in intimo cordis tui cum gemitu & ſuſpirijs agnoſcas, atque teipſum valdè in conſpectu Diuinæ maieſtatis humilies. Pietate enim humili, ô Deus, reditur in te, & purgas nos à conſuetudine mala, & propitius es peccatis confitentium, & exaudis gemitus compeditorum, & ſoluis à vinculis quæ nobis fecimus. Proteſtare crebrò iam iam te ruiturum, niſi ille lapſantem fulciat. Dic cum Sponſa: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Morem apud Hebræos fuiſſe aiunt, vt ſponſa primâ nuptiarum nocte, ſponſum in cubiculum & thalamum defunctæ matris introduceret, ſi mater obiiſſet. alioquin mater ipſa filiam cum lacrymis introducebat. Mater noſtra, eſt ipſum nihil, ex quo ab omnipotenti plaſta conditi ſumus; niſi malis fateri cum Iobo te putredinis filium, & fratrem vermium. Atque tum Chriſtum ſponſum in thalamum genitricis adducimus, cùm noſtram imbecillitatem & miſeriam attentiùs conſiderantes, ipſius adiutorium imploramus, & pio mentis affectu ſummam illius excellentiam, miſericordiam, & omnipotentiam deprædicamus.

DOMINICA x. poſt Pentecoſt.

Lib. 3. Confeſſ. cap. 8.

Cant. 3.

Tob. 7. 8.

Iob 17.

De filijs Abrahæ, qui id in praxim redegerunt, dicebat
Gen.16. iam olim Deus: *Dabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris.* Ad quem Scripturæ locum interrogare aliquis posset, quamobrem Deus stellas cæli coniungat cum arena maris, quorum vtrumque res est ab altero, vti loco, ita proprietate & indole distincta? Nam si electi sint stellæ ob sanctitatis splendorem, & lumen boni exempli; quomodo arena sunt, quæ pedibus proteritur? Sed respondeo, arenæ quidem similes esse propter voluntariam abiectionem, dum consideratione suæ fragilitatis, diuinis se pedibus instar calcabilis materiæ substernunt: stellæ verò sunt propter splendorem emicantis vitæ, & lumen exempli. Concludo itaque cum S. Dorotheo, ad illa verba Christi: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris;* Ah! quomodo vnico verbo ostendit nobis radicem & caussam malorum omnium; medicinam item bonorum omnium? Aperuit quòd nos deiecit elatio, quodque saluari aliter non possimus, quàm per oppositum, quod est humilitas.

Doctrina 1. Matth. 11.

3. *Timor præsumendi, & suspecta securitas.*

Tertium, vt ne vel minimum de teipso præsumas, quamuis non semel victor. Neque enim hîc nostræ stat summa victoriæ, etiamsi semel, iterum, & pluries hostes in fugam verterimus; semper in acie standum est: certamen hoc nonnisi cum vita finitur. Quapropter hoc *bellum igneum* cogita, quale fortassis Romani cum Celtiberis gesserunt. Nam Græcanica & Asiana bella vnum ferè prælium dirimere solebat, rarò veniebatur ad alterum: ipsa prælia quoque vnico ferè constabant congressu & concursu copiarum: at verò in bello isto secùs accidit. Dimicationes enim plerumque nox dirimebat, viris neque animis cedere, neque corporum contentionem remittere volentibus: sed redeuntibus, & quasi actorum pœniteret, & emendare culpam vellent, pugnam redintegrantibus. Eiusmodi, ô bone

Prouerb. apud Suidã. Centur. 12. num. 42. ex editione Andr. Schotti.

bone miles Christi, bellum cogita: aut quale in sacra Scriptura memoratur inter domum Saul & domum Dauid; 2.Reg.3.
adeoque instanter cum hostibus, vsque dum nox huius ærumnosæ vitæ incubuerit, dimica. Nescio an elegantior comparatio inueniri queat, quàm si hominem dicas perpetuis tentationum procellis, velut aggerem quemdã, quem continui fluctus flagellant, obiectum esse. Quæ enim hora, quod momentum transit, in quo non feriamur importunis vndis prauarum cogitationum, quarum impetus à diabolo, tamquam ab oceano omnium malorum, in animos nostros, velut aggeres fluctibus obiectos, irrumpit? Cõmodè hîc occurrit S. P. AVGVSTINVS, nos ad id quod diximus adhortans: Natus es cum eo quod vincas. vince hostem In Psalm. 57
cum quo natus es: ad stadium huius vitæ cum illo venisti; congredere cum eo, qui tecum processit. Quantum vitæ est stadium, tantum & pugnæ. Nempe illud Hannibalis hîc vsurpandum, qui puluere inter ambulandum excitato dixit; Numquam Carthaginiensibus cum Romanis futuram pacem, nisi alterutro instar pulueris istius attrito populo. Ita nobis mortalibus & cinericeis pax nulla securitasque erit, nisi post cinerem & pulueres: hostis enim noster immortalis, & non interituræ substantiæ est. Non ignorabat hoc optimus ille senex, qui morti iam vicinus, mulieri apprehendenti manum, voce quâ poterat dicebat: Desiste mulier, adhuc igniculus in me viuit. Iam quippe animam agebat, necdum tamen securus hostium, in ipsa morte pugnæ meminerat. Quid enim, obsecro te, in hoc mundo nisi fecundam capitum hydram vides? si vnum aliquod demetis, aliud pullulat: instar asparagi, qui quoties rescinditur, lætior resurgit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, instat superbia, vinolentia inuitat. Atque tum etiam maximè time, si passiones inordinatæ se componere videantur: sæpè sæpiùs ideò subsidunt,

In vitis Patrum.

Cyprian. l. de mortal.

vt altiùs exſurgant: & quo plus receſſûs ſumunt, hoc vehementiores poſtea impetus edunt. Eóque ampliùs inuigila, quo maior ſe oſtentat malacia, certus numquam periturum nauclerum minùs extra metum eſſe, quàm dum iacent fluctus, & quodam quaſi ſomno ſopiti ſecuritatem promittunt. Infidi ſunt, & momento exſurgunt, atque inopinantem imparatumque mergunt. Concupiſcentiæ prauæ, dum ſilent, & quaſi ſepultæ iacent, extemplò expergiſcuntur, perimuntque tantò nocentiùs, quantò mentitâ pace deluſos vehementiùs inuadunt. Prudenter idcirco dicebat Macarius ſenior Ægyptius, eum qui diteſcit gratiâ, in multa debere humilitate & cordis contritione degere, ac ſe ipſum vt pauperem & nihil habentem arbitrari: quod habet, alienum eſſe, aliumque ei dediſſe, qui quando voluerit auferet illud. Audi Hieronymum quaſi nuper naufragio eiectum in littus, doctum nautam, timidâ nauigaturis voce denunciantem: Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur; magnos hic campus montes habet: intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antennæ figatur in frontibus; tranquillitas iſta, tempeſtas. Nam, vt ait Fulgentius, vitiorũ auctor dæmon, in eo quod non poteſt vincere vitiis ſuis, vincit virtutibus alienis; armis quibus eliditur, ſurgit; & virtute quâ deijcitur, deijcit; laudat, quâ ſe proſpicit ſuperari, virtutem, vt victus poſſit captiuare vincentem.

Epiſt. ad Heliodorum de laudibus vitæ ſolitariæ.

4. *Aſſidua mortificatio.*

Poſtremùm, numquã intermittenda inordinatarũ paſſionum mortificatio. Sicut enim currus & birotæ, in præcipiti aut decliui loco alligatâ ad rotam catenâ retinentur, & ſe ſiſtunt: ſic animus in vitia præceps & pendulus mortificationis funibus ſufflaminandus eſt. Hoc monet in primis Apoſtolus: *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quemadmodum ſi crebriùs arbori recidantur rami, trũcus

Rom. 8.

exare-

exarescit : ita si mortificationis securis continenter malis moribus adhibeatur, ipsa concupiscentia tandem flaccescit & emoritur. Nec etiam parui ducendum est, quantumuis paruum sit, quod sensuum siue interiorum, siue exteriorum, delectationi subtrahitur. Obambulat aliquis, inquit S. Dorotheus, & quidpiam conspicatus, persuadetur à cogitatione, vt id aduertat. At is cogitationi & non bonæ persuasioni repugnat, seque auertit. Rursum inuenit quis nugis & vanis rumoribus occupatos; persuadet vt se quoque turbæ immisceat, & verba pariter inserat : negat id se acturum, & auersus aliò propriam voluntatem abscondit. Item succurrit vlli vt coquum adeat, interrogetque quid paret obsonij; non adit, ac sic se cohibet. Cernit aliquid in culina; quis illud attulerit sollicitatur interrogare, comprimit appetitum & vocem, & nil percontatur. Sicque dum parua quæque præscindit; sensim quæcumque aduenientia præscindere consuescit, etiam summâ cum requie, nihil præter voluntatem suam, se sentit habere. Doctr.1.

Acquiesco denique in optimo D. P. AVGVSTINI consilio. Si vis, inquit, vincere, noli de te præsumere : sed illi assigna victoriæ gloriam, qui tibi donat vt victoriæ feras palmam. Vis vincere? caput priùs contere inimici, excludendo de corde tuo suggestiones diaboli. Vis vincere? manus tuæ inueniantur fortes in bono opere. Vis vincere? fige pedes, non nutent vestigia tua, frequentando spectacula, & deserendo Ecclesiam. Lib. de Catacl. cap. 2.

CAPVT SECVNDVM.

§. 1. *Dilatio baptiſmatis plurimùm* AVGVSTINO *obfuit.*

THEMA CONCION.

Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Eccli. 5.

QVemadmodum AVGVSTINO alter gradus ad diſſolutiſſimæ vitæ genus, fuit baptiſmatis dilatio; ita nos plerumque ad grauiſſima flagitia procraſtinatio reſipiſcentię compellit. Id enim perinde habet, ac ſi quis de lethaliter ſauciato diceret: Sine, vulneretur adhuc, necdum enim ſanatus eſt. Cùm tamen potiùs vulnera obliganda, adhibitiſque fomentis & emplaſtris curanda forent. Ecquænam hæc inſania! Repetitum vulnus adeò priorem dolorem non aufert, vt potiùs adaugeat, ac tandem intolerabilem reddat. Id ſe ita habere expertus eſt ipſe, cui cùm dilata eſſet mundatio, quaſi neceſſe eſſet vt adhuc ſordidaretur, ſi viueret. Preſſus enim quadam die ſtomachi dolore, repentè æſtuabat pænè moriturus. Tum verò in tantam viuendi flagitiosè licentiam prorupit, vt laxatis quaſi habenis, quiduis prauæ cupiditati indulgeret. Mox enim & furtiuis rebus delectari, hoc ſolùm quòd furtiuæ eſſent, libidinibus vacare, de flagitiis etiam non admiſſis gloriari, prauiſque de Deo & fide opinionibus adhærere; & qui ianuam Eccleſiæ ſubire neglexerat, nullum deinceps errandi libidineſque ſectandi finem modumúe fecit. Et præceps ibam, inquit S. Doctor, tantâ cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos iactantes flagitia ſua, & tanto glorianteſ magis, quanto magis turpes eſſent; & libebat facere,

1. Cõfeſſ. c. 11.

Ibid. l. 2, c. 3.

facere, non ſolùm libidine facti, verùm etiam laudis. Et paulò pòſt: Et vbi non ſupererat, quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe, quod non feceram: ne viderer abiectior, quo eram innocentior; & ne vilior haberer, quo eram caſtior. Ecce, cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno eius, tamquã in cinnamc   & vnguentis pretioſis. Et ſequenti capite: Ego furtum f e volui, & feci nullâ compulſus egeſtate, nec penuriâ; ſed faſtidio iuſtitiæ, & saginâ iniquitatis. Nam id furatus ſum, quod mihi abundabat, & multò melius. Nec eâ re volebam frui, quam furto appetebam; ſed ipſo furto, Lib. 1. cap. ii.
& peccato. Quanto ergo meliùs, & citò ſanarer, & id ageretur mecum, meorum, meâque diligentiâ, vt recepta ſalus animæ meæ, tutela eſſet tua, (loquitur S. Doctor Deo) qui dediſſes eam! Meliùs verè. Et hoc ſequenti Emblemate expreſſum vide.

Sine, vulneretur ampliùs, nondum enim ſanatus eſt.
Lib. 1. Confeſſ. cap. 11.



Baptiſmi ſacras genitor procraſtinat vndas,
Augeat vt ſordes ſordibus vſquè nouis.
Hinc animus primi vitiatus labe parentis
Fertur, quò miſerum cæca libido trahit.

Sed quàm non parui nominis & numeri homines hanc insaniam imitantur, qui se in flore ætatis, priusquam vel sacræ militiæ nomen donent, vel coniugalis affectus spatiis coërceantur, in effrenem libidinem sese profundunt, eiusque habent patronos, qui dicant: Sine illum, faciat quod vult, nondum enim vir est, nondum maritus, Sacerdos aut Religiosus: sine despumet feruorem ætatis. Et tamen in corpore vulnerato non dicimus: Sine, vulneretur ampliùs, necdum enim sanatus est. Quasi verò in Clericatu & Religione tentationes non sufficiant, vxoratis pericula & occasiones desint; ideoque vitiosi habitus sint augendi, auxilia diuinæ gratiæ imminuenda, materiaque tentationum quasi studio quærenda. Hinc sæpiùs contingit, vt in genere vitæ quod elegisti, miserè aut impiè viuas, aut perseuerare non possis. Abripiuntur tamen iusto Dei iudicio plurimi eiuscemodi adolescentes, nec ad honestum aliquem statum pertingunt; sed priùs vel eorum flagitia deteguntur, fiuntque infames, vel acerbâ morte intereunt. Non absimili exemplo, quo Archias Thebanorum tyrannus in mensa occisus est. Acceperat ille, inter cœnandum litteras, quibus coniurationis in caput suum, & coniuratorum omnium certior fiebat. Priusquam verò eas aperiret, & legeret, dicente tabellario de re seria scriptas esse: Seria, inquiens, in crastinū, litteras puluino subiecit, & neglexit, ipsumque securus conuiuium produxit; sed eâ ipsâ vesperâ ab irruentibus coniuratis occisus est, regnoque simul & vitâ spoliatus. Ita & isti in flore ætatis constituti, & quasi iugiter conuiuantes, litteras à fidis tabellarijs, id est admonitiones serias & graues à magistris, confessarijs concionatoribus accipiunt; sed, quia inter conuiuas, id est, adulatores & adolescentiæ deprauatores, versantur, quasi omnium securi, puluillo supponunt, pericula imminentia non attendunt, donec tandem inopinatò opprimantur. Et quamuis fortè mitior fortuna illos excipiat, viuantque, quotidie

Plutarch. lib. de Socrat. dæmonio.

tidie tamen ad peiora diffluuut. Ita Dauid adhuc recens ab adulterio, homicidium designauit: Iudæ Iscariotæ auaritiam proditio domini sui, proditionem desperatio consecuta est: dumque Synagoga infidelitate laborat, & Christum recusat agnoscere, in innocentis necem conspirauit.
Serm. 169. Furata est, inquit Chrysologus, Dominicam resurrectionem, quæ pretium militibus dedit, vt resurrectionis infoderet & occuleret veritatem. Hæc est quæ conquisiuit
Psal. 34. falsos testes, vt impleret illud: *Exsurgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.* Et reuerâ aliter non poterat tradere veritatis auctorem, quia semper sola impugnat falsitas veritatem. Sic ruit, sic per gradus cadit, qui de scalis labitur & corruit præceptorum. Nam si credidisset Iesum Deum, ad hoc ruinarum barathrum non venisset. Et hoc præcedenti Emblemate designatur, vbi lethali vulnere, id est peccato originis, confectus, adolescens moribundus in
Chrysol. serm. 168. cubitum procumbit. In vna enim oue, inquit idem Auctor, hoc est Adam, pastor bonus, pastor pius posuerat totum gregem generis humani: hanc inter amœna paradisi, hanc in regione vitalis pascuæ collocarat: sed illa vocem pastoris oblita, dum lupinis vlulatibus cedit, & caulas perdidit salutares, & tota lethalibus est sauciata vulneribus.

Atque vt clarius argumentum imaginis euadat, adstant primi humani generis non satores modò, verùm & corruptores. Adolescentem dirus Cupido nequiter inuadit, & quia viribus impar, ob acceptum sub malo vulnus, illitâ veneno sagittâ percutit, id est, ideo AVGVSTINO mille alia vulnera inflicta sunt peccatorum actualium, quia originali coinquinatus erat, illiusque vnicum remedium Baptismus differebatur.

§. II. *Quàm perniciosè resipiscentia à peccatis differatur: & quæ mala inde consequi soleant.*

Dominica Septvag. EX hac, velut equo Troiano, ingens malorum exercitus prodit: hinc innumera enascuntur pericula, quibus mise-

miſerabilis peccator implicatus, plerumque tandem redigitur ad reſtim & deſperationem. Tunc namque mens præteritorum delictorum enormitate & numero perterrita, ad aram miſericordiæ Dei; quam toties neglexit, confugere non audet, vrgente conſcientiâ, quæ teſtis formidabilis, iudexque grauis, reum comitari & vrgere ſolet. Ideoque eiuſcemodi peccatori dicitur: *Tace & non recorderis nominis Domini*: id eſt, tunc non erit integrum recordari Dei ad implorandam miſericordiam ipſius: tot enim (iuſto quidē Dei iudicio) ille, qui in delicijs vitā abſumpſit, & memoriam pœnitentiæ ſemper ſepoluit, curis, doloribus, anxietatibus obruitur, vt Dei ſalutisq; propriæ obliuiſcatur. Amos 6.

Eſt hęc diaboli praxis, vt ſcelus priuſquam committatur, extenuet, facilitatem reſipiſcentiæ, abundantiā bonitatis diuinæ, obuium cuiuis vſum Sacramentorum proponat: at, vbi expletum fuerit, etiam ſublatâ omni veniæ conſequendæ ſpe, ita exaggeret, tot impedimenta interſerat, tot terriculamentis vrgeat, vt non rarò in abyſſum diffidentiæ miſerum peccatorem propellat. Addit nempe peccato, vti Chryſoſtomus ait, fiduciam, confeſſioni pudorem; contrà omnino quàm faciat Deus, qui peccatum ſepſit verecundiâ, fiduciam confeſſioni comitem dedit. Et quamuis Deus ſit, etiam ad vltimum vitæ noſtræ momentum, clementiſſimus; nullus tamen hominum, inquit S. Fulgentius, debet ſub ſpe miſericordiæ Dei, in ſuis diutiùs remanere peccatis, cùm etiam in ipſo corpore, nemo velit, ſub ſpe futuræ ſalutis, diutiùs ægrotare. Lib de fide ad Petrum cap. 3.

Rationes, quare noxia ſit pœnitentiæ dilatio.

Prima quidem eſt, quia, niſi peccato pœnitentiâ lacrymiſque nerui quaſi incidantur, ad alia grauiora pondere ſuo protrahit, viamque complanat: nec tantæ operæ eſt primam retinere innocentiam, quantæ amiſſam recuperare. Nam quare mulier virginitate exuta citiùs ad illicita pelli-

citur pellicitque, quàm virgo corpore adhuc integra, nisi quia sepe protritâ (vti belgicè dicimus) sine molestia transilitur, in erectam non sine labore & difficultate ascenditur? Semper, inquit Chrysostomus, scelera, dum non referantur per confessionem, increscunt, & in augmenta facinorum prosilitur, quoties securâ impunitate peccatur. An non ideò Deus Adamo statim eo ipso die quo peccauerat, apparuit post meridiem, ne dilatione pœnitentiæ culpam augeret? Certè, *qui elongant se à te*, Domine, *peribunt*; faciuntque, quemadmodum si quis perditus nepos profundiùs se abderet in lupanar, quo innocentior appareret.

Hom. de Absal.

Psal. 72.

Alterum est, quia mora hæc ineptiores ad bene faciendum reddit, iuxta illud Poëtæ:

Ouidius l. 1. de remed.

Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Ridiculum, si quis ideò diutiùs fracto & claudicante gradu incedere assuescat, vt tantò rectiùs discat ire, firmiusque pedem figere. Omnem occasionem ad conuertendum, dilatione potiùs amittimus, quàm ad illam disponamur. Difficiliùs ille ieiunium seruat, qui pridianâ crapulâ laborat. Asperam nempe, ait Hieronymus, & insuauem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo, vt mirum non sit, nullum boni operis esse principium in sordibus vitiorum subsistere; principium vitę melioris esse, illa deseruisse. Imitemur hac in parte Isaacum, cuius puteos cùm Palæstini ex inuidia obruissent terrâ, ne pecora adaquare posset, secessit in terram Gerara, atque ibi puteos illos refodit, quos olim pater eius Abraham foderat. Imitemur dico, & terram dum nondum calcata est, statim in principio dimoueamus. facile quippe est illam penetrare: nam si indurauerit, difficulter postea mouetur: adeoque, si ad pœnitentiæ fontem lacrymasque penetrare velis, ne conuersionem procrastines, donec animus obdurescat; si enim citò iniectam in puteum terram sustuleris, minores tibi subeundi in fodiendo labores erunt.

In epistolis.

Gen. 26.

Adde,

Adde, quòd hæc dilatio, alteram quasi naturam, malè scilicet faciendi consuetudinem, inducat, vt etiamsi posteà velis corrigere quædam, non possis. Arbores dum adhuc teneræ sunt, facilè curuantur, adultæ flecti non se sinunt. Idque iusto Dei iudicio permittitur, iuxta illud ipsius AVGVSTINI: Lex peccati est violẽtia consuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam inuitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur: nec seriò de emergendo cogitat, sed de die in diem saniora consilia differt. Reuerâ ponit eiusmodi homines Deus *in possessionem ericij*, qui non nisi cum maximo suo damno dolores partus differt. Est animal vndequaque spinis extantibus inuolutum, quarum aculeos dum mater horret, procrastinat partum quoad potest, & ideò quanto fœtus fit grandior, tanto inclementiùs in egressu pungit. Ita & peccatoribus accidit: pudet confessionis, vitæque emendationem in aliud tempus omittunt; interea vehementioribus morsuum conscientiæ aculeis exercentur, atque euidenti periculo se exponunt, ne citiùs animam quàm confessionem excludant.

Lib. 8. Conf. cap. 5.

Isa. 14.

Deinde etiamsi omnia illa adhibeas quæ facere ad conuersionem peccatoris possint, difficilè tamen nimiùm dilata peccandi consuetudo corrigitur, videnturque lapidis duritiem cum vxore Lothi induisse, qui nimis diu ad Sodomam respexerunt. Ideo Ouidius ait:

Lib. 1. de remed.

Vidi ego, quod fuerat primò sanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.

Vbi febris ad medullas penetrauit, ægrè medicinæ cedit: quæ initio vel vnâ potione, vel venæ sectione tolli poterat. Quercum radicatam non Æoli flabra, non tempestuosus nimbus è sede sua dimouet, quam recenter plantatam vel puerilis & lusitabunda sustulisset manus. Et ædificium recenter fundatum à vexantibus facilè subuertitur; benè verò firmatum, multũ negotij diruere conantibus præbet. Et fera, quibus in locis diu est versata, difficulter expellitur.

Chrysost. hom. 80 ad pop. Antioc.

Mecum experti ſunt quàmplurimi, non alibi quandoque plus laboris & curæ, minus ſpei & emendationis affulgere, quàm in obduratis inueteratisq́; peccatoribus. Quot enim, vt cetera ſileã, naſcuntur impedimenta? Quandoque obeſt corporis infirmitas, non raró amici & adulatores, qui vbi ſubtriſtiorem & cogitabundum conſpexerint, ad veteres vitiorum illecebras inuitant reducuntq́ue. Nonnulli

Pſal. 13. tremunt *timore, vbi non erat timor*, ne ſcilicet deprehendantur flagitiosè vixiſſe, ſi priſtinos mores conuerſationemq́ue deſerant. Quid de robuſtiore ætate dicam, quę inflecti non poteſt? Illa dicit: Nolo facere, non vacat modò, potui me emendare cùm eſſem iunior; cùm iam ſenui, non poſſum, non libet. Et quamuis fortaſſis tum libeat, quanto lacrymarum imbre, quanto labore & pœnitudine opus eſt, vt eò redeat animus, vnde volens viuendo luxuriosè, digreſſus

Deut. 9. eſt? Viriliter, *& in brachio extento* dimicandum eſt cum Pharaone, ſi Ægypto egredi velis, cuius intolerabile iugum numquam fuiſſes expertus, niſi ſponte tuâ te illo induiſſes.

Quartum, ſed non poſtremum (quia alijs enumerandis ſuperſedeo) & quidem maximum, malum eſt, quòd Deus eiuſcemodi procraſtinatoribus ianuã miſericordiæ ſuæ occluſam retineat, dicatq́ue, etiamſi pulſent: *Amen dico vobis,*

Matth. 25. Hom. 12. in Euang. *neſcio vos.* Exemplo ſit infelix Chryſaorius, de quo D. Gregorius: Vir valdè idoneus, ſed tantum plenus vitijs, quantum rebus, ſuperbiâ tumidus, carnis ſuæ voluptatibus ſubditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accenſus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreuiſſet, (ſicut à religioſo quodam viro, qui nunc ſupereſt, propinquo illius, didici,) corporis languore percuſſus eſt. Qui ad extremum veniens, eâdem horâ, quâ iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos ſpiritus coram ſe adſiſtere, & vehementer imminere, vt ad inferni clauſtra ſe raperent. Cœpit tremere, palleſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumq́ue ſuum nomine

Maxi-

Maximum, (quem ipſe iam monachus monachum vidi) turbatis clamoribus vocare, dicens: Maxime curre, Maxime curre, numquam tibi aliquid mali feci, in fidem tuam me ſuſcipe. Turbatus mox adfuit Maximus, lugens & perſtrepens familia conuenit. Hos autem, quos ille inſiſtentes ſibi grauiter tolerabat, ipſi malignos ſpiritus videre non poterant; ſed eorum præſentiam in confuſione, in pallore, in tremore illius qui trahebatur, videbant. Pauore autem tetræ eorum imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo. Iacebat in ſiniſtro latere, aſpectum eorum ferre non poterat: vertebatur ad parietem, ibi aderant. Cumque conſtrictus nimis relaxari ſe iam poſſe deſperaret, cœpit magnis clamoribus clamare, dicens: *Inducias vel vſque manè, inducias vel vſque manè.* Sed cùm hæc clamaret, in ipſis ſuis vocibus de habitaculo ſuæ carnis euulſus eſt. Et quare, obſecro, inducias petijt, nec impetrauit, niſi, quia nimiùm diſtulit petere, atque illum numerum peccatorum adimpleuerat, quo abſoluto Deus ſtatuerat non ignoſcere? Probatur id ex Scriptura: *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum.* Amos. 1. Quod non perfunctoriè tranſeundum eſt. Videtur enim cuiuis mortaliũ poſuiſſe terminum peccatorum, quem præterire nullus poteſt. Et quidni iuſto timore concutiamur, quoties de nouo peccamus, ne fortaſſis illud ſit vltimum ſcelus quod Deus volet ignoſcere? Alibi monet Angelus: *Mitte falcem tuam, quoniam aruit meſſis terræ*, Apocal. 14. id eſt, quoniam adeſt tempus maturum & opportunum puniendi impios, vtpote qui menſuram peccatorum impleuerint, iuxta illud: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Matth. 23. Hoc eſt quod Ezechiel ait: *Venit finis: euigilauit aduerſum te*, Ezech. 7. id eſt maturo & opportuno tempore ſurrexit: quaſi fructus æſtiui, qui in æſtate maturi ſunt, ſic maturuit tuum exitium, finis adeſt tibi. Colliges enim fructum arboris quam plantaſti, & frugem quam ſeminaſti, metes. Gen. 15. aliiſque S. Scripturæ locis manifeſtum euadit,

dit, Deum non permisisse gentes quasdam diutiùs viuere, quàm impleto certo peccatorum numero. Gen. 15. *Generatione autem quartâ* (loquitur Deus Abrahamo) *reuertentur huc*, scilicet filij tui ex Ægypto, *necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus*. Et quidni dicamus idem agi cum quolibet homine, quod regnis & prouincijs contingit? Et qui magis debeant metuere, ne iam ad vltimum peccandi gradum deuenerint, quàm qui quotidie vitæ emendationem extendunt? Quid? quòd Deus etiam hac sola de causa opportunos vitæ dies imminuat, eò quòd ad ipsum homines conuerti contemnant. Id contigit in diebus Noë, cùm adempti sunt illis viginti anni, quòd per centum annorum spatium distulissent pœnitentiam.

§. III. *Breuis ad resipiscentiam adhortatio.*

QVÆ cùm ita se habeant, quisquis hæc legis, si quâ prauâ appetitione detineris, vinculis dum licet, ocyùs te expedi, nodos disseca, ne illos indissolubiles peccandi faciat consuetudo. Idque vel ex consilio Ethnici:

Horat. Epod. 13. —— *Rapiamus amici*
Occasionem de die:

id est, ex hoc die.

Lucan. lib. 1. *Tolle moras: semper nocuit differre paratis.*

Tract. 33. in Ioan. Quamuis enim Deus pœnitentibus veniam, peccantibus tamen crastinum non promisit. Largitur, inquit S. P. AVGVSTINVS, tibi Dominus spatium correctionis, sed ne tu plus ames dilationem quàm emendationem. Malus fuisti heri? hodie bonus esto: & hodiernum diem in malitia peregisti? vel cras mutare. Malè expectas, & de misericordia Dei tibi plurimum polliceris, quasi ille qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit etiam longiorem vitam. Vnde scis quid pariat crastinus dies? Rectè dicis in corde tuo: Quando me correxero, Deus mihi omnia peccata dimittet.

mittet. Negare non possumus, quòd correctis & conuersis indulgentiam Deus promisit. Nam in quo Propheta mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam. Quapropter caue diabolum suadentem audias: Da mihi quod nunc fluit temporis, futurum Deo: mihi ætatis florem, Deo senectutem: mihi voluptates, Deo corpus effœtum. Comprehendat te ille saluberrimus iudicij futuri, mortisque metus, quo S P. AVGVSTINVS perstrictus dicebat: Vita hæc misera est, mors incerta: si subitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Et alibi: Cur differs vocantem te certus de mercede, incertus de die? Non quærit Dominus dilationem in voce coruina, sed confessionem in gemitu columbino. Quantumuis paruo temporis spatio à crastina luce distes, numquam tamen illam attinges, sed æternâ felicitate excluderis, nisi cum Dauide aliquando dicas: *Dixi, Nunc cœpi.*

Nazianz, orat. in S. Baptisma.

Lib. 6. Conf. cap. 11.

Idem expos. in Psal. 102.

Psal. 76.

Age igitur, non deerit pijs conatibus diuina benignitas; de cœlo indubiè veniet tibi auxilium. Et quidni ille se adiutorem præbeat, qui & seipsum, corpus sanguinemque dedit in cibum & potum? Quid cunctaris? nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Quid metuis? quin medicinam misericordiæ diuinæ ad tuam infirmitatem cogitas? Quid te nugæ nugarum veteres amicæ tuæ retinent? Aude tantùm illa quæ ad momentum delectant, contemnere, & experieris, quia Deus tibi melior suauiorque est, quàm omnes externæ delectationes. Narrant tibi *iniqui fabulationes, sed non vt lex Dei.* Quamdiu quidem, inquit Chrysostomus, quis in fornace voluptatum consistit, etiamsi exemplis abundet infinitis, ipsi res supra vires apparet: ceterùm si vel leuiter cœperit illinc egredi, identidem procedens, vim ignis à tergo relinquit, videtque ante se & ad pedes propemodum viam roscidam, atque eximiæ facilitatis. Tanti scilicet momenti est vel semel seriò manum operi admouisse. *Memento*, ait Sapiens, *Creatoris tui in diebus iuuen-*

Psal. 118.

Paræneſ. ad Theodor. lapsum.

Eccles. 12.

iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent. Ne miser respondeas cum Pharaone Moysi dicenti: *Constitue mihi quando deprecer pro te: Cras*; nam cras iuris tui non est. Fluit, inquit sapiens Hispanus, tempus, & auidissimos sui deserit, nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendeo, & magni est modicum fuisse. Præteritum tempus euanuit; futurum nondum est; quod elapsum est, haud iterum haberi potest. Aurum & argentum si amiserit homo, potest idipsum, vel tantumdem recuperare: tempus autem si pereat, nec ipsum amissum, nec aliud pro ipso recuperari potest.

Exodi 8.

Seneca natur quæst. lib. 6.

Felix qui dæmoni suadenti crastinum, respondere nouit quod senex ille in Vitis Patrum, qui cogitationi suæ suggerenti: Cras pœnite; respondebat: Crastina enim dies non est nostra, sed tantùm hodierna & præsens: hodie pœnite; crastinâ, voluntas Dei fiet. Nihil vmquam differendo, talis tantusque Imperator Alexander euasit. Narrant de S. Philippo Nerio, illum non aliâ praxi vsum ad conuersionem grauissimi peccatoris, quàm iniunctâ pœnitentiâ, vt ne vmquam confessionem vel ad secundum peccatum mortale differret, sed mox vt lapsus esset, ad Sacramentum ocyùs aduolaret. Quod consilium felicissimè successit, adeò vt in alium prorsus hominem breui conuerteretur. His desino admonitionis, &, si non displicuerit, vel semel ex animo sequentem precatiunculam vsurpa.

ORATIO POENITENTIS.

Vsquequo peccatores, Domine, vsquequo peccatores effabuntur & loquentur iniquitatem? Quamdiu dominabitur iniquitas animæ meæ, & figet in me regnum suum homo peccati, & filius perditionis? Exurge, quare obdormis Domine, & obliuisceris inopiæ & tribulationis nostræ? Non est mearum virium colluctari cum principe & rectoribus mundi tenebrarum harum: non est opus meæ diffindere hunc nodum deprauatæ consuetudinis, quâ occalluit

Psal. 93. Psal 118. 2. Thessal. 2. Psal. 43. Ephes. 6.

anima

anima mea. Velle quidem adiacet mihi, sed perficere non inuenio. Rom. 7.
Ah! quoties conor erigere verticem, & sublimem me extollere, sed iterùm in pristinas sordes viscumq́ relabor! Nec habeo tibi dicenti: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Ephes. 5.
Christus; quod respondeam, conuictus veritate tuâ, nisi verba lenta & somnolenta: Modò, ecce modò, sine paululùm. Sed modò & Aug. lib. 8. Confess. c. 5.
modò non habent modum; & sine paululùm, in longum abit. Emitte manum tuam de alto, & eripe me de manu filiorum alienorum. Psal. 143.
Cras illud damnabile transeat tandem aliquando, obsecro, in salutiferum Hodie. Quid dicunt mihi inimicæ cogitationes meæ? Adhuc semel, adhuc semel. Et cur non potiùs, Ex hoc momento non vltrà peccabo, ne vel semel ampliùs inæternum? Fiat quæso hodie, hodie, inquam, in pace locus meus, & habitatio in sancta Sion, in Psal. 75.
Ecclesia iustorum, & timentium nomen tuum. Fiat, fiat!

CAPVT TERTIVM.

§. I. AVGVSTINVS *malâ sæculi consuetudine abripitur.*

THEMA CONCION.

A sæculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam. Ierem. 2.

POTERAT quidem hactenus satis superque videri infelix AVGVSTINVS, cui dum baptisma differtur, panditur ostium ad omnem iniquitatem, & quasi quibusdã poppismatis animatur ad cursum. Attamen non parum illum ad deteriora propulit deprauata sæculi consuetudo; cui resistere fortissimus quisque vix potest, nedum imbecillis iuuenis, & necdum lustrico ablutus fonte. Ecquid enim æquè moribus adolescentum officit, atque exempla prauitatis? Verba mouent, facta rapiunt. Mirum quantum possit consuetudinis plerumque non bonæ impressa nobis auctoritas. Prudenter vt alia Seneca, Lib. de vita,
Versat nos, inquit, & præcipitat traditus per manus error, beata c. 1.

alieniſque perimus exemplis. Mali mores, contagioſiſſima lues; nec vllus efficaciùs perſuadet, quàm qui vitia docet exemplo. & alibi: Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quòd viuimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Quod pauci faciunt, nolumus imitari: cùm plures facere cœperũt, quaſi honeſtius ſit, quia frequentius, ſequimur, & recti apud nos locum tenet error. Ita apud Terentiũ adoleſcens quidam, ſatis ſeipſo quidem nequam, tamen vbi pictam in pariete vidit tabellam, vbi inerat pictura hæc: Iouem quo pacto Danaæ immiſiſſe aiũt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri; ſeipſum exemplo Iouis, quaſi cæleſti magiſterio concitauit ad libidinem. At quem Deum? inquit, Qui templa cæli ſummo ſonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? Ego verò illud feci, ac libens.

Epiſt. 58.

In Eunuch.

Hic mali exempli gradus eſt, quô cũ AVGVSTINO quàm plurimi in miſerrimum peccati ſtadium deſcendunt; nec ſentiunt ſe perire, quia non ſoli vehuntur in exitioſum æternæ damnationis pelagus. Hanc nauem AVGVSTINVS adoleſcens conſcendit, quia tum verbo, tum exemplo ſodaliũ, atque etiã ſuorum magiſtrorum peccare liberiùs aggreſſus eſt. Quid autem mirum, quòd in vanitates ita ferebar, & à te Deus meus ibam foras; quando mihi proponebantur homines, qui aliqua facta ſua non mala, ſi cum barbariſmo, aut ſolœciſmo enuntiarent, reprehenſi confundebantur: ſi autem libidines ſuas, integris & ritè conſequentibus verbis, copioſè ornateque narrarent, laudati gloriabantur? Et, Deus lumẽ cordis mei, & panis oris intus animæ meæ, & virtus maritans mentem meam, & ſinũ cogitationis meæ, non te amabam; & fornicabar abs te, & fornicanti ſonabat vndique, Euge, euge. Amicitia enim huius mũdi fornicatio eſt abs te. Et euge, euge dicitur, vt pudeat, ſi non ita homo ſit.

Lib. 1. Confeſſ. cap. 18.

Lib 1. Confeſſ, c. 13.

Quanta ecce vis malè ſuadentis ſodalitij! ſed quãto maior, exemplo prælucentis! *Beatus*, terque quaterq; beatus, *homo*,

qui

qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. Psal. 1.
Disquirit S. AVGVSTINVS, an, quia Dauid ait, *Aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini,* naturales aliquæ siue physicæ sint aquæ super planetarum orbes, cùm id Propheta ita expressis verbis dicat, an tantũ id spiritualiter intelligendũ sit: & tandẽ contra Aristotelem, aliosq; Philosophos, licet id principijs illorum aduersari videatur, asserit ibi veras realesque aquas extare, à quibus Saturnus planeta altissimo cælorum loco constitutus frigus suũ mutuetur, licèt ceteris planetis propiùs solem alioquin contingat, adeoque plus quàm alij caloris deberet excipere, quem in hæc inferiora diffunderet. Sed quęritur, inquit, vnde frigida sit stella, quæ tanto debet esse ardentior, quanto sublimior, & cælo propinquior? facit ergo frigida aquarum supercęlestium vicinitas. Quod à proposito nostro non abit; sed docet, quantum mali etiã perfectissimis hominibus accersat vicinitas prauæ sodalitatis. Vel hoc solo sibi S. Greg. Nyssenus persuadere non potest, (quãuis alioquin id cõtrouersum sit inter Auctores) Samuelem verè apparuisse Sauli, quia cũ improbis ille commisceri nollet. Postquã D. Ioan. Euangelista, tamquam pro miraculo retulisset quòd *Verbum caro factum* esset; adiecit, *Et vidimus gloriã eius*: Ne, inquit Pererius, putaretur Verbum, quia factum erat caro, gloriã suam propter vnionẽ cum fragili & ingloria carne perdidisse, quia tam potens sit mala societas, vt etiã ipsi diuinitati, si possibile foret, nõ parceret.

L. de Gen. ad litt. c. 3. & 4.
Psal. 148.
Epist. de Physon.
1. Reg. 28.
Ioan. 1.

Execratur verò S. Doctor hanc vim deprauatæ consuetudinis, quâ abreptus est, atque sequentis Emblematis materiam subministrauit; in quo mores sæculi naui, quę per rapidum flumen multitudine remigantiũ deorsum propellitur, peccatũ oceano multorũ mortibus infami, adolescentiam suam vectoribus comparat. Vę, inquit, tibi flumen moris humani, quis resistet tibi? Quamdiu non siccaberis? quousque volues Euæ filios in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderint?

Lib. 1. Confess. c. 16.

Væ tibi flumen moris humani, quis resistet tibi?
Lib. I. Confess. c. 16.



Aspice ut abreptas fluuius nauesq́; virosq́;
Deuehat, & flexis in mare portet aquis.
Improba non cautam sic consuetudo iuuentam
Ducit ad infernos per vada prona lacus.

Et ita fit, quod in themate concionis diximus, vt confringat iugum Domini, necessitatem legis Euangelicæ non attendat, vincula charitatis & beneficentiæ, quibus Deo alligatur, disrumpat, palamque dicere non vereatur, se nolle Deum sequi, nec debitum pręstare famulatum. Et quamuis nihil dignius sit misericordiâ, quàm miser; fit tamen misericordiâ indignus, quia superbus est miser. August. sent. 381.

§. II. *Magna vis deprauatæ consuetudinis; & quantopere tam à dato, quàm accepto scandalo cauendum.*

Non erat mirum AVGVSTINVM necdum catechumenum, in ipso assurgentis ætatis flore, priusquam iudicium multiplici rerum vsu & experientiâ firmatum sit, ita prauis consodalium exemplis, & corruptâ sæculi consuetudine abreptum, vt puduerit illum castimoniæ inter impudicos, & de flagitijs suis gloriantes, iactaueritque se de illis quæ non fecerat. Seductus est, vt de se loquitur, quia seductilis erat, & ad imitandum malos quàm bonos procliuior. Non, inquam, mirum erat, cùm tanta sit vis mali exempli, vt etiam constantissimum quemque de gradu sit potens deiicere. Est enim instar torrentis de superiore montis vertice decurrentis, qui obuia quæque corripit, voluminibusque suis inuoluit. DOMINICA III. post Epiphaniam.

—— Velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeunt animos auctoribus.

Iuuenalis satyr. 14.

Cùm sontes depugnabant ferro, inquit Cicero, auribus fortasse multæ, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem & mortem disciplina. Hinc cùm olim Zeno de immortalitate animæ ageret, dicebat, malle se videre Indum conscendentem rogum, quàm quosuis Philosophos audire de illa disputantes; quia nimirum vel vnum exemplum factumque centum disputationibus dictisque præponderat. Et quis non, vt immortalitatis animæ sententiam Lib. 2. Tusc. quæst.

firmiùs imbibat, malit videre Paulum decollatum, Petrum inuerso corpore pendentem, Bartholomæum excoriatum, Laurentiũ in craticula iacentem spe immortalitatis, quàm ea legere, quæ à Platone in Phædone, vel à Cicerone in Tusculanis, vel à Thoma, Scoto, totaque Scholasticorum turba de immortalitate animæ eruditè disputantur? Vnde cùm Deus humanum genus ad obseruantiã legis suæ commouere vellet, tamquam efficacissimum medium, exemplum Iobi sine lege enutriti, & tamen iuxta legem viuentis, etiam inter medios idololatras, proposuit. Obseruatio illa est D. Gregorij: Quamuis, inquit, homo eo ipso quo est, auctorem suum deberet intelligere, tantoque magis ipsius voluntati parere, quanto se de seipso nihil esse pensat. Ecce autem conditi, Deum considerare negleximus: adhibita sunt præcepta, præceptis quoque obtemperare noluimus: adiunguntur exempla, ipsa quoque exempla declinauimus fidelium. Vnde ad confutandam impudentiam nostram, Gentilis homo Iob ad exemplum deducitur: vt quia obedire homo legi sub lege positus, despicit, eius saltem comparatione euigilet, qui sine lege legaliter vixit.

Præfat. in lib Moral. cap. 2.

Et nescio etiam quo pacto id sibi licere credant homines, in quo alios vident se præcessisse. Nullus nunc de lege metus est: de quæsitore, de iudice timor nullus. Quod potest redimi, non timetur: esse iam inter nocentes innoxium, crimen est. Malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere iura peccatis, & cœpit esse licitum quod publicum. Quasi verò peccantium multitudine culpa diluatur, illudque iam liceat, non quia permissum est, sed quia multi faciunt; & non potiùs à meliori quàm grandiori parte sumenda sint incitamenta virtutum. Non exemplis, sed legibus iudicabimur; quasi consuetudine potiùs quàm ratione viuendum sit.

Cyprian. l. 2. epist. 2.

Ne quis multitudine id facientium, aut consuetudine sæculi, siue peccati vetustate se excuset, si malè agat, monet D. Hie-

D. Hieronymus, aitque numerositate lignorum maiorem gehennæ flammam succrescere. Non enim nos improbos facere debet improbitas aliena: quia quemlibet hominum magis sibi præstare conuenit, vt sit bonus, quàm alteri vt sit malus. Et hoc erat de quo toties, & tam acriter Christus Dominus Pharisæos reprehendebat, quia illi de se exempla prauitatis dabant, quorum erat populo facem prælucere; atque ad onus legis grauissimum, (quô gens Iudaica tantùm non opprimebatur) addebant onus scandali & offensionis. Longè tolerabilius videri poterat, si soli peccassent, iuxta illud Bernardi, qui citans illa verba; Si non castè, saltem cautè, ait: Est namque minoris culpæ quemlibet se solum dare morti, quàm si ceteros secum tollat contagione virtutis. Quid? quòd idem Bernardus dicat illos, qui alienam salutem suo scandalo impediunt, grauiùs delinquere, quàm si cum Iudæis sanguinem Christi effudissent. Denique, inquit, si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum; non tibi videtur grauiorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione malignâ, exemplo pernicioso, scandali occasione, auertit ab eo animas quas redemit, quàm à Iudæo qui sanguinem illum fudit? Agnoscite, dilectissimi, & expauescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino maiestatis sacrilegas manus iniecerunt.

In Epistolis.

Saluian. 7. de gubern. Dei.

Hom. de villico iniquit.

Serm. de conuers. S. Pauli.

Annon hac de causa, tam seuerè puniti sunt Heli & filij eius, quia malo exemplo suo transgredi fecerunt Israel? Ad summam posteri eorum redacti sunt paupertatem, ita vt mendicando peterent admitti ad tortam panis: sacerdotio exciderunt, plerique cum Ophni & Phinees vitâ exuti sunt, cùm ad virilem ætatem peruenissent. quanta mala! exauctoratio, mendicitas, mors ipsa: & quidni? Nihil siquidem indignius quàm sacerdotes malo exemplo habenas peccandi

1. Reg. 2.

di populo laxare, quorum erat illas adstringere. *Vide Domine*, inquit Ieremias, *afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus*. Ad quem locum Bonauentura, Tam, inquit, inimicus erigitur, quàm malus in Ecclesia præficitur, sicut filij Heli, Ecclesiam fœdantes per exempla luxuriæ. Nullos, ait Seneca, peiùs mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui aliter viuunt, quàm viuendum esse præcipiunt.

Thren. 1.

Epist 109.

Matth. 18. *Necesse* quidem *est vt eueniant scandala: verumtamen væ* illis *per* quos *scandalum venit*, per quos pessimæ consuetudines vestiendi, cœnandi, luxuriandi, in rempubl. inuehuntur; quæ tantò maius pondus obtinent, quantò à potentiori, etiam ab ipso Rege, originem ducunt: quia

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Quemadmodum morbi vniuerso corpori exitium afferunt, qui à capite procedunt; & primum cœlum inferiores, quos ambitu complectitur, suo motu rapit. Non tantùm mali est, inquit disertissimus Romanorum, ea peccare principes, quamquam est magnum hoc per se ipsum malum, quantum illud quòd permulti imitatores principum existunt. Nam licet videre, si velis scrutari memoriam temporum, qualescumque summi ciuitatis viri fuerint, talem ciuitatem fuisse, quæcumque mutatio morum in principibus extiterit, eamdem in populo secuturam. idque haud paulò est verius, quàm quod Platoni nostro placet, qui musicorum cantibus ait mutatis mutari ciuitatis status. Ego autem nobilium vitâ victuque mutato, mores ciuitatum mutari puto. Quò perniciosiùs de repub. merentur vitiosi principes, quòd non solùm vitia concipiunt, sed ea infundunt in ciuitatem. Neque solùm obsunt, quòd illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt, plusque exemplo quàm peccato nocent. Hactenus Cicero.

Cicero l. 3. de Leg.

Lib. 4. cap. 5. Quantæ ille integritatis, etiam apud Ethnicos, de quo Valerius Maximus scribit: Excellentis in regione Etruriæ

pulchri-

pulchritudinis adolescens, nomine Spurina; cùm mirâ specie cumplurium feminarum illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris ac parentibus earum se suspectum esse sentiret; oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quàm formam incitamentum alienæ libidinis esse maluit. At quid facturus erat, si culpâ suâ cuipiam præbuisset ansam malè agendi, qui adeò solicitus fuit, vt ne quidem dote suâ naturali quemquam ad illicita solicitaret?

Væ etiam illis, qui ad has consuetudines impingunt, atque illud solùm ad purgationem sui adferunt, quòd longam seriem enumerare possint eorum qui idem actitant: ideoque putant se peccare impunè, quia peccant non soli. Quasi non perinde sit, si solus, atque cum multis submergaris. Hoc ante alios Iobum inter Ethnicos, Tobiam inter Hebræos commendabiles reddidit, quòd prior habitaret in terra Hus, id est, idolorum cultui dedita, omnique vitiorum genere conspurcata, & tamen verum vnius Dei cultum obseruaret: alter *cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israel, solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel. Cumq; esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.* Puerile est, sine disquisitione, aliorum vestigijs insistere, imitari quod alios facientes videris. Et quis vmquam benè currat, cui cura sit alienis vestigijs pedem infigere?

Iob 1. Tob. 1.

Quod velim attendas ne locum in te habeat, neq; contẽpleris quid alij vel cõmittant vel omittant, sed potiùs quid facto opus, quid munus à te tuum postulet, quid lex diuina exigat, quid respubl. expectet. Ideoque præteritorum oblitus, semper priora melioraque sectare. Acquiescendum consilio Sapientis: *Fili, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut* Prouerb. 1.

infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs. Sortem mitte nobiscum, marsupium sit vnum omnium nostrûm. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem. Cauendæ in primis illæ societates, quæ malis consuetudinibus detinentur, cauendi nouarum formarum inuentores: plus enim his diabolus quandoque vnius semihoræ spatio promouet, quàm alijs multorum annorum tentationibus. Illa retia & laquei sunt, quos inimicum tetendisse ante pedes nostros alibi conqueritur S. P. AVGVSTINVS, atque illis mundum repleuisse vniuersum. Quidquid enim ferè hodie in vestibus, in mensis, in colloquiis, variis curiositatibus peccatur; ideo peccatur, quia consuetudo id obtinet. Adeò vt magnæ felicitatis fuerit illis non implicuisse pedes. Finio cum Lipsio:

—— O ille beatus,
Qui vitæ infames scopulos, & naufraga saxa,
Festinâ potuit præteruexisse carinâ!

Lib. 2. de Constant. in fine.

Quid enim aptiùs per scopulos & naufraga saxa intelligas, nisi corruptos sæculi mores?

§. III. *Parænesis ad prauarum consuetudinum, maximè vestiendi, inuectores.*

DOMINICA xix. post. Pentec.

NVlla quidem tanta est deprauati huius sæculi labes, quam diluere non sit facillimum, si superioris æui exempla, & facta perperàm antiquorum adducere satis sit in purgationem delicti. Noui virum doctum, qui vel ex vno Plauto suo omnes omnino morum nostratium corruptiones, etiã vsque ad minuta quædam in sandalijs, & tortura capillorum, asserebat se posse ostendere. tam vigebant etiam Romæ tum hi abusus, qui modò hominibus cordatioribus displicent. Adeò nullum sæculum vmquam à vitijs fuit immune; quidquid aliqui antiqua semper deprædicent,

cent, & præ alienis domestica fastidiant. Non quò illorum patrocinium velim suscipere, qui tam auidè quasuis externas vestiendi, equitandi, ambulandi, cœnandi formulas amplexantur, aut etiam nouas comminiscuntur: sed quandoquidem hæc rerum humanarum sit series, monitos quosdam hoc tantùm velim, vt ne mediocritatem excedant. In extremitatibus siue excessu, offensionis periculum est; & quamuis ipse non pecces, (quod tamen quis ausit asserere?) alijs ad peccandum & inuolandum in malam intentionem incitamento es. Iam inde ab æuo Senecæ aliqui dixerunt: Epist. 51. Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere. Non ego sumptuosus, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum peccatum, quòd sic vestior, sed consuetudinis sæculi. At consuetudinis sæculi quoque erat quòd diues Epulo bysso & purpurâ operiretur; nec tamen Luc. 15. seueram vindicantis Dei dexteram euasit, versaque sunt mollities & decor eius in ignem sulphureum & tenebras, sepulchrumque infernale. Et ô Deus! quas non minas peregrinâ veste indutis, & cum fastu in Ecclesia se ostentantibus intentat Sophonias! *Et erit: In die hostiæ Domini visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrinâ: & visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate & dolo.* Soph. 1.

Sit igitur, nullum vmquam fuisse sæculum sine vitijs, non minùs quàm nullus vmquam annus abit sine pluuia: at si vllibi, certè quoad modos hos (vt vocant) audiendus est Ennius:

Moribus antiquis res stat Romana virisq;.

Quod quàm rigidè, tam regiè gloriosus Hebræorum rex Dauid obseruauit: *qui cùm cooperiretur vestibus, non calefiebat.* 3. Reg. 1. Quia, vt Caietanus obseruat, non erat moris electam illam & sanctam gentem villo pellibusue fultis vestibus tegi, sed lino vel lanâ: maluitque obseruantissimus Rex frigere, quàm calescere nouo vestimenti genere. Sed quis

hoc etiam ex priuatis imitetur? nullus vetuſtate gaudet, omnes ad nouitates adſpirant; & quidem ij, qui non ita nuper ciceris lentiſque emptores, iam domos palatia adæquantes habitant; qui ita ſplendidè veſtiuntur, opiparè viuunt, & ſuperbè incedunt, vt quis non incongruè illud Philiſtinorum aduerſus Samſonem dicterium, *Aliquid alligatum habet*, in eos vſurpauerit. Quo illi quidem, teſte Abulenſi, indicabant fortiſſimum illum heroa, cùm mediocris tantùm eſſet ſtaturæ, nec plus ceteris vel ederet, vel biberet, nec ſcirent vnde illi tam portentoſa obtingeret fortitudo, dæmonem habere familiarem, cuius ope in tam arduis & humanas vires ſuperantibus vteretur. Hoc, inquam, aliquis non inuenuſtè, nec abſque fundamento aduerſus eiuſcemodi homines trilitteros ſphingeſque Megaricas vſurpauerit: *Aliquid alligatum habet*. Habet ille dæmonium familiare harpagandi, Regemque deprædandi; habet iſta Venus dæmonium cubiculare, quod heſternas ſordes mendicitatemque in illas elegantias abundantiamque commutauit.

Abulenſ. in Iudic.

Ideoque vel maximè, quia eò Saluator noſter in vita ſua, (qui nobis in imitationem, etiam in his tenuibus datus eſt, *vt ſequamur veſtigia eius*) duxit, qui nec ad paucorum vixit exemplum, ſed vſitatum & antiquiorem viuendi morem in exterioribus retinuit. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Fuit quidem tam antiquitatis amans & tenax, vt cùm Apoſtolos ſuos rogaret: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Petrus ex vulgi opinione reſponderit: *Alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis*; ita omnia in veſtitu, victu & conuerſatione præ ſe ferebat, vt antiquos illos non virtute miraculorum modò, ſed & reliquâ vetuſti æui ſimplicitate exprimeret; vt qui non niſi fando de antiquioribus illis audierant, accuratam illorum imaginem in Chriſto deprehenderent. Fuit etiam cùm delicijs, & quæ mollitiem quamdam ſapiebant, ob reuerentiam antiquitatis,

1. Pet. 2.
Matth 5.
Matth. 16.

vteretur. Euangelistas sequens Petrus Damianus scribit: Epist. 106.
Ne peregrinę adinuētioni studeas superinducere nouitatē. Nam & ipse qui est magister Angelorum in cælo, morem in terra tenuit quem inuenit, nec dedignatus est terrenam seruare consuetudinem. Cur enim sibi caput & pedes vnguento conspergi muliebri ministerio passus est, nisi quia Palæstinæ atque Iudaicæ regionis mos erat, vt eius incolæ crebriùs vngerentur? Ecce quos mores reperit, seruauit quidem, cùm essent indifferentes, sed alicuius nouitatis fabricator nequaquam extitit. Et hoc insinuat Ioannes Baptista: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis.* quasi dicat, Vos aliquid extraordinarium in Messia vestro, quoad vestitum, comitatum, victum, & cetera huiuscemodi, requiritis; ille autem, qui reuerâ Messias est, inter vos communi habitu & modo versatur, & hoc solo non agnoscitis.

Lucæ 7. Ioan. 11. Matth. 11.

Agite igitur, ingenui & nobiles Belgæ, antiquitatē amate, ritus moresque patrios asserite: antiquitas probitatem, nouitas vt plurimum improbitatem velat. Et fortassis huc olim respexit Deus, vbi seuerâ lege edicit, vt ne quis alienigenam feminam sibi matrimonio copulet, nisi rasam & vnguibus circumcisam, depositisque in quibus captiua ducta est, vestibus; ne scilicet externo vestitu, aut ficto capillitio marito fucum faciat. Quid instar simiarum aliena imitamini? est vobis potior merx domi, illa decore & præstantiâ nihil externæ cedit, sed insolentiâ quâdam in oculos incurrit, nec generosas & constantes mentes afficit, femineas vilesque tantùm emollit. Nequaquam facere vos improbos improbitas debet: quia quemlibet hominem magis sibi præstare conuenit vt sit bonus, quàm alteri vt sit malus. Europa virgo nobilis æquè ac formosa, dum neglecto veteri & solito equorum vsu, in tauro equitare maluit, submersionis primò periculum, mox pudoris imminutionem adijt. Quid? nisi in pœnam curiosæ nouitatis?

Deut. 21.

Quàm verò Deus inuehitur in parentes illos, qui vanita-

tem filiorum promouent? Iam non videtur veniæ vllus relictus locus; *Tu noli orare*, inquit Ieremias, *pro populo hoc, nec aſſumas pro eo laudem & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* Sed quę, ô piiſſime, te cauſa impulit, vt inexorabilis fieres? *Nónne vides*, ait, *quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem? filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli, & libent dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent.* Fouent parentes oua vanitatum, & proles excludunt: matres ſtibio & purpurâ filias exornant, illæ ambulant extento collo, & rapiunt adoleſcentum corda: patres pyram ſtruunt lignorum vanitatis, aurum addunt & veſtes, filij ſupponunt ignem. Sic omnes libant vanis, & vt luna inſtabilibus, mundi idolis.

Ierem. 7:

CAPVT QVARTVM.

§. 1. Nimia patris conniuentia AVGVSTINVM *perdidit.*

THEMA CONCION.

Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Eccli. 30.

ITER agebat AVGVSTINVS per plateas Babyloniæ cum ſodalibus æquè vitioſis, aut etiam corruptioribus, & volutabatur in cœno eius, tamquam in cinnamomis, & vnguentis pretioſis: eoque id faciebat libētiùs, quòd in illum finem ſibi baptiſma dilatum eſſe intelligeret, quo omnia peccata, etiam grauiſſima, etiam maximo numero tolluntur. Atque aliqualiter id tolerari quidem poterat in illo æſtu inexpertæ adoleſcentiæ, niſi illi ſeueri morum magiſtri, indiceſque veritatis (quo

(quo etiam plerumque Reges laborant) defuiſſent; aut ſaltem Patritius, nondum Chriſtianæ fidei præceptis plenè imbutus, eo ad corripiendum filium fuiſſet animo, quo pia ipſius coniux; vel illa parem cum marito, ad id nacta fuiſſet auctoritatem. Cùm enim aliquando illa materno affectu, ingenti ſolicitudine, ſecretò moneret ne fornicaretur, maximè ne cuiuſpiam abuteretur vxore; monitus videbantur AVGVSTINO muliebres, quibus obtemperare negligebat. Interim à Patritio laxabantur illi etiam ad ludendum habenæ vltra temperamentum ſeueritatis, in diſſolutionem affectionum variarum. Et in omnibus, inquit ipſe, erat caligo, intercludens mihi, Deus meus, ſerenitatem veritatis tuæ; & prodibat *tamquam ex adipe iniquitas mea.* Intelligit per adipem Dauid diuitias, ſaturitatem, otium; hæc enim cauſſa ſunt & occaſio multarum iniquitatum, vt de Sodoma teſtatur Ezechiel, & de ſeipſo hîc AVGVSTINVS, qui ex ſaturitate & licentia domeſtica ruit in varias iniquitates. Quinimò vbi illum pater in balneis vidit pubeſcentem, & inquietâ indutum adoleſcentiâ, quaſi iam ex hoc in nepotes geſtiret, gaudens vxori indicauit; gaudens vinolentiâ, in qua te iſte mundus oblitus eſt creatorem ſuum, & creaturam pro te amauit.

Lib. 2. Conf. cap. 3.

Pſalm. 72.

Ezech. 16.

Optimè, vt hoc parentes præcaueant, monet Ambroſius: Naturæ pignora Dei beneficium ſunt, nec quiſquam debet plus amare beneficium quàm benefactorem. Amor liberorum æquus & bonus ſit, tamen ſpiritus Domini debet ferri ſuper aquas. Amor Dei, amori liberorum & cuiuſque rei creatæ præferendus eſt. Et hanc ſibi adeò damnoſam patris indulgentiam S. Doctor volens exprimere, ipſum agricolæ, adoleſcentiam ſuam luxurianti ſegeti, æſtum libidinis ſpinis comparat: quam dum negligens agricultor non euellit, exurgunt in ruinam & ſuffocationem ſegetis. Exceſſerunt, inquit, caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus. Cùm intereà non ſata-

In c. 7. Luc.

Gen. 1.

Lib. 2. Confeſſ. cap. 3.

ſatageret idem pater, qualis creſcerem tibi, aut quàm caſtus eſſem: dummodò eſſem diſertus, vel deſertus potiùs à cultura tua Deus, qui es vnus, verus & bonus Dominus agri tui, cordis mei. Nam veluti terra ipſa, inquit Plutarchus, quo melior eſt naturâ, eo magis corrumpitur ſi negligatur: ita qui ſolùm ſequuntur ingenium ſuum diſciplinâ non excultum (quod in AVGVSTINO per parentis conniuentiam, omnino locum habuit) magnas faciunt in vitia viciſſitudines, & plerumque declinant ad deteriora. Dabat quidem Patritius filio benedictionem, id eſt, amore proſequebatur; ſed benedictionem inuerſam, qualem Iſaac Eſau ſuo impertiuit: *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* Potiùs illi pręſentia quàm futura, terrena quã cæleſtia, proſperitatem corporis quàm animæ optauit. Si qui verò paterno affectu filiis bene precantur, aiunt cum Iſaaco ad Iacob: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ.* Vbi, inquit Tertullianus, animaduertenda eſt ſtructura benedictionis; nã circa Iacob, qui poſterioris populi eſt figura, id eſt noſtri, prima promiſſio cæleſtis eſt roris, ſecunda terrenæ opimitatis: nos enim primò ad cæleſtia inuitamur, cùm à ſæculo auellimur, & ita poſteà inuenimur terrena etiam conſecuti. Hic quartus AVGVSTINO ad ima inferni gradus fuit: nam, vt illud Terentianum habet, *nimiâ licentiâ deteriores ſumus.*

De educat. liber.

Gen. 27.

Lib. 3. cont. Marcion. cap. 24.

Ex

Excesserunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus. Lib. 2. Confess. cap. 3.



Agricolæ nemo non indignatur inerti,
Otia quò premitur læta terente seges.
Et quisquam patri parcat, qui Cypridos inter
Extingui sentes pignora cara sinit?

§. II.

§. II. *Verecundè admodum & circumspectè loquendum de parentum & Superiorum defectibus.*

NOn latebat AVGVSTINVM, cùm libros Confessionum scriberet, largiter à parente suo peccatum, qui instar otiosi & inertis rustici, agrum cordis filij sui siuerat siluescere, nec lolia & vepres curauerat euellere, in securitatem nascentis segetis: tamen ita latenter & indirectè hoc S. Doctor insinuauit, vt potiùs de externis quàm domesticis, de ignotis quàm parentibus loqui videatur. Excesserunt, inquit, caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus; & multa eiusmodi. Vt intelligas emũctorium quidem candelæ super candelabro positæ fuisse, sed aureum. Id quod olim præcipiebatur, vt in templo emunctoria essent ex auro purissimo; quo innueretur correctionem Superioris debere ex auro sapientiæ & discretionis procedere. Et quidni ita fiat? maledictionem in se paternam experiantur cum Chamo, qui ausi fuerint reuelare verenda parentum suorum. Obseruo ex verbis S. Ignatij: Dathan & Abiron Moysi resistentes, viui ad inferos depositi sunt; rebelles illos, & Superioribus suis obtrectantes non simplici aliquâ damnationis pœnâ fuisse multatos, sed viuos depositos ad inferos, quasi ad tempus, donec commodior expiandis istis tam enormibus delictis locus appararetur. Videtur similitudo translata à modo sepeliendi magnos & nobiles viros, quorum cadauera tantisper alicubi in capella deponuntur, dum monumentum illis dignum fiat, pompa funebris commodè adornetur; aut, si peregrè obierint, inferantur in sepulchra patrum suorum. Vt mirum non sit, etiam viros regiâ dignitate excellentes, parentibus tamen detulisse. Vt pium & sanctum filium decet, hac in re ostendit se Dauid erga socerũ suum. Cùm enim inscribendus esset Psalmus decimus septimus, ait: *In finem puero Domini, qui locutus est Domino verba cantici huius, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium ini-*

DOMINICA II. post Epiphaniam.

Lib. 2. Conf. cap. 3.

Exod. 25.

Gen. 9.

Epist. 5.

Titul. Psalm. 17.

micorum eius, & de manu Saul: ipsum inter inimicos non collocauit, nec infami hac nota nomen & regis & parentis, inquinare sustinuit. Hanc obseruationem Theodoreto debemus, qui ad hunc tituli locum ait: Vatis philosophia admiratione digna est; cùm enim tot insidias à Saule sustinuisset, non cum inimicis eum numerauit. Verùm cùm ab hostibus eum separasset, non tamquam de inimico mentionem fecit. Id nempe pietas à filio, obedientia à subdito exigebat. Et hanc vicem quoque illi Deus rependit, cùm per Nathan Prophetam, perpetrati homicidij adulterijque admonendus foret. Titulus enim Psalmi quinquagesimi: *In finem, Psalmus Dauid, cùm venit ad eum Nathan Propheta*, siue, vt Hebræi legunt, *quando ingressus est ad eum*. Vox, *ingressus*, inquit Eusebius Cæsariensis, ostendit quòd non præsente aliquo, neque coram vniuerso populo redarguit. Hoc Deus Dauidi quà regi, deferebat, vt non coram suis subditis confunderetur, sed secretò sceleris argueretur. Idem videre est in filijs Aaron, quos Deus subitâ morte puniuit propter oblatum alienum ignem: sed peccati illius tam sacerdotes dedecentis, quale est ebrietas, textus non meminit, ne honor sacerdotibus debitus apud populum minueretur. Id ex Rabbinis annotauit Oleaster ad illum locum Leuitici: *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij.* Considera Dei sapientiam, quàm latenter arguat suorum sacerdotum peccata: non enim dicit se iuuenes occidisse propter ebrietatem, sed prohibendo id in quo peccauerant, latentis peccati eos arguere videtur.

Tit. Psal. 50.

Oleast. in Leuit. cap 10.

Peccauerant aliquando & ipsi Moyses & Aaron; dixitque ad eos Deus: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis eos in terram quam dabo eis*; sed secretò, & non nisi remotis arbitris. Crediderim enim, inquit Oleaster, hæc illis Deum clàm dixisse; neque nisi per Moysen hæc populo innotuisse. Hinc collige quanta

Num. 20.

ta cura filijs ſubditisque incumbat, quanta eos teneat obligatio, ne vmquam parentum vel Superiorum defectus protrahant in lucem, nedum illos exaggerent, & apud alios exoſos reddant. Si quidpiam detegendi tanta incumbat neceſſitas, vt differri non poſſit, fiat cum verecundia & maxima diſcretione. *Loquimini ad petras*, id eſt, eminentes ſtatu & conditione perſonas, *& dabunt vobis aquas*, dabunt id quo facti iniquitas diluatur: nolite tamquam increduli vel irreuerentes virgâ linguæ & indiſciplinati oris percutere. Conflate potiùs gladium correptionis in vomeres, & haſtam in falcem, quò admonitio meſſem fructificet. Apoſtoli non tantum, quantum ab illis Chriſtus exigebat, profecerant in fide, ſtatuitque illos iſtius admonere; ſed quia conſtituendi erant rectores populorum, & principes ſuper omnem terram, iuſſit eos nauem conſcendere, ſeduxitque à terra, cumque validus ventus ingrueret, & nauis operiretur fluctibus, incœperunt illi imbecillitatem fidei ſuæ prodere; tum verò Chriſtus illos monet: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* hic reſpectus illis non ſuâ, ſed ſubditorum causâ debebatur.

Ibidem.

Iſa. 2.

Matth. 8.

§. III. *Quanta ſit parentum obligatio corripiendi filios delinquentes.*

SI quis filiorum paulò attentiùs conſideret, quanta parentibus cura neceſſitasque eos bene educandi, quos genuerunt, incumbat; non facilè benè monentibus obſtrepet, aut ſolicitudini eorum indignabitur. In primis namque, vt Apoſtolus ait: *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet*, vt tum corpori, tum animæ proſpiciat, *fidem negauit*, non ſono verborum, ſed executione operis. Deus enim, ipſaque fides dictat illud Iſaiæ: *Domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris*; ſi quis verò id egerit, *eſt infideli deterior*. Infideles enim ipſius naturæ inſtinctu liberorum curã gerunt, nec ſatis habent vt ſint, ſed vt benè ſint. Quis namque ſeipſum, vel partem negligat ſui? At quiuis pater viuit in filio:

1. Tim. 5.

Iſa. 58.

ſi verò filij ſolicitudinem deponat; ſuiipſius obliuiſcitur: quod de nullo Scytha vel Thrace exiſtimandum eſt, cùm omnia viuentia vſque ad lumbricos, & viliſſima animalcula, eſſe ſuum conſeruent. Vnde ſequitur parentes lege naturæ adſtrictos, vt non modò de ijs quæ corporis conſeruationem & vitæ commoda concernunt, proſpiciant, ſed in primis ea quæ animum ſpectant, ipſis inſtillare procurent. Si enim liberi per parentum pernicioſam indulgentiã corrumpantur, fruſtra eſt reliquus omnis labor & cura. Quod illi, qui iuuentutem docent, quotidie experiuntur. Inquinetur domi puerorum indoles, atque in amplexibus gremioque matris vitioſi mores inualeſcant, quos ipſa ſæpè etiã riſu approbat; difficillimè in ſcholis, cùm iam in grandibus cœperit diſplicere quod in puerulis placuerat, emendatur. Vbi, quod longè adhuc intolerabilius, ſi quid puer peccat, indulgentiâ eâdem cura ac imperium magiſtri inhibetur. Pœnas ſi det meritò ac vapulet, exclamat atque occurrit mater,

Prouocatur pædagogus. Eho ſenex minimi pretij,
Ne attigas puerum iſtâ causâ, quando fecit ſtrenuè.

Si quid peccat,

Mihi peccat: ego illi maximam partem feram.

Interim fortunæ ſuæ puero, & vires patrimonij clàm inſtillantur, quæ & proteruiam augent, longiusque animum à ſtudijs abducunt.

Reprehenditur in Euangelio illa parentum ſolicitudo, quâ ad promotionem filiorum feruntur, atque omnibus modis ſatagũt, vt ad dignitates conſcendant, opulenta connubia ineant; mores interim ſilueſcere ſinunt. Candidatã agebat, & intempeſtiuæ ambitioni deſeruiebat mater filiorum Zebedæi, dum Saluatorem noſtrum rogabat: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus à dexteris, alter à ſiniſtris, in regno tuo*; ideoque acerbius reſponſum retulit ſuo & filiorum nomine: *Neſcitis quid petatis.* Non enim ille impensè liberos

Matth. 20.

ſuos

ſuos diligit, qui ampliſſima patrimonia ſedulus quærit, ſed qui accuratè inſtituit, votis modum ponit, & per ſeuerioris diſciplinæ obſeruantiam illos vult proficere. Ezechielis tertio dicitur: *Si, dicente me ad impium, Morte morieris; non annuntiaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via ſua impia, & viuat; ipſe impius in impietate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Quod omnibus quidem hominibus aliorum curam gerentibus reſpectiuè imperatum eſt: tantoque magis parentes ligat, quanto illi propiùs ex ſe genitos contingunt. Deinde alibi minatur Deus repetiturum ſe ſanguinem humanum de cunctis animantibus quæ illum hauſerint: & animas, potiorem hominis partem, patietur perire impunè, nec petet illas ſibi reſtitui ab eis, quorum fidei prouidus pater commiſit? Petet reuerâ, & quidem valdè ſeuerè, quemadmodũ cum Heli ſacerdote rigidam rationem inijt, quem cum filijs vitâ exuit, poſteritatem ſacerdotio exauctoratam paupertate multauit. & hoc ideo, quia Heli nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuit, eo ſcilicet modo quo debebat. Cùm enim fama ad eum pertuliſſet, quod paterna cura debebat indagaſſe, (quod idem de Sylla cognomento Felice traditur, qui cùm vxorem haberet palàm impudicam, non priùs tamen illud ſciuit, quàm per conuicium ab hoſtibus audiuiſſet: qua de re D. Hieronymus inquit, Nouiſſimi mala noſtra diſcimus) corripuit quidem Heli filios ſuos, ſed non eâ quâ par erat ſeueritate & auctoritate. Nam cùm non modò Sacerdos, ſed etiam Iudex eſſet totius populi, accuratiore equidem & feruentiore inquiſitione opus erat contra impudẽtiſſimos profligatiſſimoſque adoleſcentes; nec verbis, ſed pœnis in illos animaduertendum. Amor, qui liberorum grauiſſimas culpas impunitas eſſe ſinit, amor verus non eſt, ſed odij inſtar obtinet; odij, inquam, in Deum, in rempublicam, in ſalutem honoremque filiorum: quos omnes ſummo dedecore afficit, qui leges publicas peſſumdari priuato affectu

Ezech. 3.

Gen. 9.

1. Reg. 3.

Lib. cõt. Iouin. ſub finẽ.

affectu permittit. In ceteris quidem Heli vir præstantissimus erat, & quem Chrysostomus scribit sine querela rexisse Hebræos, imò tantis virtutibus claruisse, vt admirandus in ceteris videretur. Et tamen, quia, inquit, illi cura non fuerat & diligentissima & vehemens salutis liberorum; nihil excusare eum potuit, quò minùs & miserè & infeliciter periret. Et quamuis diu iudicauit Israel, *nomen inter iudices non obtinuit*, quia non talem se erga liberos præbuit. Meliùs fuisset secutus hoc consilium Sapientis: *Erudi filium tuum, ne desperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.* Quasi dicat, Si habes filium proteruum & inobsequentem, seuerè admodum corripe, & prauos illius mores compesce: & licet subinde aliquam in te contumeliam effundat, (vti solent hi qui maiores natu parentum correptiones aspernantur) ne propterea cesses, aut desistas: hoc enim filiorum proteruiam & inobsequentiam plurimùm alit; quin potiùs vrge, & filij impudentiam nouo supplicio vlciscere, donec tandem acquiescat, & correctionem æquo animo ferat. *Quia stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* id est, stultitia in corde quorumdam filiorũ adstricta, arctiusque innexa est, ex quo fit vt nõ admonitionibus adhortationibusq;, sed virgâ, hoc est verberibus, & acriori correptione reuelãda sit. Ita enim fert quorumdã indoles, vt verba nil sint profutura, nisi accedant etiam verbera. Vniuerso populo peccante, Deus ait ad Moysen: *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auferatur furor meus ab Israel.* Quẽ locum expendens Petrus Damianus: Quid est, inquit, quòd populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum præpositos vindicatur? subditi delinquunt, & principes in patibulis suspenduntur? scilicet alius est qui peccat, alius ille qui vapulat. Cur hoc? nisi quia culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium: & quod ab ouibus erratur, negligentiæ pastoris adscribitur. Et vide quàm formidolosa

lib 3. contra vitup. vit. Monast.

Prouerb. 19.

Prouerb. 22.

Num. 25.

Lib. 1. epist. 15

dolosa sit conditio prȩsidentium, vt non modò pro suis, sed etiam pro subditorum puniantur offensis. Hinc B. Thomas à Villanoua, magnum lumen & columen Ordinis nostri, dicebat, se numquam tantopere timuisse excludi numero Beatorum, quàm dum includeretur numero Prælatorum. Baxius c 14. vitæ.

Meminisse tamen ante omnia oportet illius Paulini: *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Et illius: *Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* A qua re quomodo parentes cauere possint, consilium suggerit Sapiens: *Qui diligit filium, constanter erudit.* Quod alij vertunt, *Qui amat filium, diluculo quærit ei castigationem,* id est, non ex ira, sed animo sedato illum aggreditur. Quod ita dictum est, quia si manè culpas superioris diei corripiat, iam tunc animus, qui delictis calentibus excitatus fuit, depositâ irâ deferbuit. His adde similitudinem S. Anselmi: Vidistis, inquit, aliquando artificem ex lamina auri vel argenti, solis malleorum percussionibus imaginem speciosam formasse? non puto. Imò potiùs vt aptam formam ex lamina formet, nunc eam suo instrumento leuiter premit, ac percutit, & postmodùm planat; deinde leuamine læuiùs leuat, & informat. Sic & vos, si pueros vestros cupitis optimis moribus ornatos esse, necesse est vt cum pressionibus verberum, impendatis eis paternæ pietatis & mansuetudinis leuamen atque subsidium. Hîc modus præscribitur, qui in castigandis corripiendisque filiis seruandus est; vt scilicet cum verborum ictibus coniungatur & benignior & placidior conuersatio, vt ipsi talibus moribus præeant, qualibus filios suos, vbi adoleuerint, velint præditos conspicere. Audite ex alio capite, parentes, obligationem vestram. Apostolus de principibus & Præpositis populorum ait: *Non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Ex quibus verbis hoc argumentum deducit Petrus Da-

Ephes. 6. Coloss. 4. Prouerb 13. Anselm. cap. 178. Rom. 13.

Lib. 7. epist. 11. mianus: Si Dei, inquit, minister est, qui mala facientes in iram vindicat; diaboli procul dubio minister est, qui animosos & reprobos suauiter palpat. Et sicut Deo præbet obsequium, qui peruersos vlciscitur: sic minister est aduersarij, qui perpetrantibus iniqua blanditur. Dæmonis ergo partes illi parentes agunt atque tuentur, qui falsâ pietate erga liberos affecti, eorum vitia se videre dissimulant, qui seuerè corripiendi erant. Non absque mysterio turtures

Leuit, 1. & pulli columbarum iubebantur olim sacrificari retorto ad collum capite, id est, rostro ad alas reducto: vt indicaretur hoc quasi signo hieroglyphico, non satis esse, Prælatos & parentes ipsos benè viuere, sed eos oculos suos in subditorum & prolium mores reflectere, verbisque & aliis modis ad pietatem virtutemque efformare debere. Multi,

In Marc. inquit Hieronymus, benè agunt, sed non benè corrigunt, vt fuit Heli: & multi benè corrigunt, sed non benè agunt, vt fuerunt Scribæ & Pharisæi, qui sedebant super cathedram Moysi. Vnde os turturis in lege ad axillas retorqueri iubebatur: ne separetur os ab opere, nec opus nostrum diuidatur ab ore. Verissima certè illa sententia est, quâ dicitur facti culpam habere, qui quod potest negligit emendare: aut, vt Seneca ait:

In Troad. *Qui non vetat peccare, cùm potest, iubet.*

CA-

CAPVT QVINTVM.

§. I. *Tandem* AVGVSTINVS *in hæresim Manichæorum prolapsus est, quæ illi postremus ad profunda inferni gradus fuit.*

THEMA CONCION.

Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19.

ID egit diabolus cũ AVGVSTINO alijs alijsq; modis, vt mente esset quàm corruptissimâ, quæ varijs cupiditatibus vitijsque ageretur, quò tandem incautum iuuenem funditùs peruerteret, prauas de Deo atque fidei mysterijs opiniones ingereret, atque suffosso quasi fidei fundamento, totum Christiani hominis ædificium demoliretur. Nam sicut bona & incorrupta mens, facilè fidem & sanam doctrinam haurit: ita mala & corrupta in hæresim, magiam, aliosque errores incurrit. Ausimque dicere, vix aliam in apostatis defectionis à fide nostra esse caussam, quàm vitam flagitiosè actam, & mores malos. Vnde Belgicè hæreticum, **ketter**, quasi **etter**/ id est pus, vocamus, hominem putidis, purulentis & corruptis moribus. Sed quia ingenio erat admodum perspicaci & animo ad veritatis disquisitionem infatigabili, vt de se cùm varijs locis, tum libro de Vtilitate credendi scribit: Veritatis, vt scis, ab ineunte adolescentia magno amore flagrauimus. antiquus ille generis nostri aduersarius dolum fraudesque, instar experientis aucupis, incauto struere aggressus est. Quamprimùm, inquit S. Ephrem, capta à dæmone fuerit anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, sicut perdix comprehensa, pro esca illis proponitur quæ laqueo non-

Lib. de vtilit. credend. c. 1.

De certa viuendi rat.

nondum captæ ſunt: circa illam enim auceps laqueos figit, vt voce ſuâ perdix reliquas circumuolantes in naſſam pelliciat. Obtulit igitur illi hæreticos, blandum & fallax hominum genus, qui nihil niſi veritatem creparent, à veritate tamen ipſa quàm remotiſſimi forent. In quorum ore la-
Lib. 3. Conf. cap. 6. quei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarũ nominis tui, ſed & Domini Ieſu Chriſti, & paracleti conſolatoris Spiritus ſancti. Hæc nomina omnia non recedebant de ore eorum, ſed ſono tenus & ſtrepitu linguæ; ceterùm cor inane veri. Et dicebant: Veritas, & veritas; & multi eam dicebant mihi; & nuſquam erat in eis, ſed falſa loquebantur. Nempe veluti auibus famentibus eſca medicata, quâ pereant, obijcitur: ita AVGVSTINVS ſpecioſis illis titulis, ſtudioſus quidem veritatis indagator, ſed nonnullorum in ſchola doctorum hominum diſputationibus ſuperbus, ineſcatus eſt, iuxta illud Dauidicum: *Virum iniu-*
Pſalm. 139. *ſtum mala capient in interitu:* vel, vt Chaldaicè eſt, *Virum prauum & malignum venabitur Angelus mortis, & detrudet in gehennam.* Quæ diaboli fraudes ſequenti Emblemate tantillum exprimuntur.

Experientiâ didicit AVGVSTINVS idem ſibi accidiſſe,
Ierem. 41. quod octoginta illis viris, *qui raſâ barbâ, & ſciſſis veſtibus, & ſquallentes, & munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini*, fecit Iſmahel filius Nathaniæ. Quærebant illi loqui Godoliæ filio Ahicam; hunc Iſmahel occiderat, & tamen *egreſſus in occurſum eorum, incedens & plorans ibat: dixitque*
Apoc. 19. *ad eos: Venite ad Godoliam.* Similiter meretrix illa Babylonica hæreſis, quæ terram corrupit in proſtitutione ſua, AVGVSTINO veritatis alloquium deſideranti occurrit: & quamuis illam è medio ſuſtuliſſet, pollicita eſt tamen ſe copiam illius facturã. Interea *cùm veniſſent ad medium ciuita-*
Lib. 3. Conf. cap. 6. *tis, interfecit eos Iſmahel.* Nec mitiùs cum miſero illo hæreſis egit. Offendi, inquit, in illam mulierem audacem, inopem pru-

prudentiæ, ænigma Salomonis, ſedentem ſuper ſellam in foribus, & dicentem: Panes occultos libenter edite, & aquam dulcem furtiuam bibite. Quæ me ſeduxit, quia inuenit foris habitantem in oculo carnis meæ; & talia ruminantem apud me, qualia per illam voraſſem. Prouerb.9.

In quorum ore laquei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum. Lib. 3. Confeſſ. cap. 6.



Fiſtula dulcè canit volucrem dum decipit auceps,
Et fallax panſis additur eſca plagis:
Sic animas ſacri luſas dulcedine VERBI,
Hæretico Dæmon ſuauè ſonante capit.

Et hæc postrema AVGVSTINO ad maximam dissolutionem miseriamque promotio fuit. Quænam enim illi operario spes superest, cui artis instrumenta auferuntur, quibus antè vitam tolerabat, sine quibus nihil deinceps lucrifacere potest? Capitale salutis nostræ fundamentum est fides, sine qua est impossibile placere Deo. Hebr. 11. Instrumenta sunt Sacramenta, quibus quisquis per hæresim exuitur, desperatissimam miserrimamque vitam agit. Etiamsi nos in alia atque alia peccata labi contingat, adhuc bona emendationis & veniæ spes superest, quamdiu in Ecclesia, cui ligandi atque soluendi potestas commissa est, manemus: Matth. 16. at hanc si per apostasiam deserimus, vel per infidelitatem non intramus, nosipsos manifesto pereundi periculo committimus. Si magnus ille paterfamilias propter iniquitates nostras, & Lucæ 16. præcipuè superbiam, auferat à nobis fidei villicationem, nec ampliùs quidpiam in Ecclesia mereri possimus; quid spei reliquum est, nisi vt ad incitas redacti, & prorsus desperabundi, cum seruo iniquitatis dicamus: *Quid faciam*? Serpentem scribit Chrysostomus totum corpus tradere ad Hom. 43. in scindendum, nec minimum curare, dummodò caput inte- Matth. grum retineat. Totius rei Christianæ caput est fides, quod nisi sartum tectumque seruemus, perijmus, ilicet, de vita animæ conclamatum est. Annon huc clementissimus salutis nostræ instaurator respexisse putandus est, quando assec- clas suos monet: *Estote prudentes sicut serpentes*? Matth. 10. Etiamsi reliqua omnia amiseritis, vel solam fidem sanã integramque retinete: spes est conualescentiæ aliorum vulnerum, si caput non nutet. Nisi in eo huius similitudinis vim constituas, quòd, veluti serpens ingrauescente ætate arctam fissuram in petra quærit, veteremque in angustijs leberidem, id est pellem veterem, quam inde & spolium vocant, exuit, & reuirescit; ita nobis curæ esse debeat, vt *arctam viam quæ ducit ad vitam*, Matth. 7. insistamus: & pressuram pœnitentiæ lubenter subeamus, quâ intus in animo renouati, veterem Adamum deponamus.

ponamus. Et hoc pacto miser ille ad portas mortis, & profunda inferni descendit. Primò, vt diximus, prauâ & in malum inclinatâ voluntate; secũdò, dilatione baptismi; tertiò, peruersâ sæculi & sociorum consuetudine; quartò, nimiâ patris indulgentiâ; quintò, hæresi, quæ agmen omnium infelicitatum iure suo claudit.

§. II. *Traduntur aliquando docti, sed superbi, qualis* AVGVSTINVS *tum erat, in reprobum sensum, vt etiam absurda de Deo & mysteriis fidei credant, veriq; in animo fiant hæretici.*

DVM aliqui doctrinâ eminentes, & dignitate conspicui per apostasiam è gremio Ecclesię Catholicæ excidunt, quærere & inter se disserere vulgus fidelium solet: An eiuscemodi etiam homines id in animo sentiant, quod præ se ferunt? An verè cœlibatum damnent? sacrilegas nuptias probent? An credant Christum verè & realiter non esse in Eucharistia? confessionem, ieiunia, aliosque laudabiles Ecclesiæ ritus superstitiones tãtùm esse, & institutiones merè humanas, licèt id profiteantur apud hæreticos ad quos transfugerunt? Existimabant enim propemodum impossibile, vt illi è tam sublimi ruerent præcipites; quin cum Poëtis secum aliquis dicet:

Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 7.

In caput alta suum labentur ab æquore retrò
Flumina, conuersis solq; recurret equis,
Terra feret stellas, cælum findetur aratro,
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas,

citiùs, quàm vt ille Catholicam fidem eieret, quam non semel publicè professus est, alios docuit, toties deprædicauit; & in placita transeat hæreticorum; quique in Ecclesia cùm auctoritate præerat, extra illam sedeat in ordinẽ redactus. Et tamen verè sic res habet. Lapsi sunt ex alto Christianæ dignitatis gradu, quia nimis eleuatum fuit cor eorum in decore suo: quod de Lucifero interpretatur Hieronymus; perdideruntque sapientiam, vt scilicet absurdas, & communi

Ezech. 28. 17.

homi-

hominum ſenſui repugnantes ſententias amplecterentur. *& in terram proiecti ſunt*, id eſt terrenis hæreticorum commentis, quorum vita cœnum ſapit, non cælum, pertinaciter adhæſerunt. Quia in ciuitate parua, per quam humilitatem intellige, ſaluari non voluerũt, (quod vt ſibi fieret, Angelos Loth obnixè rogabat) incendio Sodomæ abſumpti, id eſt fœdo libidinis æſtu, quem hæreſes nullâ lege coërcent, imò dilaudant, & continentiam impoſſibilem eſſe decernunt, conflagrarunt. Illis non ſecùs atque Icaro accidiſſe dicendum eſt, de quo Ouidius:

Vide lib. 7. Confeſſ. c. 10. & 14.

Gen. 19.

Quid fuit, vt tutas agitaret Dædalus alas,
Icarus immenſas nomine ſignet aquas?
Nempe quòd hic altè, demiſſiùs ille volabat.

Lib. 3. Triſt.

Ita dum nimiâ ſuperbiâ efferuntur, ſibi viam ad lapſum præſtruunt, vniuerſamque aliquando terram & maria tetro peſſimi nominis odore complent.

Habebant ſcientiam, ſed charitate deſtitutam: & quid hæc niſi dux in præceps? quid niſi ipſe caſus & mera perditio? *Scientia*, inquit Apoſtolus, *inflat, charitas ædificat*. Sed mira interim hæc antitheſis eſt, inflationis & ædificationis. Nónne potiùs cũ diceretur: *Scientia inflat*; opponendũ erat, Charitas ventũ ſubducit, vel animum deprimit? Aut ſi præmitteretur: *charitas ædificat*; ſubiungendum fuerat, Scientia deſtruit? Sed non potuit ille qui intus diuino numine agebatur, hæc ignorare: maluitque elationẽ ędificationi opponere; quia illa non minùs ab illa quàm ipſa diſtat deſtructio; videnturque eſſe ſynonyma, ſuperbè doctum eſſe, & deſtructum ſiue lapſum, quia elationi caſus intrinſecùs eſt vnitus. Ideoque ſapientes & doctos, inquit AVGVSTINVS, voco, non cordatos & ingenioſos homines (quamuis hi vulgò pro talibus habeantur) ſed eos quibus ineſt, quãta ineſſe homini poteſt, ipſius hominis Deique firmiſſimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moreſque congruentes. An Phariſæis tempore Redemptoris noſtri, lex aut ſcientia deerat,

1. Cor. 8.

Lib. de vtil. creden. c. 12.

erat, vt non possent, si modò voluissent, & veri Messiæ aduentum cognoscere, & ipsum, si adforet, populis demonstrare? Nihil minùs. Nam ab Herode interrogati accuratè de loco natiuitatis, responderunt ex illo Prophetæ loco:
Mich. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Et postea auditis ijs, quæ à Ioanne
Gen. 48. ad Iordanem gerebantur, animaduersoque quòd sceptrum
Dan. 9. à domo Iuda translatum esset, & ad finem hebdomades
Ioan. 1. Danielis vergerent *Miserunt* ad eum *Sacerdotes & Leuitas ab Hierosolymis, vt interrogarent eum: Tu quis es?* Numquid tu non es promissus in lege Messias? numquid non tu ille es, qui restitues regnum Israel? Cur tamen & ipsius Ioannis testimonio manifestatum, & miraculis diuinitatem suam afferentem, non receperunt? Quia auaritiæ & ambitioni impensè studebant, quia superbia illos transuersùm agebat. Cùm enim Dominus noster, vera & vnica populi sui salus, fauore apud populum cresceret, tum ob vitæ sanctimoniam, & doctrinæ puritatem, tum propter assiduas omnium morborum curationes; inito illi conciliabulo dixe-
Ioan. 11. runt: *Quid facimus: quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Ecce genuinam non modò repudiationis veri Messiæ causam, sed & mortis eius; quia licet Pharisæi doctrinâ excellerent, superbiâ nimiũ tumescebant. Pestis illa omnium pessima altissimas cedros Libani semper cõuulsit, hęc vna auctor omnium omnino hęreseωn extitit. Hæc eadem quæ Arium, Donatum, aliosq; innumeros priscis sæculis hæresiarchas constituit, nostro superiorique sæculo Lutherum, Caluinum, ceterosque eiusdem fæcis homines Ecclesiâ eiecit, & in architectos synagogæ Satanicæ promouit. Superbia si exulauerit, nullæ in orbe
Cap. 3. Viæ duc. hæreses reliquæ erunt. Pleræque enim omnes è vana regnandi libidine, inquit Athanasius Sinaita, auaritia, ho-

minibus

minibus placendi studio, *superbia*, profluxerunt. Et hæc seueritas est iudiciorum Dei, vt crimina criminibus vindicentur, & supplicia peccantium non tantùm sint tormenta, sed & vitiorum incrementa. Vt alios silentio prætercam; quis credidisset Henricum VIII. Angliæ regem, tam absolutæ inter principes eruditionis, & inter eruditos principem; qui etiam stylo rem pro Ecclesia contra Lutherum gesserat; qui tam prono in Sedem Apostolicam, & à maioribus per tot sæcula continuato affectu ferebatur; & qui vicissim, tamquam vnigenitus matris, à Christi diligebatur vicario, auctusque erat honorifico *Defensoris fidei* titulo; tam turpiter aliquando lapsurum? qui antea mansuetudinis & clementiæ laude eminebat, in optimos fidelissimosque regni proceres desæuiturum; nisi præ superbia, & libidinis impotẽtia, stare iudicio Romani Pontificis renuẽs, ipse caput Ecclesiæ audire maluisset? Etiamnum animo inhorreo, quoties Tertullianum, Origenem, Luciferum Calaritanum, Hosium cogito: quos nec tãti ingenij dotes, tam immensa eruditio, tam manifesta anteactæ vitæ innocentia à lapsu continuit. De hæreticis quoque in mystico sensu D. Hieronymus illud Dauidicum intelligit: *Decidant*, quod non imprecatiuè, sed enunciatiuè dicitur, *à cogitationibus suis secundùm multitudinem* superbiæ suæ, atque à malo in peius ruant, & existentes in sordibus, sordescant adhuc. Sed quid est *decidant à cogitationibus suis*? quænam sunt hæ cogitationes, à quibus cadere debent hi? Qui mores & intentiones superborum agnoscunt, facilè attingent cogitationes eorum. Quid enim superbus & elatus nisi superba & elata nouit cogitare? Non secundùm merita cogitat, sed potiùs secundùm cogitationes suas merita sua metitur. Quid enim in causa fuit, quòd & Apostoli, antequam Spiritus sancti aduentu in humilitate perfecta firmarentur, primas in regno Christi sedes ambirent, cùm pauperes piscatores quidam eorum priùs extitissent? Sanè per-

Augusti. lib. 5. cont. Iulian. cap. 5.

Anno 1534.

Psalm 5.

Bruno citatus à Lorin.

Apoc. vlt.

Matth 20.

persuadere sibi debuerunt, quòd nescio quâ ratione moti, ad tantas sedes possent meritò aspirare. Sic itaque ascendunt superbi ad cor altum, ad mentem altam, ad cogitationes sublimes, eleuantes se supra se, præsumentes altiora quàm postulet iustitia, postulet ratio: vt his propterea casum & ruinam annuncians, dicat Dauid: *Decidant à cogitationibus suis*. Ipsi cogitabant ascendere sine merito; meritò ergo descendent, cadent, & prorsus corruent.

Carol. Scriban.

Et nescio quomodo contingat, quòd facilior ab omni vitio reditus ad virtutem, & Deum, à quo excidimus, pateat, quàm ab vna superbia. Quasi reliqua crimina, hominum sint; superbia dæmonum: reliqua carne finiantur; hæc Deum petat: reliqua medicam aliquando dexteram admittant; & vel inter aduersa, vel cum ætate & morbis aut aliorum exemplis remittantur & cadant; sola superbia vllam ferè medicinam nolit, nec monitis cedat, nec exemplis, siue hæc in terrorem, siue in præmiationem proponantur. Credas igitur superbi pectus, tamquam ferrum malleis, aduersis indurescere. Atque huc referendum est quòd nullos hæresiarchas, excepto vno Berengario, legamus seriò vmquam pœnituisse. Stante enim superbiâ, quæ illos sibi obnoxios habebat, hæresim numquam relinquere potuerunt. Vt nihil de ijs dicam, quorum nostro hoc sæculo sapientia huc collimat, vt ijs, quæ in Catholica religione paulò grauiora videntur, cõfessione scilicet, ieiunio, pœnitentiâ, & similibus abscissis; ac prætextu in Deum fiduciæ, timore eius extenuato, omni religione seipsos, Dei iam securi expediant, atque ad extremum nullum esse Numen asseuerent. Nec mirum, cùm hæresis, teste Dionysio, defectio sit à summo bono, si pondere suo, imbecillitateque suâ semper in aliud malum prolabatur.

Corn. à Lap. in cap. 6 ad Hebr.

De diuin. nomin. c. 4.

Propter eamdem superbiæ culpam, quia non Deo sed sibi suam doctrinam Gentiles arrogarunt, gratiasque illi agere neglexerunt, in fœdum idololatriæ vitium proruerũt.

Com-

Commutauerunt, inquit Apoſtolus, *veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.* Rom. 1.

§. III. *Quantopere cauendum, maximè iunioribus, à ſocietate & commercio hæreticorum.*

SI omnis ſocietas mala in primis iuuentuti cauenda eſt; eoque ſtudioſiùs, quo maius periculum bonis moribus impendet; quàm ſolicitè aduigilandum, ne cum hæreticis vmquam familiaritatem ineat, aut liberiùs cum ijs conuerſetur, quibus conuiuere & commiſceri non minori periculo infectionis animæ poteſt, quàm peſtiferis, contagionis corporalis. Veriſſimum hîc illud Eccleſiaſtici: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Quàm enim hæretici ſordidi, quàm picei & ſcabioſi! Quales ſint dicat Apoſtolus, *Hoc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem abnegantes.* Inter tot ſcelerum exempla quis integer & ſecurus perſiſtat? Ipſum ferrum, licèt inuictiſſimum, quod etiam alia omnia metalla domat, ſi diutiùs terræ infigatur, paulatim exeditur, & in terrenam ſubſtantiam propter ſocietatis commixtionem tranſit. Inſtanter hac de cauſa orat Dauid: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me*, id eſt, ne ſinas mihi ſuperbos appropinquare, ne ſuâ me contagione inficiant, & ſuperbo deinceps gradu, quemadmodum illi, incedam. *Et manus peccatoris non moueat me*, id eſt, neque exempla, neque eloquentia impiorum me ad malum proritet. Manus namque apud Ægyptios operis inprimis hieroglyphicum eſt, & Moyſes, vt indicaret refractariam illam gentem mira vidiſſe, quæ Dominus pro populo ſuo e-

Dominica VII. poſt Pentec.

Eccli. 13.

2. Timoth. 3.

Pſalm. 35.

Vide Pieriũ in Hierogl.

Exod. 14. diderat, ait: *Viderunt Aegyptios mortuos, manum magnam quam exercuerat Dominus.* Deinde etiam, teste Pierio, eloquentia latè diffusa, per dilatatam manum ostendebatur, Dialectica per manum complicatam, siue pugnum. Perinde igitur est, *Manus peccatoris non moueat me*, atque, ne exempla, nec blandiloquentia impiorum me de gradu deiiciat, aut communione sceleris inuoluat.

Mala faciliùs discuntur quàm bona, & citiùs vel vnum pomum putridum centum recentia corrumpat, quàm centum integra vni corrupto medicentur. Longè facilior imitatio mali est, & quod natura suopte motu appetit, vehementiùs in id incumbit, si habeat adhortatores & exempla. Neque quispiam hîc mihi prudentiam firmitatemque animi sui prætendat, nimiumque virtutibus suis tribuat. Timuerunt ipse Ioannes Euangelista, & Antonius sanctissimus ille eremi incola: quorum prior in eodem cum Cerintho hæresiarcha balneo lauari non sustinuit; atque suos

Epist. 2. monuit: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum*, ne quempiam instar pestilẽtis, venenato halitu inficiat, *nec Aue ei dixeritis.* Alter sic exe-

Athan. in vita eius. crabatur, propter periculum contagionis, Arianos, vt integro ab ijs agro semper vellet distare, diceretque sæpiùs: Hæreticorum & schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, (loquebatur discipulis) quòd nullus mihi pacificus sermo cum eis vmquam fuerit. S. Ioannem, Magistrum suum, imitatus Polycarpus, cùm Romæ Marcioni occurreret, atq; ille rogaret; Agnoscis me? Respondit: Agnosco primogenitum diaboli. Et quis cum diabolico semine velit commercium aut familiaritatem? Horum, Catholici adolescentes, æmulamini fidem, sectamini iustitiam, vestigijs insistite. Non ducent, nisi quò oportet, & maximè vobis expedit. Ne, quæso, blandiùs vmquam quàm par est cum hæreticis conuersemini, nec auidiùs blandiloquentiam eorum auscultate:

ſcultate: neque enim citiùs aut certiùs aliquis apud illos perditur, quàm ſi olfaciant ſua ipſi non diſplicere. *Recedite, à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorun.* Declinent, inquit Cyprianus, fortiter, & euitent dilectiſſimi fratres noſtri verba & colloquia eorum, quorum ſermo vt cancer (contagioſum & exitiale morbi genus) ſerpit; nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, in quibus cum vino latenter aliquando venenum hæreſeos intrat, nulla colloquia miſceantur. *Corrumpunt* enim, teſte Apoſtolo, *bonos mores colloquia mala*: ſintque ab illis tam ſeparati, quàm ſunt illi ab Eccleſia profugi. Cauete in primis, ne ſimulata illa ouina ſpecies, lupinum animum moreſque obtegens, vos decipiat. Non ſunt humiles, ſed fictam humilitatem præ ſe Caluiniſtæ ferunt, extenuant ſe vt lumbrici, quò longiùs gradum promoueant; humiliter irrepunt, vt blandè capiant; molliter ligant, vt latenter occidant.

Num. 16. Lib. 1 epiſt. 3. ad Corn. 1. Cor. 15.

Quibus hæretici ſint ſimiles.

Non malè quis illos cygnis comparauerit, qui quidem candidiſſimi apparent, ſed nigras ſub albis plumis carnes gerunt. Hieronymus per Sirenes, illos intelligit, quia, inquit, illorum eloquia dulcia ſunt carmina, & dulci voce populum decipientia: nec poteſt eorum cantica præterire, niſi qui cerâ aures obturauerit: imitatus catum humanæ ſapientiæ exemplar, Vlyſſem. Minuta quædam animalia, vt ait Phædon, cùm mordent, non ſentiuntur, adeò tenuis illis & fallens in periculum vis eſt; tumor morſum indicat. Idem pleriſque in conuerſatione hæreticorum euenit. Non deprehendunt quo pacto, aut quando ſibi nocuerint; tamẽ nocuiſſe deprehendunt, dum ſentiunt memoriæ neſcio quas ſpecies prauorum dogmatum inhæſiſſe: audaciùs ſacra contrectant, & neſcio quam nauſeam ſentiſcunt in exercitijs auitæ religionis. Societas illorum eſt inſtar aquæ quæ vino miſcetur: nam ſicut vinum ſtatim

In c. 1. Mich.

atque

atque aquâ diluitur, languet, friget, decoloratur, odorem saporemque amittit, atque demũ euanescit; sic ex eiusmodi hominum familiaritate, languet primùm ardor Christianæ pietatis, deinde friget, decolor tandem fit atque insipida omnis virtus. De hæreticis alibi S. Paulus: *Per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.*

Rom. 16.

Rursus similes sunt capris, frutices & exurgentes arbores lambentibus, quas quidem videntur delinire linguâ, & quasi osculari; interea venenum occultè infundunt, seu potiùs antipathiam quamdam, & occultam vim naturalem, quâ arbusta languent & emoriuntur. Dilucidè id insinuat Ieremias: *Lingua eorum dolum locuta est; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.* Nomen Dei, inquit AVGVSTINVS, & nomen Christi audis, in corde non inuenis, & ita miserè deciperis ô Christiane. Pythacium nomen theriacæ præfert, sed nihil nisi capitale virus continet. Quàm speciosus titulus belli rusticani, & fœderis Smalcaldici? Nos congregati sumus, vt Christi Euãgelium liberè profiteamur, eiusque diuinam iustitiam conseruemus: millies hîc acclamatum: *Viuat Euangelium*, & nihil minùs quàm id quod præcipit Euangelium, obseruabatur: nempe obedientia sub legitimis tum Ecclesiasticis, tum politicis Superioribus, pax, charitas, & innocentium defensio. Rebellionis antesignani in Spirensi conuentu has quinque litteras V. D. M. I. Æ. *Verbum Domini manet in æternum*, pedissequorum etiam & stabulariorum manicis opere phrygio intextas ostendebant. Quid poterat speciosius? Caluinistæ nihil nisi Ecclesiæ reformationem quotidie inclamant: & quid eorum synagogâ deformatius? Dumque luculentos illos titulos vbique præmittunt, omnem verum Dei cultum extirpant, sacra profanant, ponunt *Ierusalem in pomorum custodiam, & carnes Sanctorum* & Sacerdotum dant *in escam volatilibus cæli, & bestijs terræ.*

Plin. lib. 8. cap. 50.

Ierem. 9.

August. in Psal. 48.

Psal. 116.

Psal. 78.

Sunt etiam non pauci, quibus hæresis non absimilis videatur

tur pesti: breuissimo tempore vtrumque ad cor penetrat, hominesq; exanimat; vnum prosternit, centum inficit. Nisi probè Catholici Samosatenses id intellexissent, non tanto studio, etiam ipsum Episcopũ, Arianâ peste laborantem, euitassent. Nam, vt est apud Theodoretum, cùm esset in ea ciuitate populus Catholicus, & Episcopus hæreticus Eunomius nomine; concionabatur Episcopus in Ecclesia, sed scamnis & parietibus veriùs, (ita omnes eum vt peste laborantem fugiebant;) nemo ex vrbis incolis, vel pressus egestate, quod maximi miraculi loco duco, (quid enim non suadet & persuadet mali sacra fames?) vel diuitijs affluens, famulus vel artifex, agricola vel institor, vir vel mulier, iuuenis vel senex, ad conuentum Ecclesiasticum, vt moris erat, accedere voluit; sed Episcopus solus agebat. Ibat Episcopus ad balnea, & alios qui fortè aderant, vt secum lauarent, comiter inuitabat: at nemo vmquam ipso præsente locum introiuit; nemo etiam postea, nisi aquâ quâ ille lotus fuerat, eiectâ. Ludebant aliquando pueri in foro, contigit verò vt lusoria pila pedem iumenti, quo Lucius Episcopus, Eunomij sedis & Arianæ hæresis successor, vehebatur, contingeret; continuò omnes clamant, & magno in ipso foro accenso igne, in eum pilam iniiciunt flammis expiandam.

Theod. lib. 4. cap. 14. Anno Domini 370.

Sed & aliud memorabile superioris sęculi exemplum accipe ex Florimundo Ræmundo: vrgebatur rex Franciæ Henricus II. & propè inducebatur à sorore ad recipiendum in fidẽ regiam Melanchthonem hæreticum venire cupiẽtem in Galliam. Hoc impediuit prudens Francisci Cardinalis Turnonij consilium: qui cùm deditâ operâ regem adiisset, in manu tenens S. Irenæi sui in Archiepiscopali cathedra Lugdunensi antecessoris librum, sciscitanti regi quis esset præclarus ille liber, in hæc verba respondit, Verè & meritò præclarum, ô rex, dixisti. Est quippe liber hic vnius ex primis Galliæ tuæ, in Ecclesia Lugdunensi, Episcopis, videlicet S. Irenæi, in cuius libro tres legebam Apostolos, quasi

Lib. 7. de Orig. hæres. cap. 4. §. 4.

pestem fugisse eos, qui veritatem corrumpere vel adulterare conarentur. Inde sapiens ille Prælatus sermonē suum auspicatus est, quem pro rei dignitate necessitateque produxit tantâ vi & gratiâ, vt rex diploma reuocarit, iureque iurando affirmarit se intra Ecclesiæ fines permansurum,
1.Cor.11. Concilijque generalis decisionem expectaturū. *Nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant*: sed sicut tempore pestis omnes fugiunt, sibiq; certatim metuunt, licèt illa bono fine immittatur à Deo, atque ita humano generi sæpè expediat, quòd fæcunditate alioquin laboraret: ita & hæreses, licèt malum necessarium, omni studio euitandæ, ne quem corripiant. Nemo nisi malè sanus cum sicario graditur, quicum capitis periculū adit: nemo mensæ assidet, in qua sibi toxicum in cibis porrigendum prænouit. Semper enim hæretici parati sunt ad pugnas & contentiones in perniciem audientium.
Hieron. in cap. 8. Oseæ.

CAPVT SEXTVM.

Quanta inter statum peccati, ipsumque infernum sit similitudo.

THEMA CONCION.

Descendant in infernum viuentes. Psal. 54.

ENVMERATIS gradibus, quibus ad peccandi consuetudinem descenditur, non dubitauit AVGVSTINVS, experientiâ edoctus, miserrimum peccatoris statum *profunda inferni* appellare; quasi inter profligatum peccatorem ipsosque damnatos nulla aut exigua sit dissimilitudo. Quod ipsum intellexisse videtur ex Dauide: *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit*, id est, ipsum infernum adij, similesque damnatorum pœnas sum expertus. Christus præuidens Pe-
Lib. 3. Confess. cap. 6.
Psal. 87.

trum

trum quidem peccaturum, ſed in peccato non perſeuera-turum, illi prædicebat: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus te*, quia licèt in inferno ſis futurus, tamen lacrymis portas illius dilues, & eluctaberis. Vix enim peccauerat, & ſtatim *egreſſus foras, fleuit amarè*. Iuerat quidem in infernum, ſed portas illius lacrymis fregit, & feræ fornacis carbones extinxit. Hinc S. Anſelmus magis peccatum quàm ipſum infernum horrebat. Scribit enim Edinerus Anglus conuictor eius, eum ſæpiùs dicere ſolitum, Quoniam ſi hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorẽ corporaliter cernerem, & neceſſariò vni eorum immergi deberem; priùs infernum quàm peccatum appeterem. Addit idem eumdem dicere ſolitum, malle ſe purum à peccato & innocentem gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutum cælorum regna tenere. Quod dictum ne quibuſdam extraneum videretur, redditâ ratione temperabat, dicens: Cùm conſtet ſolos malos inferno torqueri, & ſolos bonos in cæleſti regno gaudere; patet nec bonos in inferno ſi illuc intrarent, poſſe teneri debitâ pœnâ malorum; nec malos in cælo, ſi illuc accederent, poſſe frui felicitate bonorum.

Matth. 16.
Matth. 26.
Petrus Cellen. lib. de 5 pan. c 12.
In vita eius lib. 2. cap. 16.
Cap. 17.

Et quis non videat peccatum in quàm plurimis cum inferno conuenire. Infernus, inquit S. Bernardus, quidam eſt & carcer animæ mala conſcientia. Primò, quia vtrumque extremum quoddam eſt & compendium omnium miſeriarum & afflictionum. De inferno canit Eccleſia: *In quo nulla eſt redemptio*, ſcilicet à malis, in quo numquam ab inferendis diris & grauibus tormentis turbæ damnatorum, ceſſabitur. De peccato loquitur Bethſabee ad Dauidem, cùm ſibi filioque Salomoni extremam ab Adonia timeret perſecutionem, expulſionem è regno, paupertatem, mortem: Si tu rex ſinas impunè Adoniam agere, vt per tyrannidem inuadat ſolium regni tui, *erimus ego & filius meus peccatores*, id eſt, excipient nos omnia quæ dixi mala. Quia ſcilicet nihil homini æquè exitioſum atque peccata. Ab hoc fonte omnis

Serm. de Aſſump. B. Virginis.
3. Reg. 1.

omnis calamitas humana deriuatur, nuditas primorum parentum, expulſio à ſede felicitatis, labores, ærumnæ, pariendi dolor, ſeruitus, patiendi neceſſitas.

Secundò, infernus horroris & abominationis plenus eſt; ſimiliter peccatum. Si enim mors corporalis adeò fœda, adeò eſt deteſtabilis, vt quiuis etiam amiciſſimi putreſcẽs cadauer fugiat, & ſine horrore, & vultus mutatione illud ſpectare nequeat: quam non concipiemus peccato ineſſe turpitudinem & abominationem, quod ipſius mortis eſt parens? Parentem plerumque filia, vel vitio, vel virtute exprimit.

Tertiò, in inferno nullus eſt ordo, nulla quies, nulla
Lib. 4. de anima. ſecuritas. Hugo, Infernus, inquit, locus eſt ſine menſura, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, ibi miſeriæ, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali. Similiter ſtatus peccati plenus eſt tribulationis, inquietudinis, timoris & anxietatis. Id olim minatus
Iſaiæ 14. fuerat Deus apud Iſaiam: *Dabo eam*, ſcilicet Babylonem, & illam inhabitantes peccatores, *in poſſeſſionem ericij*, ideſt, complebo conſcientiam illorum, locum aliàs quietis & dormitionis, hamis & ſcrupulis, quibus indeſinenter pungantur & exulcerentur. Tertullianus, Nullum, inquit, maleficium ſine formidine, quia nec ſine conſcientia ſui.
Hom. 3. de verbis Iſaiæ. Chryſoſtomus, Quomodo, inquit, feret peccator conſcientiam redarguentem; acerbam & amarulentam accuſationem vbique ſecum ferens? Quemadmodum enim ſeipſum nemo poteſt fugere, ita nec illam eius curiæ ſententiam. Hoc tribunal non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eò quòd diuinum eſt, & à Deo noſtris
Amos 5. impoſitũ mentibus. Quidni igitur Oſeas peccata amaritu-
Cap. 12. dines; Amos, abſinthiũ vocent? *Ad iracundiam prouocauit me Ephraim in amaritudinibus ſuis. Et, Qui conuertitis iudicium in abſinthiũ.* Abſinthium verè, peccata, & amaritudines. In

pri-

primis, quia amimam vellicant, lædunt, occidunt. Deinde quia qui peccat, Deo quasi absinthium & fel bibẽdum, cum impijs Iudæis propinat. Postremò, quia modicũ mel, & exigua peccati voluptas, æternum fel, doloresque amarissimos peccanti accersit. Hinc Moyses ait: *Vua eorum vua fellis*, &c. Et S. Petrus ad Simonem Magum: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Deuter. 32. Act. 8.

Quartò, conuenit peccatum cum inferno quoad tenebras, quibus perfunduntur: nec est quòd ille qui in alterutro est constitutus, Ægyptiacas vel Cimmerias requirat. Iob testatur de inferno, quòd sit *terra tenebrosa, & operta mortis caligine.* Ad quem locum Gregorius in Moral. scribit: Natura verò ignis est, vt ex seipso & lucem exhibeat & concremationem. Sed transactorum vltrix illa flamma vitiorum concremationem habet, lumen non habet. Annon huc respexit Rex Hebronæus, *Vox Domini intercidentis flammam ignis?* id est, iussu diuino separata est lux ab actiuitate caloris & vrendi; lux sine calore transscendit in cælos, ardor sine luce, sed densissimis inuolutus tenebris, descendit in infernum. Peccatores quoque in tanta calignie versantur, vt solem ipsum, qui vsque adeò toti orbi conspicuus est, videre non valeant. *Supercecidit ignis*, scilicet prauæ cõcupiscentiæ, *& non viderunt solem.* A testimonio ad exemplum. Cùm diu illi flagitiosi senes adulterium animo destinassent, *euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Hac de causa peccatores æthiopes vocantur, ob nigrorem tenebrarum quibus circumfunduntur. *Numquid non vt filij Aethiopum vos estis mihi, filij Israel?* AVGVSTINVM audiamus Deo confitentem: Ambulabam, inquit, per tenebras & lubricum, ideoque, ecquid eram mihi, sine te, nisi dux in præceps? Et quàm tu secretus es habitans in excelsis in silentio, Deus solus magnus lege infatigabili spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Annon ille versabatur

Iob 10. Psalm. 28. Psal. 57. Dan 13. Sophoniæ 2. Amos 9. Lib. 2. c. 18. Lib. 6. cap. 2.

batur in tenebris, apertisque oculis nihil videbat, qui sibi
Num. 22. minitantem stricto gladio Angelum non vidit, quem asina
Iud. 16. vidit & declinauit? Quid Dalila nisi caro nostra? cui cùm
blandimur & indormimus, cum Samsone, animus densâ
caligine inuoluitur, excæcatur. Vide plura sequenti capite.

§. IV.

Quintò, non malè Poëta de inferno:

——Facilis descensus Auerni,
Virgil. 6. Æneid. *Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras,*
Hoc opus, hic labor est.

Verissimum quoque illud de statu peccati, facili negotio in illum descendi, peccata sponte & cum delectatione committi: at difficillimum ad emẽdationem seriam esse regressum. Velle enim nostrum tenet inimicus, & veluti miserrimi captiui in lacu depositi suspiramus quidem ad liberationem & ascensum; sed scalæ quibus ascendamus, desunt. (Lib. 3. cap. 5.) Iuit Iacob cum suis in Ægyptum, blandeque & honorificè à Iosepho, tempore tam famosæ sterilitatis exceptus est: at posteri quàm difficulter, quàm tardè inde se potuerunt expedire? opus erat vi & robore diuino: nec decem plagæ Ægyptios satis docuerunt sapere. (Gen. 46.) Veluti virgo modica cũ voluptate concipit, magno dolore parit: ita peccator scelus numquam consummat, nisi cum luctu & dolore præsenti & futuro. Vide Hieron. in cap. 13. Oseæ v. 15.

Sexto, quòd peccator instar inferni numquam expleatur, licèt tamquam aquam bibat iniquitatem. Vnum peccatum aliud, quasi acus filum inducit. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod numquam dicit, Sufficit: infernus, & os vuluæ,* (mulieris scilicet libidinosæ, qualem fuisse Claudij vxorem feminam impudicissimam memorat Iuuenalis, quę libidine *delaßata quidem, sed non saturata receßit.*) (Prouerb. 30.)
& terra, quæ non satiatur aquâ: ignis verò numquam dicit, Sufficit. Quid hîc de auaro dicam? de quo non minùs verè quàm de hydropico dixeris:

Quo

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ diuitiarum; & cum Tibullo:

Non opibus mentes, animi curæq́ leuantur.

Auarus vir inferno similis est: infernus enim quantoscumque deuorauerit, numquam dicit, Satis est; sic etsi omnes thesauri confluxerint in auarum, numquam satiabitur. Quis honor, quæ dignitas ambitiosi animum impleuit? Si supremum in terris locum consecutus fuerit, de inuadenda cogitat diuinitate. Quis ignorat Herodem, Alexandrum, aliosque Dei nomen non affectasse modò, sed & vsurpasse, atque passos sibi vt victimæ immolarentur? Quibus positis concludo, non minùs à peccato quàm ab ipso inferno formidandum, imò multò magis: quia hic vrere nisi peccatores non potest: peccato abstine, ipsam Ætnam, seu roscidum solum, calcabis impunè.

Lib. de salut. docum. c. 38. est inter opera D. August.

CAPVT SEPTIMVM.

Mala quibus peccatores vt plurimùm cum AVGVSTINO *mulctari solent.*

THEMA CONCION.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. Psalm. 31.

§. 1. *Aufertur illi cor, siue prudentia & consilium.*

NON vltimum malum ex nimia ambitione & libidine AVGVSTINO accidit, quòd destructo cordis habitaculo, cui immorari solet Deus, iuxta Sapientẽ, *Præbe fili mi cor tuum mihi*, eum foris per alias quasuis creaturas quæsierit, nec inuenerit. Iam autem abstulerat illi cor nimia libido, & quo deinceps Deus reciperetur,

Prou. 23.

ciperetur,

ciperetur, non habebat. Velut illos non habere cor dicimus, quos flaccidos, languentes & nauseabundos videmus: ita AVGVSTINVS tepidissimè in negotio conuersionis in initio se habebat: volebat & nolebat, attollebat paulisper caput, & illicò iterum relabebatur: suscitabatur, iamque instabat vt faceret, & iterum differebat, Sine modò, sine adhuc paulisper. Et vnde hoc illi, nisi quia corde priuatus erat? Testis huius luculentus est O-
Cap. 4. seas: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor*. Et, *Vinum*
Eccli. 19. *& mulieres apostatare faciunt sapientes*. Et quo pacto, nisi quia ipsis cor, id est, consilium prudentiamque eripiunt? Sic Salomonem sapientiæ corculum, velut generosæ aquilæ pullum, fœdæ libidinis scarabæus, gremio Iouis, vt est in
Pier. lib. 34. fabulis, excussit. Fuit autem cor, teste Pierio, semper sapientiæ prudentiæq; symbolum; vnde Romani eminentes, Cordatos homines, siue Corcula vocabant. Et sapientissimus ille puer, iussus petere quod vellet, orabat Deum:
3. Reg. 3. *Dabis seruo tuo cor docile*, id est, sapiens plenumque consilio, *vt populum tuum iudicare possit*. Tria præcipuè vitia hoc malũ homini accersunt: libido, auaritia, ebrietas: hæc vt plurimũ efficiunt vt momentanea æternis, turpia honestis, caduca solidis, fluxa cælestibus præferantur: vt homo omnium oblitus, sui, æternitatis, Dei, toto impetu ceu, bruta animalia, in fœdas corporis voluptates feratur. De libi-
Prou. 6. dinoso ait Sapiens: *Qui adulter est, propter inopiam cordis*
Pausan. in Eliacis poster. *perdet animam suam*. Eò spectabat illud quòd Phidias statuam Veneris, quam ipse ex ebore & auro confecerat, ita efformarit, vt altero pede testudinem, (quam solam inter animalia excordem memorant,) prementem exprimeret: indicans, vt multis placet, Venerem illos excordes ac sine intellectu efficere, quos igne suo incendit ac vrit. Vnde etiam nonnulli nomen obscænæ mulieris Græcâ deriuatione promanasse volunt à φαίνοος, id est, væ intellectui. Et quia testudo hominis excordis est hieroglyphicum, Plau-

Plautus de muliere impudica ait: Cui pectus sapiat, nam cor non potest, quia nullū habet. Et Tertullianus contra Marcionem, dicit illum nec cor, nec cerebrum, vitio proprio habere. Illustri idem exemplo comprobemus. Theotimus, inquit Ambrosius, cùm graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdictâ sibi à medico facultate coëundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus: Vale, inquit, amicum lumen. In æstu cupiditatis sciens se amissurum oculos, maluit illis orbari quàm libidinem expugnare. Et an non illi libido cor mentemque eripuerat? Nec ipse id postea fateri dubitauit, cùm serò nimis cæcitatem amentiamque suã deflens, didicit se nec libidinis voluptatem retinere posse, nec iam perditũ lumen recuperare. Vt meritò libidinẽ non aliud esse dixerim, quàm impotentem quamdam suiipsius vesaniã, & cæcitatem tenebrosam. Cùm Saluator noster aliquando apud puteum cum muliere Samaritana de aqua loqueretur, cuius potus ita sitim extingueret, vt eam bibentes ab omni deinceps siti eximeret: ideoque illa solicitè eam inquireret: *Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam ampliùs, neque veniam huc haurire*; ille quasi à proposito recedens dixit: *Voca virum tuum*. Quid est, inquit S. AVGVSTINVS, *Voca virum tuum*? Per virũ suum ei volebat aquam illam dare? An quia non intelligebat, per virum suum eam volebat docere? Fortè quomodo ait Apostolus de mulieribus: *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent*. Sed ibi dicitur, *Domi viros suos interrogent*, vbi non est Iesus qui doceat. Denique dicitur mulieribus, quas prohibebat Apostolus loqui in Ecclesia. Cùm verò ipse Dominus aderat, & præsens præsenti loquebatur, quid opus erat vt per virum eius ei loqueretur? Numquid per virum suum loquebatur Mariæ sedenti ad pedes suos, & excipienti verbum suum, quando Martha circa multum ministerium etiã de sororis suæ felicitate occupatissima murmurabat? Ergo fratres mei, audiamus & intelligamus quod

Lib.4. c.10.

Lib.4. in Luc. cap.4.

Ioan.4.

Tract. 15. in Ioan.

1.Cor. 14.

Lucæ 10.

ait Dominus, *Voca virum tuum*, mulieri. Fortè & animæ nostræ dicit, *Voca virum tuum*. Quæramus & de viro animæ. Cur iam non ipse Iesus vir animæ verus est? Adsit intellectus, quoniam quod dicturi sumus, vix capitur nisi ab intentis. Adsit ergo intellectus vt capiatur, & ipse intellectus erit fortasse vir animæ. Videns ergo Iesus, quia mulier non intelligebat, & volens eam intelligere: *Voca*, inquit, *virum tuum*. Ideo enim nescis quod dico, quia intellectus tuus non adest. Loquor ego secundùm spiritum, tu audis secundùm carnem. Hactenus sanctus P.N. Sed quo pacto intellectum suum amiserat? Nimiâ libidine, *viuendo luxuriosè*:
Lucæ 15. quin transformata in equum & mulum, *quibus non est intellectus*. Concludit igitur S.Doctor: Animam habere, & intellectum non habere, id est non adhibere, bestialis vita est.

Psal. 31.

Nec melioris conditionis est auaritia: illa non rarò corda corporea sede suâ reuellit, atque inter pecuniarũ aceruos recondit. S.Antonius de Padua in funere diuitis auari cùm orationem haberet, instantiusque verba illa Saluatoris nostri vrgeret: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*; enthusiasmo actus: Inspicite, inquit, mortui thesaurum, videbitis quàm hoc Christi dictum sit verum: ibi cor diuitis inuenietis. Quod & ita factum est. Idem narrauit aliquando pro concione, cùm heredes hominis pecuniosi in exenteratione cor ipsius non inuenirent, valdè eos quidem hoc portẽto obstupuisse; sed postea id inter nummos inuenisse. Viderunt porro diabolum specie draconis assidentẽ, atque illud diris morsionibus discerpentem, qui dixit, Hoc aurum & argentum est pretium cordis, quod mihi vendidit amicus vester, ideoque iure meum est, eoque pro arbitratu vti possum.

Matth. 6.

Ebrietas quoque adeò hominem dementat, vt quasi omni rationis vsu exutum in brutum transformare videatur; quin lotium Circes non tam bruta facit, atque vinum. Ideoque quidam ingeniosè ait: Ebrius nihil rectè facit, nisi cùm

in lutum cadit: vt ſcilicet ibi ſapientiam & intellectum requirat, quæ in vino perdidit. Aſtyages cùm rogaſſet Cyrum, cur vinum non hauſiſſet? Quia, inquit, metuebam ne in cratere mixta venena forent. Etenim cùm tu in natalitijs amicum adhibuiſti, perſpicuè didici, eum vobis venena infudiſſe. Et quo id pacto, inquit ille, fili dignouiſti? Quòd videbam vos, inquit, neque corporis, neque mentis compotes. Vnde licet corpore ſit præſentiſſimus, tamen ob impeditum rationis vſum, pro abſente habendum vetus parœmia ebrioſum docet, ſi illum fortè monitum velis. Xenoph. in Pæd.

§. II. *Curis euiſceratur.* Lib. 6. cap. 6.

QVis curas anxietateſque, quibus diu noctuque AVGVSTINVS lancinabatur, enumeret? Quis dicat, quomodo ſanguiſugæ illæ carnem ſanguinemque ipſi exederint? Dixiſſes araneum, qui adeò laboriosè telam ſuã texit, & diu multumque diſcurrit, huc illucque circuit, ſæpiùs in idem redit, nec viſceribus ſuis parcit, vt multiplicem illam filorum rotam tandem abſoluat; atque vbi omnia ex arte concinnauerit, & ſublimè ſuſpenderit magno tempore, nec minore labore; quid niſi culicem, aut bombizantem alicubi venatur muſcam? Non eſt reuerâ operæ tam diligentis pretium, non eſt iſtis impendijs digna merces. Impalleſcebat chartis ſuperbus ille linguæ ſuæ inſtitor, & panegyricos, & quid non captandæ Romanorum Conſulum beneuolentiæ causâ condebat? Sudabat, anhelabat, æſtuabat, & mille morſionibus inordinatorum affectuum animus vellicabatur: totum penè vitæ tempus vanis laboribus, multis doloribus, varijs terroribus, crebris ſuſpicionibus, ſolicitudinibus innumeris exercebatur. Quo verò fine? vt famam, id eſt, auram & ſtrepitum, atque ex illa breuiſſimam voluptatem, quæ naſcendo interit, adipiſceretur. Quod, vt erat ingenio acri & perſpicaci, ita ſe habere tunc pleniùs intellexit, cùm pauperem mendicum Mediolani in platea, reci- DOMINICA XIV. poſt Pentecoſt.

Lib.6. Conf. cap.6. taturus Arcadij Imperatoris laudes, offendit iam faturum, iocantem atque lætantem; quem longè seipso feliciorem existimauit, quòd ille pauculis & emendicatis nummulis iam adeptus esset, quod ipse tam ærumnosis anfractibus & circuitibus adhuc ambiebat, solatium scilicet temporalis felicitatis. Inhiabam, inquit Deo, honoribus, lucris, coniugio; & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tantò magis, quantò minùs sinebas mihi dulcescere, quod non eras. Nempe vt pelagus venti, sic hominum corda perturbant rerum caducarum cupiditates. Magnam, inquit Ambrosius, faciunt tempestatem multitudines cupiditatum, quæ veluti in freto quodam corporis nauigantem hinc inde perturbant, & in scopulos non raró impellunt, magnoque scelere demergunt. In apologia posteriore Dauid. cap.3.

Quid veteres per Prometheum, cui ob cælestis ingenij acumen attribuunt hominis fabricam, raptumque è Solis rota ignem, nisi eiuscemodi homines designabant, qui quidem, instar Promethei, multa pulchra ingenio suo cudunt & efformant, sed quia ignem de cælo rapiunt, id est, inuentorum suorum laudem, non eâ quâ debent modestiâ Deo adscribunt, Palladem quoque ad stuprum solicitant? ob quod delictum Prometheus maximam illam pœnam (laniationis viscerum) subijt: id est, quòd homines artibus & scientiâ multâ instructi, etiam sapientiam diuinam sensibus & rationi subiicere sæpiùs tentent: ideoque timoribus intestinis cruciantur & conficiuntur. Alligati enim gloriæ desiderio, veluti Caucaso monti, innumeris cogitationibus (quæ quia volucres admodum sunt, per aquilam, Iouis alitem, designantur) iisque pungentibus, & iecur mordentibus ac corrodentibus, quotidie vexantur, vt nec indulgeantur quidem nocturnæ cessationes & feriæ, nisi vt vegetiores redeant ad tormenta, nec vmquam desit doloris materia, quemadmodum Prometheo tantum noctu iecoris renascebatur, quantum aquila interdiu exederat. Nox, vt quidam

dam ait, reparat *Ingenij vires, fessáque membra leuat,* quò rursus fatigentur. Sed illos tandem Hercules, per quem Goropius Becanus Christum intelligit; vtpote cuius nomen ad insanissimas nugas, ab omni propè natione decantatas, serpentis calliditas detorsit: si enim vertas Lucreh productâ posteriore syllaba per spiritum appositum, idem nobis designat, ac si Latinus diceret felicitatis præparatorem, **die het geluck aenrecht**; miseros, inquam, illos, ac in primis AVGVSTINVM, Christus liberat, volucresque configit, dum modestiam exemplo præit, exigitque. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris,* quam frustra alibi requiretis. At quàm animo serenus, quàm expeditus à curis & inutili timore AVGVSTINVS esse cœpit, vbi superba colla miti Christi iugo subdidit, atque plus ponderis Christianæ modestiæ inesse, quàm omnibus aliorum subtilitatibus, & typho doctrinæ expertus est. Tum seriò, licet serò, intellexit veram animi stabilitatem & quietem non in ambitione, diuitijs, vel corporis voluptatibus, sed in illarum contemptu, & voluntaria suiipsius abiectione dilitescere. Ceterùm quis non videat, homines auaros, libidinosos, aulicos, curis euiscerari, qui veluti echini ex se spinas gignunt, illisque perpetuò inuoluuntur; ita suarum inquietudinũ promotores existunt, neque vmquam nisi hoc satellitio cincti incedunt?

Lib. 2. hieroglyph.

Matth. 11.

In primis auari homines, quàm luridi, quàm cogitabundi & tristes, quàm pallidi semper! pallore fortassis à nummis mutuato, quos ideò pallorem quidam contraxisse scribit, quòd semper insidias metuant. Ecquando illi non sunt soliciti & intenti, vt aliquid lucelli captent? ecquando non anxij, ne in damnum incurrant, mille curas & negotia animo voluentes? Similes videntur coruo quem Noë ex arca emisit, qui cùm inuenisset passim fluitantia cadauera, illis adhæsit, pellectus escâ, nec reditum ad quietudinem illam pristinam arcæ cogitauit: ita dum viles illæ animæ, terrenis

& cadauerosis huius sæculi bonis tantâ auiditate insident, tranquillitatis animi, etiam volentes, obliuiscuntur: nec magnum Noachum Deum, nec beatam cõscientiæ pacem curant. Iure merito Dominus diuitias spinas appellauit, quia earum solicitudo assiduè animum pungit, non secùs ac spinæ corpora eorum qui in medio illarum versantur. Quo fit vt cælestium & æternorum obliti, raró admodum & perfunctoriè de salute sua cogitent, neque solùm fures externos & latrones, sed etiam domesticos formident. Sæpè frater fratri, & filius parenti mortem machinatur, vt in opes & hereditatem inuolet.

Matth. 13.

Videre mihi videor, quoties auarum quempiam inter saccos nummis distentos constitutum video, fortissimum illum Romanorum, & integerrimæ fidei legatum Attilium Regulum machinæ inclusum, in qua vndique peracuti stimuli eminebant, vt nec diurnam nec nocturnam quietem capere posset, sed vigiliâ pariter & continuo doloris tractu necaretur. Ita & illi caput suum singulis penè momentis diu noctuque ad aliquem saccum, ad euentus rerum quas sibi imaginantur, ad computum, ad aliquam monetæ speciem allidere videntur. Nisi illos habere caput Medusæ, cum Isidoro Pelusiota malis dicere, quod serpentibus horridum aptâ similitudine curas & morsiones auarorum exprimit. Ex quo illius ciuis lamentationes semper mihi placuerunt, qui cùm ab Imperatore multis esset locupletatus diuitijs, sæpè dicere solitus erat, illius insidijs se otio & somno fuisse priuatum: ac si dixisset cum illo apud Horatium,

Val. Max. lib. 11. cap. 2.

Lib. 2. epist. 233.

Plutarch. in Sympos. l. 2.

Serm. 1. satyr. 1.

Me vigilare metu exanimem, noctesq; diesq;
Formidare malos fures, incendia, seruos;
Ne me compilent fugientes, quid iuuat? horum
Semper ego optarim pauperimus esse bonorum.

Et Anacreon Teius, vt Stobæus Sermon. 19. refert, cùm à Polycrate Samiorum tyranno quinque talentis donatus esset, & duas propterea noctes varijs agitatus curis traduxisset

xiſſet inſomnes, manè Polycratem adijt, gratias egit, pecuniamque ad pedes eius depoſuit, aſſerens ſe tantum pondus ferre non poſſe.

Si quis eſt qui hunc metum in ſe non eſt expertus, is Euclionem interroget Plautinum, & mox diſcet nihil plus timoris, inquietudinis & curarum adferre, quàm aulam multo auro grauem, quam qui diligenter occultare ſtudet, ipſos etiam coruos crocitantes timebit.

Tranſeo ad procos qui libidini ſuæ ſeruiunt, quos non abſque curis viuere indicat illa macilenta & cadauerosa facies. Ipſum infelicem Amorum magiſtrum audi:

Sed tamen hæret amor, creſcitq́ dolore repulſæ, Metam. 3.
Et tenuant vigiles corpus miſerabile curæ,
Adducitq́ cutem macies.

Euiſcerant ſe miſeri, ſuccum omnem vitalem concoquunt, ampla patrimonia exhauriunt, optimos vitæ dies perdunt, ſibi ipſis ſpem ad maiora incidunt. *Ruben effuſus* Gen. 49.
eſt tamquam aqua, & non creuit, quia aſcendit cubile patris; id eſt, vt Chaldæus explicat, cùm illi tamquam natu maiori ſacerdotium & regnum deberetur, ad neutrum dignitatis locum aſcendit, libidine illi viam intercludente, quæ & ipſum ad fœdandũ patris cubile impulerat. At quo fine hæc tam multa & pretioſa? potiundi vili mulierculâ. Et quid hoc tandem, niſi ſerò pœnitere? iuxta illud diſertiſſimi Græcorum, à quo cùm Lais, nobile ſcortum, pro vna nocte decem drachmarum millia peteret, reſpondit: *Pœnitere tanti non emo.* Voluptas hæc aliqualiter quidem, dum ſuadet, vngit; ſed vbi perſuaſerit, vſque ad mortem animam pungit. Semper illos, etiam cùm proſperè res videntur ſuccedere, recurrentes curæ, mœrores, alternanteſque ſpes & metus circumſtant, nec ſe illis expediunt, niſi amoribus nuntium remittant. Qui amorem in animum admittunt, videntur mihi cum Troianis ciuibus maximâ feſtiuitate & gaudio fatalem Palladis equum intra mœnia inducere,

re, ex quo postea exierunt qui vrbem incenderent, veteres Priami thesauros diriperent, omnia vastarent atque occiderent. Prodeunt ab amore tot curarum & inquietudinis agmina, vt omnia animæ corporisque bona funditus euertant. Etiam puerorum carminibus damnantur sub nomine Sirenum voluptates, quia quos ad se pellexerint, occidunt, atque tot albentia mortuorum ossa, quæ eminus videntur,
Sap. 1. illarum crudelitatem produnt. Hinc Sapiens ait, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum: sed homines impij manibus ac verbis accersierunt illam.* Elegans quidem metaphora: qui alium longiùs stantem verbo vocat, si vocatus audire non potest, manibus signum facit vt accedat. Longè à nobis distabat mors, verùm hanc & voce & opere homines ad se vocarunt; sed super omnes luxuriosi, quia magis temperamentum corporis corrumpunt, & id sanitate priuant. Quod Romani fortassis innuebãt, qui teste Plutarcho, ad ianuas templi Veneris funerea, hoc est, mortalia, vendebant: vt significarent, illam ipsam mortis causam esse, quæ voluptatum erat aduocata.

Citiùs mihi vberis campi aristas, onustæ cerasi fructus, Rhenanæ vitis acinos enumeraueris, quàm curas palatini, qui fauori principis sui inhiat: non tot vndarum fluctus, turbato mari, sibi inuicem succedunt propelluntque, atque in aulis aliæ ex alijs curæ succrescunt. Pulcherrimum quidem reddebant Absalomum, iuuenem omnibus aulæ artibus instructissimum, capilli, qui quo longiores erant, eo aptiores videri poterant ad augendum illius splendorem &
2. Reg. 14. pulchritudinem; *sed* tamen *cæsaries grauabat caput eius*, & ingenti capitis dolore tenebatur, crescentibusque capillis ipse quoque crescebat dolor. Accedat cuicumque aurea ab aula cæsaries, non incomitata veniet, dolor curæque accedent. Quid incertius & magis inane, atque sine pondere, quàm somnia? & tamen vel ipsis summi Monarchæ terren-
Dan. 2. tur: sic enim de Nabuchodonosore ait Daniel: *Contertitus*

tus est spiritus eius, post visum somnium. adeò etiam leues coniecturæ & suspiciones motum solicitudinemq́ue in aula creant. Et cuius hac in re validius testimonium adduxero, quàm illius qui etiam Cæsares docuit?

Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesq́ trahit purpura noctes.
O! si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus!

Senec. in Agam. & Hercule Oetæo.

Hinc illi qui vitæ integritatem, & bonæ conscientiæ non minoris quàm eruditionis testimonium existimarunt, motus temporum ac procellas non indiligenter vitarunt: neque aliter quàm si lapidibus in curia, republica ac foro pluat, domo se incluserunt. Bion interrogatus quis in vita maximè videretur anxius? Illum arbitror, respondit, qui in maximis rebus cupit esse fortunatus: mille curis angitur, vt assequatur quod optat, assecutus torquetur ne amittat. Omnes habere satagimus, non adepti dolemus, adepti timemus: mouent erepta, solicitant eripienda.

Annon aulicus simili anxietate torquetur, ne gratiâ principis excidat, quâ Democles Siculus Dionysij tyranni assentator, mensæ quidem instructissimæ accumbebat, cùm è laquearibus setâ equinâ suspensus mucro vertici impenderet? nec minus anxietatis, minusúe periculum subesse dubitem asseuerare. Vnde, vt hoc per digressiunculam dicam, eos optimo vsos consilio arbitror, atque etiamnum esse qui vtantur, memores, potentiam in aula rarò consenescere: & non minùs certò interitum gratiæ expectandum esse, quàm vitæ; ideoq́ue sacrum Cardinalitium ordinem lubenter adoptant non ambitiosi, sed prouidi: nempe vt liberum habeant in supremis casibus, ad templum aramq́ue perfugium. Attamen quid plerumque aulicus, vlterioris iam moræ impatiens, saturq́ue vitæ, domum defert, nisi, vt quidam aiebat, serò sapere, atque

Strada lib. 3. Bell. Belg.

pœnitere? Putant miseri, quamdiu sperant & exspectant grandia, se multum proficere. Interim vix centesimus, quod somniauit, assequitur: tum postquam subduxit rationes, & curarum sarcinam, euentus lubricos, fœdissimam seruitutem, timores, insidias, cruces, fastidia, inuidias, simulationes, noxas, nequitias numerauit (quæ vnà semper habitant, semperque aulæ asseclas diuexant) sine dubio inueniet seipsum turpissimum atque egentissimum esse mancipium.

Placeat magis vita suo contenta, quàm illa alienis semper inhians, suis affatim diues, si satura. Præfer liberale otium huic tam operoso, & periculosæ pleno aleæ negotio, vbi non nisi per maxima pericula ascenditur ad grandius periculum, vt S. Pater noster ait. O felicem à rerum aulicarum tumultu recessum! vbi mens libertate suâ fruens, nullis obnoxia est terrificationibus, Dei beneficentiâ cum gratiarum actione fruitur, & quod Superi ætatis adiecerint, transigunt in rerum diuinarum contemplatione. Sæpè sæpiùs dico, atque in animo meo sentio cum illo apud Senecam, & vtinam plures mecum!

Lib. 8. Confess. cap. 6.

In Thyeste.

Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

§. 111. *Absconditur illi Deus.* lib. 10. c. 2.

DVM attentâ cogitatione super hac peccatoris amentia non nihil hæreo, non occurrit cui aptiùs eum, quàm struthioni, comparem: quem grauissimi Auctores scribunt caput inter frutices abdere; & licèt toto reliquo corpore extet, credere se à nullo conspici, nec à venatoribus capi posse. Vis huius simplicitatis imitatorem virum alioquin magnum & Prophetam? Is Ionas est: qui de se testatur,

ſtatur, quòd fugerit à facie Domini, naulum dederit, ſolueritin Tharſis, cùm iuſſus eſſet à Domino pergere in Niniuen ciuitatem grandem, & prædicare in ea; quaſi fugâ ſe Dei potuiſſet ſubducere imperio, atque Deus deſijſſet eſſe præſens, quia ipſe locum mutauerat. Magna ſtoliditas: hoc ipſo alijs viſum eripis, quo oculos claudis? Id ſuaui riſu in puerulis familiares & conſanguinei interdum excipiunt, quòd faciem à matribus tecti, dum aliquid metuunt, reliquo corpore ſe putant inuiſibiles. Abſcondas tibi miſer peccator, quantum volueris, Deum, & lucem irradiantis gratiæ abdito cordi peſſulo ab animo exclude; numquam efficies vt ab ipſo, futuro quandoque iudice tuo, & iuſtiſſimo flagitiorum vindice, non videaris: ille intimis conſilijs rebuſque remotiſſimis interuenit. Si aſcenderis in cęlum, illic eſt; ſi deſcenderis in infernum, ſiue (vt antiquum prouerbium habet) licet Orci galeâ tegaris, fortunato Gygis anulo manum armaueris, adeſt Deus, & omnia coràm intuetur. Quoties alicui vehementiori affectui ſuccumbis, vel irâ furis, vel libidine æſtuas, vel ſuperbiâ inflaris, vel inuidiâ liues; ſerenitatem animi tui exaſperas, & quietem illam, in qua tibi inueniri viderique ſolebat Deus, turbas: quemadmodum aqua ſtagnans & limpida priuſquam moueatur, rerum ſibi obiectarum imagines quidem refert; ſed agitata, nihil.

Ion. 1.

Pſal. 138.

A mortalibus peccatis abſtine, & in te perpetuò Dei imaginem ſimilitudinemque ſeruas; at ſi, vt dixi, animum inquinaueris, abſconditur tibi Deus. Tum enim, vt aliò declinemus cogitationem, fis reus, & quemadmodum Amano ſtatim operuerunt faciem, nec non Suſannæ; illâque ceremoniâ declarauerunt miniſtri regij eſſe morti obnoxios; ita vbi in culpam lethalem incideris, velaris non quò non videaris, ſed ſempiternæ pœnæ deſigneris debitor. Quod deprecans illa ait: *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam.* quod Septuaginta vertunt, *Ne efficiar,*

Eſther c.7.
Dan. 13.

Cant. 1.

 ſicut

ſicut velata, id eſt, rea mortis. Velabant quidem ſacrilegi carnifices Saluatori noſtro in paſſione ſua faciem, & quaſi ignaro à quo percuteretur, alapas certatim impingebant: at ipſe, quid quiſque moliretur, optimè nouerat, omnia propiùs intuebatur. Abſconderant tantùm ſibi benigna Ieſu lumina, qui peccantes reſpicere ſolet, atque ad lacrymas prouocare; at illum magnum, & omnia videntem diuinæ præſentiæ oculum non eruerant. Non caret myſterio, quod
Ioan. 13. Euangeliſta ait de Iuda proditore: *Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox.* Facinus nempe illud proditionis horrendum, excluſo omni lumine gratiæ, talem animo ipſius noctem adduxerat, vt deinceps Dominum ſuum numquam viderit, licèt ipſe ſemper viſus. Non ideo cælo ſuæ faces & lumina exciderant, quia duo ſenes illi Babylonij, deſtinato animis adulterio, *declinauerãt oculos*
Dan. 13. *ſuos, vt non viderent cælum, ne quis recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Contẽplatus eſt omnia, ſed patienter, ex alto Deus, & immiſſo ſpiritu ſuo in puerum Danielem, facinus detexit, cortinam ſuſtulit, & iniquas illorum machinationes protraxit in lucem, lapidibusq́; obruendos decreuit. Adul-
Eccli. 23. ter quidem ait: *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à ſe timorem Dei huiuſmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum. Et non cognouit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Optimè S. P. AVGVSTINVS: Oculum tuum non exclu-
Lib. 5. Confeſſ. c. 1. dit cor clauſum, nec manum tuã repellit duritia hominum: ſed ſoluis eam cùm voles, aut miſerans aut vindicans, *&*
Pſal. 18. *non eſt qui ſe abſcondat à calore tuo.*

Nocte vbi noxa latet, mens ſibi luna domi eſt.

Quanto meliùs ſapientiusq́ue aſſiduis à Deo precibus flagitares,

gitares, ne auertat faciem ſuam, plenam conſolationis & miſericordiæ, ſed illam iuſtitiæ & indignationis, à peccatis tuis; & Spiritum ſanctum ne auferat à te. Ingemina ſæpè cum Dauide: *Tibi dixit cor meum, Exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Aut cum Philippo: *Domine, oſtende nobis Patrem,* cuius benignus in filios eſt aſpectus, *& ſufficit nobis.* Illos oculos, mi ſuauiſſime Ieſu, in me vibra, quibus dum Petrum reſpiceres, *egreſſus foras fleuit amarè:* quibus dum Magdalenam ad pedes tuos proſtratam intueris, reatu omnium delictorum abſoluis: quos dum in humilitatem ſanctiſſimæ matris tuæ iacis, omnium chariſmatum copiam in illam ſupereffundis: *atque ex hoc beatam* eam *dicent omnes generationes.* In quas miſerias ille deuenerat, qui Deo dicebat: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar,* non vtique ab irata illa facie ſeueri iudicis, ſed à miti & indulgente optimi patris. Hanc quoque tu tibi, ô ter infelix, abſcondis, quamdiu in priſtina perditionis via verſaris: ac ſimilis es cæco, cui licet color adſit & lumen, nihil tamen videt: Deũ licet Sancti videant, nec tibi minùs quàm illis ſit præſens, illum videre non potes. *Ecce qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* Quẽ locum alibi S. P. AVGVSTINVS ad propoſitum noſtrum elucidat. Recedit, inquit, à te Deus, cùm tu recedis à Deo: præſentia ſunt cæcis omnia, ſicut videntibus. vno loco ſtant cæcus & videns, iiſdem formis rerum vterque circumfunditur: ille eſt præſens rebus, ille abſens: ex duobus vno loco ſtantibus, vnus eſt præſens, alius abſens, non rebus ipſis ad alterum accedentibus, ſed propter diſſimilitudinẽ oculorum: ille qui cæcus, quia extinctum eſt ibi, quod contemplari ſolet, luce cuncta perluſtrante, fruſtrà eſt præſens rebus quas non videt; imò rectiùs abſens quàm præſens dicitur, vbi non eſt ſenſus eius: hoc eſt, abſentem eſſe, ſenſu abeſſe. Sic Deus præſens, vbique totus eſt: ſed fructu præſentiæ eius infelix peccator non gaudet.

Pſal. 50.
Pſal. 26.
Ioan. 14.
Luc. 22.
Luc. 7.
Luc. 1.
Gen. 4.
Pſal. 27.
Enarrat. in Pſal 99.

§.IV. *Ambulat per tenebras & lubricum.* Lib.2.c.3.

Eccli.11. POtiorem huius assertionis partem confirmat Ecclesiasticus: *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* q. d. Veluti illi qui densâ caligine iter faciũt, bonæ fortunæ imputare debẽt, si non exerrent: ita ijs accidit qui intellectum peccato obfuscatum gerunt, & longiùs quotidie à via, qui
Psal.54. Christus est, recedunt. Dauid de se ait: *Timor & tremor*, (id
Gen.4. quod etiam Caino propter paricidium accidit) *venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Meræ noctis & tenebrarum similitudinem peccatum habet. Non sic, ait Chrysologus, nubes cælum, nox diem, solem caligo, quomodo
1.Epist.2. mentem cæcat inuidia. Quod ante illum D. Ioannes quoque asseruit: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ occæcarunt oculos eius.* Idem alibi volens ostendere, Verbum quidem humanam assumpsisse naturã, sed omnis peccati expertem, quam
Ioan.1. nec aliena scelera inquinare potuerunt, inquit, *Et tenebræ eam*, scilicet lucem diuinitatis, *non comprehenderunt.* Simili-
Rom. 3. ter Apostolus scribit: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Nox est tempus ante Christum, plenum tenebris infidelitatis & peccatorum: dies est tempus præsens Euangelij, quo sol Christus lucis suæ, id est, gratiæ & fidei, radios toto
Isa. 9. orbe diffudit. quod diu antè Isaias vaticinatus fuerat: *Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Et Saluator noster
Ioan. 8. confirmauit: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Præsente igitur iam Christo, & in luce Euãgelij, quo nox peccatorum abijt, dies gratiæ, iustitiæ & salutis il-
Rom. 13. luxit, *abiiciamus opera tenebrarum*, id est, peccata quæ tenebras quærunt, lucemque Dei & hominum fugiunt, iuxta
Iob 24. illud Iobi: *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum: perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignorauerunt lucem. Si subitò apparuerit*

paruerit aurora, arbitrabuntur vmbram mortis, & sic in tenebris quasi in luce ambulant. Non igitur sine mysterio fuit quòd Christus ante auroram resurrexit, vt eò nempe ostenderet se mortuum in nocte peccati, atque iam propriâ luce auspicari diem remissionis & gratiæ.

Quid manifestius quàm quòd peccata nox & tenebræ in S. Scriptura appellentur? Possunt enim huius comparationis variæ assignari rationes. Inprimis, sicuti in nocte omnia quiescunt, nemo aliquid operatur: ita in nocte peccati mortalis opera meritoria cessant, quantumcumque aliquis oret, ieiunet, eleemosynas faciat; frustra sunt omnia: donec rursus sit in statu gratiæ, nihil omnibus illis promeretur.

Deinde quemadmodum tunc serpentes & venenata animalia egrediuntur antris suis, sic inductâ nocte vel vnius peccati lethalis, omnes malæ inclinationes insurgũt. *Posuisti*, ô peccator, *tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant.* Psal. 103. Verissimè dixit etiam Ethnicus, vnum perpetratum scelus, Seneca. gradum esse futuri. Quid Dauidi accidit, etiam vulgo notum. Ille qui antea infensissimo sibi hosti, & quem ei Deus in manus tradidisse videbatur, quique nocens erat, pepercerat, quia iam tum adhuc erat

Integer vitæ, scelerisque purus; Horat.

iam adulterio infamis, etiam sibi fidelissimum, & cuius vtilis illi erat opera, & innocentem, *percussit gladio filiorum Ammon.* 2. Reg. 12. Qualis bestia ex vnius flagitij nocte, quantus sæuientis leonis catulus prodijt!

Rursus, quid euidentius quàm cæcos in densissima nocte, & Cimmerijs tenebris assiduè versari? At pecatoribus in Scriptura varijs locis cæcitas tribuitur. Sophonias ait: *Ambulant vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Et Sodomitæ, Sophon. 1. cùm Lot vim facerent, *iamque propè esset vt effringerent fores*, etiam corporali ab Angelis *cæcitate percussi sunt à minimo vs-* Gen. 19.

que

que ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent. Igitur peccatores in tenebris ambulant: quia, vt alibi AVGVSTINVS ait, Deus ſolus magnus, habitans in excelſis, lege infatigabili ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates. Idemque peccatoribus, quod Sodomitis accidit: Cetera omnia videbant, plateas, domos, arbores, aërem, & tantùm oſtium domus Lot non videbant. Aquilinis oculis ſunt quidam mercatores in ſtruendis fraudibus, in lucrando centum in centum, in cambijs, alijſque negotijs: curiosè ſe puellæ ornant, omnes nouas formas imitantur, faciem pingunt, crines criſpant, vt fatearis illas vel Argo fuiſſe oculatiores, vel non omnia potuiſſe ita perſpicere. Quis etiam perſpicaciùs videt, quàm plures ex leguleijs & Cerberis forenſibus, ad emungendam Euclionis alicuius aulam? Et tamen hi omnia alia cùm videant, partem aulæ cæleſtis non vident, ambulant *vt cæci*, *quia Domino peccauerunt.* Quin ſimiles ſunt militibus miſſis à rege Syriæ vt Eliſeum comprehenderent, eò quòd is regi Iſrael omnia quæ habebat in corde, reuelaret, quos Dominus ad preces Prophetæ ἀορασία, id eſt inaduertentiâ (quod S. AVGVSTINVS auidentiam vertit) percuſſit; ita vt cum ipſo Eliſeo irent, nec tamen aut illum agnoſcerent, aut quò ducerentur, ſcirent, donec in medio ciuitatis Samariæ conſtituti ſe deluſos agnoſcerent. Sic, dico, ſunt peccatores, qui aliâ atque aliâ viâ vadunt, ſed velati oculos, vt nihil aduerſum, nihil triſte cernant, niſi vbi fuerint in medio terræ hoſtilis, vnde rebus integris nullus vmquam euaſit. Quàm multis olim in Belgio impoſuit hæreſis, quàm blandè pellexit, fouit! nec niſi iam morte imminente illius fallacias perſpexerunt, quamque parum foret præſidij, & ſpei ſalutis in religione, quam perperam vocant Reformatam. Alius ab auaritia excæcatus, ſimilis Balaamo, qui, aſinâ vidente Angelum, nihil omnino videbat, ad furta pergit, & latrocinia exercet; at, cùm ducitur, aperiuntur ipſi oculi,

Lib. 1. Conf. cap. 18.

Auguſt. lib. 1. quæſt. 34. ſuper Gen.

4. Reg. 6.

Num. 22.

oculi, videtque imminentem mortem & infamiam, atque tum seriùs cæcitatem suam deplorat. Tertius aliquis falsæ amore libertatis deceptus, sana amicorum consilia respuit, nec iuuentutem suam Musis, nec Mercurio, nec labori consecrare curat, qui vbi vita effluxerit, iamq; grandiori ætate se necessarijs ad vitam honestè tutandam præsidijs destitutum videt, frustra illam serò sapientium cantilenam canit:

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos! Virgil.

Nónne illas quoque cæcitate laborare dixeris, quæ nullas procorum blanditias, nulla lenocinia, vergere in ruinam suæ virginitatis credunt? quæ nullos Danaos, nullos dona ferentes, nullos etiam magnates, suspectos habent? Sed positæ *in medio Samariæ*, factæ iam fabula & ludibrium 4.Reg.6. vulgo, propter intumescentem vterũ, se cæcas fuisse agnoscunt, doloremque lamentabili voce exponunt: Ah! quò deueni? quò flos decorque iuuentutis meæ decidit? &c. Similiter adolescens amoribus meretriciis deditus, vbi alicui flagitium persuaserit, noctemque à formosa impetrauerit, vadit exultabundus, gaudensque, & summam sibi felicitatem obtigisse stolidus imaginatur. *Irretiuit*, inquit Sapiens, Prouerb.7. *eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos*, qui, quia ei cornua inaurantur, floribus coronatur, cum tympano lituoque circumducitur, alicui videri posset ceteris felicior: sed, eheu! ductus ad victimam occiditur, *& quasi agnus lasciuiens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahitur, donec transfigat sagitta iecur eius.* Donec exhaustâ bursâ, patrimonio absumpto, acquisita infamiâ, fracto delumbatoque corpore, anteactæ vitæ insaniam videat, atque miretur se antè non prævidisse hanc scyllam in quam pronus vehebatur. Audi quid ceteri qui peccauerunt, non in medio Samariæ, sed in inferno dicant: *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Nempe illis idem Sap.5. accidit quod Archimedi captis Syracusis. Marcellus ma- Val.Max.l.8. cap.7.

chinationibus Archimedis geometræ multũ ac diu victoriam suam inhibitam senserat: eximiâ tamen hominis prudentiâ delectatus, vt capiti illius parceretur, edixit. At is dum animo & oculis in terram defixis formas describit, militi qui prædandi gratiâ domum irruperat, strictoque in caput gladio, quisnam esset interrogabat; propter nimiam attentionem studiumque inuestigandi quod requirebat, nomen suum indicare non potuit. Sed protracto manibus puluere, Noli, inquit, obsecro, istum disturbare: ac proinde quasi negligens imperij victoris, obtruncatus, sanguine suo artis lineamenta confudit. Ita, etiamsi diuina vltio stricto gladio in ædes illorum non semel irruerit, palamque edixerit,
Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum*; non præsentis vel futuri temporis significatione, sed præteriti vsa, quò altiùs animis eorum imprimeret, vt pulueres illos vanitatis, & nugas huius sæculi desererent, aut saltem oculos attollerent ad præsentissimum periculum, ne perirent; tamen pulueribus suis immortui sunt.

Ad verba illa Sophoniæ, *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt*, dum iterùm cogitationem reflecto, occurrunt varij modi ambulandi cæcorum, qui in ipsos peccatores apprimè quadrant. Alij enim ad hoc excæcantur, vt in orbem ambulent, & molam circumagant; in quem finem
Iudic. 16. Samsoni fortissimo Hebræorum Philistæi oculos eruerunt. Qui modus ambulandi miserrimus est, & quasi infinitus.
Lib. 7. Moral. c. 13. Peccatori diabolus quoque, inquit D. Gregorius, intus aciem contemplationis offundit, deinde foras in circuitu
Psal. 11. laborum mittit, iuxta illud Dauidicum, *In circuitu impij ambulant*, instar equorum in molendino. Alij circumagunt, seu potiùs circumaguntur, in pneumatica mola superbiæ, alij in argentea auaritiæ, alij in oleacea adulationis, & ad centrum, quod nobis Deus est, numquam pertingunt. De a-
L. 1. Ornith. quila scribit Aldrouandus, illam dum pugnat contra ceruum,

ſum, puluerem alis collectum in oculos iſtius excutere, vt mox excæcatum præcipitet: ita aduerſarius noſter diabolus, quos aggreditur, obiectis diuitijs & voluptatibus, alijſque illecebris excæcare, & in caſſes ſuos præcipites dare annititur.

Eſt etiam alius modus ambulandi cæcorum, nempe dum puerum vel canem viæ ſequuntur ducem. Nec abſimili ratione multi à pueris ſuis, quorum causâ fœnus committunt, aliiſque ſceleribus & iniuſtitijs ſeipſos commaculant, ducuntur, quaſi cæci ad infernum. Alij canem ducem habent, ij ſcilicet qui gulæ, mordacitati, inuidiæ, aliiſque vitiis caninis indulgent.

Et quanta hæc, ô Deus! calamitas & miſeria, ambulare in tenebris, & ſuauiſſimâ lucis vſurâ priuari! Meritò Tobias cùm ab Angelo ſalutaretur, *Gaudium tibi ſit ſemper*; reſpondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Quia nimirum tenebræ & cæcitas, ſunt quaſi omnium malorum quoddam compendium. Quod indicare videntur illa Saulis verba, quando anguſtijs vndequaque circumdatus, dixit armigero ſuo iuxta tranſlationem Septuaginta: *Confice me: nam apprehenderunt me denſæ tenebræ.* quemadmodum & epitheton *horribilis*, quod ſolis tenebris inter decem Ægyptiorum plagas, tributum eſt. *Factæ ſunt*, inquit textus, *tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus.* Quid inferno triſtius, quid miſerabilius? Hoc vt Iob exprimeret, *terram* vocauit *tenebrarum*, ductâ quadam ſimilitudine à diuerſis terræ noſtræ habitabilis partibus, quarum alia terra auri, alia terra butyri, alia terra ferri, alia terra equorum nominatur: ſed hæc tenebrarum, quia nimirum non habebat aliud epitheton paratius ad manum quo diras damnatorum pœnas aptiùs exprimeret. Vt enim in cælo lucerna eius eſt agnus, efficitque vt non aliâ luce, neque ſole indigeant inquilini cæleſtis Ieruſalem, matris noſtræ; ſed omnes affatim exhilarat, ſummâque beati-

Tob. 5.
1. Reg 31.
Exod. 10.
Iob 10.
Apoc. 21.

tudine perfundit: ita tenebræ infernales, quas fumidus ille & vaporosus ignis exhalat, summam mœstitiam & dolorem damnatis adferunt.

Quantum denique malum peccatum homini accersat, colligi vel inde potest, quòd non tantùm per tenebras, sed & per lubricum incedat, & qui in vno offendit, factus sit ad omnia procliuis. Iac. 2.

§. V. *Dæmonibus est voluptati & derisui.* Lib. 4. cap. 2.

Dominica III. Quadragesimæ. Heb. 1. Lib. de anima cap. 2. De vita contempl. c. 13.

NOnne ijs qui à Lucifero ad ruinam nostram procurandam destinantur, quemadmodum beati illi & cælestes genij *in ministerium missi* sunt *propter eos qui hereditatem capiunt salutis*? Cui enim hominum, (vt Tertulliani verbis vtar) non adhærebit nequam, ab ipsa etiam ianua natiuitatis animam aucupabundus? Quod S. Prosper valdè deplorans ait: Heu! quàm subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit! quantâ cæcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi auidi, vnde iustiùs gaudeamus! Siste hîc paulisper cogitationem tuam ad illa verba D. Prosperi: Quanta cæcitas oculos nostræ mentis obducit! & simul in animam reuoca qualem Belgarum pueri ludant lusum. Hi vni è grege suo tãdiu oculos velant, donec ex socijs quempiam manu apprehenderit; interea omnes lusitabundi circumcursitant, & exertis digitis errabundum & auras prensantem irrito conatu derident: ita dæmonibus peccatores sunt voluptati & derisui. Quod ne sanctissimo Prophetæ Iobo accideret, edixit Deus satanæ: *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua.* Quod quidem alij aliter interpretantur, sed Olympiodorus sic exponit; Animi partem ne attinge, intellectum delusoriis phantasmatibus ne perturbes, nec rationis lumen quauis ratione obfusces, quò tibi ludibrium debeat. Cõtrà accidit viro summæ abstinentiæ, qui labore manuum quotidianum victum comparabat, in

Iob 2.

Lib. 8. Vit. Patrum c. 44

in oratione noctu diuque persistebat, cūctis denique animi virtutibus florebat. Ad hunc enim accedens tentator, & laqueos parans, finxit se decoram mulierem sub noctem oberrantem per eremum: quæ velut fessa post nimios itineris labores, cùm ostium inuenisset apertum, ingressa est speluncam; & procumbens ad viri genua petijt, vt sibi illic liceret quiescere, vtpote quam nox apprehendisset. Ille cùm mulieris esset misertus, quod quidem non debuit, eam admisit in speluncam, & de errore varia est percontatus. Illa & narrauit, & blanda ac fallacia verba inspersit, sermonem diutiùs cum eo protrahens; sensim interea nescio quomodo pelliciebat ad amorem: adeò vt plura deinceps inter se verba conferrent, riderentque ac in gaudia soluerentur, donec eum ipsa multo denique sermone seduxisset. Itaque tandem cōtrectatione manus, & genæ, & ceruicis, exercitatorem meum redegit in seruitutem. Nam licèt ille internis fluctuaret cogitationibus, reputans tamen habere iam se in manibus rei opportunitatē, & voluptatis explendæ securitatem, cogitationi assentitur, tentatque cum ea commisceri, vt qui iam euasisset insipiens, & equus in feminas insaniens. Illa verò cùm repentè magnâ voce exclamasset, vmbræ ad instar ex illius manibus euanuit. Cachinni autem in aëre auditi sunt multorum dæmonum, senem irridentiū, ac magnis vocibus insultantium: *Qui se exaltat, humiliabitur.* Ex quo facile est colligere in inferno non minus esse gaudium super iusto aliquo, virtute & meritis excellente, si corruat, quàm in cælo super peccatore pœnitentiam agente. Luc.18. Luc.15.

Inexplebiliter, inquit D. Prosper, diabolus de perditorum captiuitate tripudiat. Tormentis nostris delectatur, doloribus refrigeratur: effusio nostri sanguinis, est ei poculum mellis. Nullum saccharum, nullum vinum, ita exhilarat dæmones, atque nostræ ebrietates, & sordes libidinum. Et Chrysologus de illo ait: Capit satietatem, voluptatem De vita contempl. c. 15. Petrus Cellens. lib. de 5. panibus, c. 2. Serm. 12.

 percipit,

percipit, expletur epulis, quando nos libido ſoluit, quando moriuntur virtutes, viuunt vitia.

Sed quoniam puerorum noſtrorum mentionem ſuprà fecimus, eſt & aliud quo impensè ſe oblectant. Simulant ſe velle compedes fatuo, qui per plateas vagatur, inijcere; & filum vel ſtramen expediunt, vt ad anulum oſtij vicinioris alligent: ille verò exiſtimat ſe fortiùs ligatum, quàm Martem cum Venere Vulcanus implicuerat; flet, eiulat, extremam opem implorat, nec vel pedem mouet, non ob impotentiam, ſed iudicij errorem. Interea pueri

Perſius. *ingeminant tremulos naſo criſpante cachinnos,*

fortiſſimè ligatum clamant, atque illi in vinculis permanendum eſſe. Quo edicto non ſecùs percellitur, atque reus iudicis ſententiâ. Hunc quoque ludum ſeriò ludunt dæmones, dum non inſcitiam affectuum noſtrorum, ſed inſaniam rident, quòd peccatorum illecebrâ irretitos, ad excutiendum tam futile iugum, nullus ardor inuadat; quòd velut herculeo quodam nodo, ſic terrenis rebus illigatis, nulla ſurſum euolandi voluntas potiùs quàm poteſtas ſuppetat.

Prou. 22. Veriſſimum quidem eſt quod Sapiens ait: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.*

Lib. 4. Moral. cap. 25. Quinimò, vt Gregorius, Quot vitiis peccator aſtringitur, quaſi tot vinculis ligatur. Et ſic multiplicatur captiuitas & ſeruitus peccati, duriorque fit ac miſerabilior multiplicatis vitijs. Sed quid tandem eſt, quo vniuerſim mundus detinetur? Si libet, propiùs inſpiciamus, & enumeremus. Honores ſunt, inquies. At quid, niſi fumi? diuitiæ, vmbræ ſunt: nomen & fama, aura ac ſtrepitus: voluptates, fallax prurigo, primò blandiens, poſtea dolens. Atque ſeriò iam tecum ſtatue an fumi, vmbra, aura & ſtrepitus, vilis denique prurigo captiuare niſi inſipientem poſſint? Vt verò ab vniuerſalibus magis ad particularia deſcendamus; quàm ridiculum, ſi pulicem poſt ſe trahentem auream catenulam conſpiciamus? in oſtentum eiuſcemodi pulex circumfertur:

tur:ita & dæmones viros diuitiarum quaſi oſtentui habent, quibus cùm impoſuerint diuitiarum iugum, quocumq; voluerint inclinant, per terras agunt & maria; & omnigenas perpeti itinerum moleſtias, atque aëris incommoda miſeros illos cogunt. Si homo adoleſcens, robuſtus alioquin & eruditus, arbitretur ſe aheneis vinculis præditum, dum amaſiæ ſuæ amoribus implicatur, & aſſiduè ſecum murmuret, nónne ridiculum? Illane formæ præſtantia, illud oris decus, illæ genæ, illæ ſororiantes mammæ, totus denique lepos, vincula ſunt, ne Herculeâ quidem rumpenda manu? O inſane! ſtramen tantùm, vel tenuiſſimum filum eſt, animum ſi regas. Tecum cogita, quemnam illa quæ diximus, vel pilo vno effecerint aut ſapientiorem, aut longæuiorem, aut tranquilliorem, aut denique beatiorem? Nemo non peior amoribus illicitis euaſit, tantum abeſt vt melior vmquam effectus, aut horum auxilio firmiora latera, ingeniumúe ſubtilius ſit aſſecutus. Verè ſtramen, & nullius mométi aut expectationis crepundia te detinent, vt ſis dæmonum pila & ludibrium. Vt alios omittam, nulli hiſtriones, nulli paraſiti, fatui nulli, tam regibus ſunt voluptati, atque diaboli magis ſuis & incantatoribus delectantur: horum verbis & impijs cæremonijs ſimulant ſe cogi, cùm nihil libentiùs faciant, quàm vt ſe præbeant turpiſſimis perditorum hominum vitijs vel impulſores, vel adminiſtros. Simulat ſe dæmō captum, vt te capiat; ſe vinctum, vt te vinciat; ſe tuo imperio ſubditum, vt te ſibi ſubdat; à te incluſum, vt te finaliter includat; fingit ſe arte tuâ, vel imagini, vel lapidi alligatum, vt funibus peccatorum ad inferos te perducat. Qua in re tam callidè peſſimi illi genij verſantur, vt, ſi quis apicem ex incantandi formula omiſerit, mox ei aut ingentem terrorem, aut vitæ periculum, aut mortem etiam ipſam inferant; quaſi in læſæ maieſtatis ſuæ, vel ſeruitij coacti vindictam: cùm tamen nihil minùs quàm lædantur, vel cogantur inuiti. Interdum quò fraus meliùs ſucce-

ſuccedat, vera quædam produnt, & nonnumquam ea faciunt, velut quadam verborum vi inducti, quæ in ſpeciem bona piáque videntur; ſed nullo prorſus veritatis pietatiſque ſtudio, quod minimum habent; ſed vt commodiorem aptioremque impoſturæ ſuæ laruam prætexant. Quoties verò hos fanaticos, maximè mulierculas, vanis pollicitationibus, mentitis choreis, epuliſque maginariis, illudunt? Et quid niſi vt miſerrimos hoſce deceptiſſimoſque voluptati & deriſui habeant? quibus nihil magis cordi eſt, quàm homines ſupplantare: & quia Deo quem oderunt nihil nocumenti inferre poſſunt, illos tentant ire perditum qui expreſſam in ſe Diuinitatis imaginem gerunt.

Sic etiam dæmon nimis credulos idolorum cultores deridebat, dum ambiguâ reſponſione ignorantiam ſuam, (quidquid Plutarchus in Pythia reclamet) contegens, conſultores ſuos veluti naſo ſuſpenderet. Quemadmodum reſponſum fuit Pyrrho ab Apolline Delphico,

Vide Eugubinum in ſua Coſmopoeia. & Euſeb. l. 5. c. 10. Præparat. Euang.

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe:

& Crœſo regi Aſiæ expeditionem in Perſidem paranti,

Crœſus Halym ſuperans magnam peruertet opum vim.

Ex quo erui non poterat ſuamne an hoſtium vim eſſet euerſurus. Simili quoq; verſutiâ Epaminondā Thebanum ante Leuctricam victoriam ludere conatus eſt. At ille, cùm duo contraria auguria, quo tempore moturus erat caſtra, apparuiſſent, quorum altero victoria, altero clades portendebatur; anxios inde milites conſpicatus, ac ſciens res huiuſmodi eſſe vanas, generosè dubia reſponſa interpretatus eſt; dixitque mouens caſtra, altero ſuis promitti victoriam, ſi fortiter hoſtem aggrediantur; altero autem cladem, ſi ordinem in acie non tenuerint, vel ducibus non obtemperarint. Sic ipſe dæmones ſibi ludum facientes, hac interpretatione ludificatus eſt.

Diodor Sicul. lib. 15.

In Timæo.

Quid poſtremò de ebrioſis dicam? Plato mira refert de iuuenibus quibuſdam Agrigentinis, qui cùm tantum vini hau-

hauſiſſent, vt mentis emotæ eſſent, ſibíque in triremi cubare, ventiſque grauibus agitari viderentur, timentes ne nauis onere depreſſa mergeretur, eam exonerare certatim adorti ſunt; atq; è feneſtris extra domũ menſas, lectos, arcas, aliáque plura proiecerunt; vigilibus factum admirantibus, & (quis dubitet?) dæmonibus voluntariam hominum inſaniam irridentibus. O ventres, ô congij, quot ludibria dæmonibus debetis! Quàm illi lubenter de veſtro vomitu, de corijs ludunt! Quo quid miſerabilius grauiuſque excogitari poteſt? Nemo enim, tametſi viliſſimæ conditionis, explodi ab amicis ſuſtinet; quantum ergo tormentum fuerit, ſi hoſtes, iíque infenſiſſimi, ingenuum & liberalem naſo adunco ſuſpendant, eíque acerbè inſultent?

LIBER SECVNDVS,

CAPVT PRIMVM.

§. I. *Causa fundamentalis conuersionis S.* AVGVSTINI *fuit æterna Dei prædestinatio.*

THEMA CONCION.

Quos autem prædestinauit, hos & vocauit. Rom. 8.

SEPTEM per hiemes in mari iactatus fuit Troianus Æneas, varijsq; erroribus exercitus, dum fugientem sequitur Italiam, & omnium quæ futura erant ignarus. Sciebat tamen diuina prouidentia, quæ hæc inferiora è vertice despicit, quæque se ad omnes omnino res creatas extendit, quemadmodum prædestinatio ad solos homines, cui rei tot circuitus, tot itinerum volumina, tanta temporis mora deseruiret. Errabat quidem Æneas, sed non Deo: qui & initium, & medium, ac finem tantæ peregrinationis contemplabatur, iamque æternæ vrbis conditores, ex erronis istius cum Lauinia coniugio designarat: iam tum, inquam, tot heroas, tot animas illustres, imperio orbis terrarum natas in lumbis eius præuidebat. Deflexerat quoque à recto tramite AVGVSTINVS, neque iam septem modò, sed ferè quot vixerat annos, oberrauerat plateas Babylonis, videbaturque ipsum, ad quem sine iudicio tendebat, salutis portum fugere; donec de longè miserans, illumque circumuolitans ex alto, diuina benignitas ad meliora inflexit, & nihil minùs cogitantem magnum Patrem tot Ordinum constituit. Enumerantur enim cum militaribus sacri Ordines & Congregationes, sub regula ipsius militantes, supra sexaginta;

Vide Lancilott sub finē vitæ S. Aug.

ginta. Dormiebat adhuc vetus ille Adam somnum peccatorum, & oculis grauatis lucem Christianam excludebat; & iam tum ex latere ipsius formosissima virgo à Deo plaste rerum omnium formabatur. Religionem intelligo, quam postea AVGVSTINVS ex Italia primùm in Africã inuexit, & ob quam verus pater Monachorum extitit. Nempe, *qui regis Israel, intendis*, qui te in æterna vita videntes gubernas, (Israel enim tantumdem est ac videns Deum) etiam harum inferiorum rerum curam non negligis: & quamuis ab incredulis existimeris nostri solicitudinem à te ablegasse; tamen *deducis velut ouem Ioseph*, id est, eos quos in vltima temporis senectute genuisti, & à fratribus suis persecutiones magnas sustinent, & somniatores vocantur; tu paulatim in tribulationibus crescentes deducis per ignem & aquam, sicut ouem mansuetam ad macellum, mortificatam totâ die, vt per compedes & carceres transeant ad regnum, & ad pascua viriditatis æternæ: tantum abest vt tuorum memoriam, etiam tum cùm grauissimæ aduersitates ingruunt, vmquam deponas. Sed & aliter intereà hunc locum ad propositum nostrum adaptemus. *Qui regis Israel, intendis, & deducis velut ouem Ioseph*, id est, qui videntes te, seruos tuos, fideles tuos, regis & protegis, etiam ad peccatores oculos conuertis, & eos velut ouem, quæ aberrauerit, & reuerti ad gregem nescit, quæris, in humeros sustollis, ad pascua reducis: ita tamen vt habere debeant (quod per Ioseph designatur) augmentum bonæ voluntatis, quo gratiæ tuæ cooperentur, & dignos præstent fructus pœnitentiæ.

& Prosperũ Stellartium in nucleo histor.

Psal. 79.

Rom. 8.

Matth. 3.

Certè prima ratio, cur ex peccatore iustus, ex impudico castus, ex superbo humilis, ex hæretico Manichæo Christianus Catholicus euaserit AVGVSTINVS, fuit æterna Dei prædestinatio: quam nouisse possumus ex ijs quæ nobis accidunt in tempore, ideo quòd ab æterno à supremo illo Numine fuerint ordinata. Hæc verò adeò non opera nostra

bona prærequirit, vt etiam pessimos quosque ad altissimos
2. Timot. 2. sanctitatis gradus prouehat. *Vocauit nos vocatione sanctâ, non secundùm opera nostra*, scilicet liberi arbitrij, vt volebant Pelagiani; *sed secundùm propositum suum & gratiam.* Cuius
Gen. 48. illustrem figuram habemus in Genesi. Iacob rogatus à filio Iosepho, vt nepotibus benediceret, extendens manum dextram, posuit super caput Ephraim minoris, sinistram super caput Manasse maioris natu, commutans decussatim manus. Nam quemadmodum Iacob Ephraim, qui sinistræ manui erat oppositus, dextram imposuit; ita diuina benignitas in sinistro latere consistentes, frequenter ad felicissimum dextræ suæ consessum vocat, atque ex priuilegio gratiaque speciali manus suas commutat. Quid in Apostolo Paulo Deus inuenit, nisi innumera opera mala? *Ibat*
Act. 9. *Saulus spirans minarum & cædis in discipulos Domini:* at quia ab æterno prædestinatus erat vas electionis, deturbatum illum in terram, postea Deus erexit & illuminauit. Quid in AVGVSTINO? Nihil nisi sordes, & variorum scelerum inquinamenta: & tamen vide profusam Dei bonitatem, quem ex massa æternæ damnationis elegerat, (quemad-
Rom. 9. modum & de Iacob scriptum est, *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (vt secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Iacob dilexi*, &c.) huic in tempore efficacis adminicula gratiæ subministrauit. Nempe ex illis erat, de
Rom. 8. quibus Apostolus ait, quòd *secundùm propositum vocati sunt sancti*, id est, æterno Dei placito, liberali decreto, volunta-
Act. 2. riâ & gratuitâ constitutione, definito consilio, vocati sunt ad sanctitatem; licèt ipsorum anteacta vita nihil fortasse nisi iram & indignationẽ diuinam fuerit promerita. Enimuero quòd peccatores vocentur, excitentur, iustificentur, soli Deo miseranti, non humanis meritis, aut naturæ viribus adscribendum est. Hinc Angelus in nocte natiuitatis Dominicę, vt indicaret Deum prædestinasse nobis per natiui-

natiuitatem filij sui, internam animi tranquillitatem & pacem, quæ gratiam consequi solet, canebat: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Græcè est εὐδοκίας, id est, beneplaciti, & beneuolentiæ diuinæ, eò quòd Deus iam destinasset hominibus per Verbum incarnatum exhibere bonam suam voluntatem & amicitiam. Luc. 2.

Vocauit autem Dei benignitas AVGVSTINVM, tum vocatione externâ & vocali, putà pueruli canentis: *Tolle lege, tolle lege*; per exempla item Victorini, Antonij, & aulicorum; per flagella timoris de morte & iudicio concepti; per conciones Ambrosij, Monicæ lacrymas: tũ maximè internâ, & in animam penetrante, per gratiam quæ externæ vocationi non tantummodò commensa est, sed eam sępiùs superat. Et hæc erat AVGVSTINI prædestinatio, quæ vel ipso teste nihil aliud est quàm præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimò liberantur quicumque liberantur. *Oues*, inquit Saluator noster, *meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas*, id est, diligo: iuxta illud Apostoli: *Nunc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo*, id est, dilecti: &, *Cognouit Dominus qui sunt eius*: scire enim, siue nouisse, Dei, fauorem & affectum connotat. *Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et quare hoc fit in tempore, nisi quia erãt ante tempus prædestinati? Et Isaias de se ait: *Iuxtà est qui iustificat me, quis contradicet? Ecce Dominus auxiliator meus; quis est qui condemnet me?* Lib. de bono perseuerant. cap. 14. Ioan. 10. Galat. 4. 2. Timot. 2. Isaiæ 50.

Adeò vt ipsi miserabiles AVGVSTINI errores vitiaque non videantur aliud fuisse, quàm illa aqua, quâ Elias, contra quadringentos pseudoprophetas decertans pro veritate Numinis, ligna sacrificij sui conspersit. Non modò enim humor ille, licet copiosè effusus, ignem, quem S. Propheta precibus è cælo elicuerat, nõ extinxit, vt potiùs eum instar adipis vel olei accenderet. *Ad preces Eliæ cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque,* 3 Reg. 18.

& aquã, quæ erat in aquæductu, lambens, in sui scilicet ipsius nu-
Num. 22. trimẽtum, non aliter atque bos solet linguâ herbas carpere, & canis aquã lambere. Crediderim idcircò deprauatæ volũtatis, (vt cum Valerio loquar) AVGVSTINVM nubilo fuisse perfusum, vt virilis ætatis eius decus lucidiùs enitesceret.
Rom. 8. visa enim fuerunt ipsa scelera ei cooperata ad salutem. Refrixerat, madebatque, sed vt ardentiùs ignem conciperet, luculentiùs flagraret: retrò cesserat, vt longiùs saliret: instar nerui altiùs ab arcu retractus erat, vt iaculum sanctæ conuersationis postea cælo sublimiùs immitteret.

Passus est clementissimus Deus illum labi, vt tanto efficaciùs ceteros ab erroribus reuocaret. Errauit ipse *sicut ouis*
Psal. 118. *quæ periјt*, vt aliorum effectus pastor palantes oues non contemneret, quin potiùs humeris imponeret, & ad salubria doctrinæ Euangelicæ pascua reduceret, iuxta illud Didonis apud Virgil.

Æneid. 1. *Non ignara mali miseris succurrere disco.*

Neque iam inde ab initio obscuris indicijs hanc eius præelectionem Deus indicauit. Vnde enim, aut à quo alio, quàm à te, ô summa & inexhausta bonitas, in adolescente octodecim plus minùs annorum, tam insatiabile ad veram sapientiam desideriũ, tantus sanctissimi nominis tui amor?
Lib. 3. Confess. cap. 4. Cùm enim legisset aliquando Ciceronis Hortensium, qui adhortationem ad philosophiam continebat; Ille verò, inquit, liber mutauit affectum meum, & ad teipsum Domine mutauit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis spes, & immortalitatem sapientiæ concupiebam æstu cordis incredibili: & surgere iam cœperam, vt ad te redirem. Quomodo ardebã, Deus meus, quomodo ardebam euolare à terrenis ad te? & nesciebam quid ageres mecum; apud te est enim sapientia. Tam altè verò imbibitum in animo gerebat amorem nominis Dei sui, vt etiam hac solùm de causa tantus in ipso ardor deferueret, quòd nomen Christi non inueniebatur in Hortensio.

ſio. Quoniam, ibidem ait, hoc nomen Saluatoris mei, filij tui, in ipſo adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat: & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis litteratum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.

Cumque iam cognitâ falſitate Manichæorum ſectæ, eam deſerere ſtatuiſſet, nec tamen illi omnino reluceret claritas Chriſtianæ fidei; hærebat dubius quò vela flecteret: tranſiuiſſetque ad philoſophos, ſed quia ſine nomine ſalutari Chriſti erant, curationem languoris animæ ſuæ illis committere omnino recuſabat. Lib. 5. Conf. cap. 14.

Iam verò ita cordi inſculptum geſtare nomen Dei, ecquis euidentiſſimum prædeſtinationis ſignum eſſe negauerit? De Saulo dicitur: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael.* quaſi dicat, Quia Saulus eſt prædeſtinatus, quia illum mihi elegi in vas honoris; portabit nomẽ meum in corde, ore, calamo. quod adeò conſtanter fecit, vt etiam reciſâ ceruice, diuinum illud os tertiò ſuauiſſimum Ieſu nomen efferret. Liceat ergo dicere, eum quicumque aſſiduè Ieſum in corde gerit, prædeſtinationis ſuæ quaſi teſtimonium gerere: adeò vt ſint inſtar conuertibilium, (ſicut appellant) eſſe prędeſtinatum, & nomen Dei eo modo, quo Sancti illi, portare. Act. 9.

Conuerſio AVGVSTINI *diu antè diuinitus reuelata.*

Longè tamen id euidentiùs, nouem ante conuerſionem AVGVSTINI annis, D. Monicæ oſtenſum eſt. Nam, cùm inceſſabili Deum oratu vt ita dicam, defatigaret; exaudiuit eam Deus, nec deſpexit lacrymas eius, cùm profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius, conſolatusq; eſt eam ſomnio diuino, ſomnio veraci, quod ab ipſo, quemadmodum & Epiſcopi cuiuſdam reſponſum, proculdubiò profectum erat: qui infatigabili miſericordiâ tot annos AVGVSTINI *peccata diſſimulauit, propter pœnitentiam.* Sap. 11.

Lib. 3. Confess. cap. 11.

tiam. Vidit enim Monica ſtantem ſe in quadam regula lignea, & venientem ad ſe iuuenem ſplendidum, hilarem, atque ei arridentem, cùm illa eſſet mœrens, & mœrore confecta. Qui cùm ab ea mœſtitiæ ſuæ, & quotidianarum lacrymarum (docendi, vt aſſolet, non diſcendi gratiâ) cauſas quæſiſſet, atque illa reſpondiſſet, perditionē meam ſe plangere; iuſſiſſe illum vt ſecura eſſet, atque admonuiſſe, vt attenderet, & videret, vbi eſſet illa, ibi eſſe & me. Quod illa vbi attendit, vidit me iuxta ſe in eâdem regula ſtantem. Vnde hoc, niſi quia erant aures tuæ ad cor eius? Et tu bone Omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrûm, tamquam ſolum cures; & ſic omnes, tamquam ſingulos. Vnde illud etiam, quòd cùm mihi narraſſet ipſum viſum, & ego ad id trahere conarer, vt illa ſe potiùs non deſperaret futuram eſſe, quod eram; cōtinuò ſine aliqua hæſitatione, Non, inquit, non enim mihi dictum eſt; *Vbi ille, ibi & tu*: ſed, *Vbi tu, ibi & ille*. Et vnde hæc fiducia & certitudo, niſi quia intrabant in conſpectum tuum preces eius, licet me dimitteres adhuc volui & involui illâ caligine.

Lib. 3. Confess. c. 12.

Et dediſti alterum reſponſum per Sacerdotem tuum, quemdam Epiſcopum nutritum in Eccleſia, & exercitatum in libris tuis (is verò non fuit Ambroſius; at quis fuerit, Oedipo opus eſt.) Quem cùm illa femina rogaſſet, vt dignaretur mecum colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala, ac docere bona, (faciebat enim hoc, ſi quos idoneos inueniſſet;) noluit ille, prudenter ſanè, quantum ſenſi poſtea. Reſpondit enim me adhuc eſſe indocilem, eò quòd inflatus eſſem nouitate hęreſis illius, & nonnullis quæſtiunculis iam multos imperitos exagitaſſem, ſicut illa indicauerat ei. Sed ſine, inquit, illum ibi, & tantùm roga pro eo Dominum; ipſe legendo reperiet, quis ille ſit error, & quanta impietas. Simul etiam narrauit ſe quoque paruulum, à ſeducta matre ſua datum fuiſſe Manichæis, & omnes penè non legiſſe tantùm, verùm etiam ſcriptitaſſe libros eorum:

ſibiquo

ſibique apparuiſſe, nullo contrà diſputante & conuincente, quàm eſſet illa ſecta fugienda: itaque fugiſſe. Quæ cùm ille dixiſſet, atque illa nollet acquieſcere, ſed inſtaret magis deprecando, & vbertim flendo, vt me videret, & mecum diſſereret; ille iam ſubſtomachans tædio, *Vade*, inquit, *à me, ita viuas: fieri enim non poteſt, vt filius iſtarum lacrymarum pereat*. Quod illa ita ſe accepiſſe, inter colloquia ſua mecum ſæpè recordabatur, ac ſi de cælo ſonuiſſet.

Adde, cùm ex Africa in Italiam traijceret, ortâque tempeſtate metueretur naufragium, illa & in periculis omnibus de promiſſione Dei ſecura, & internâ reuelatione de conuerſione filij, quem ante mortem viſura eſſet Catholicum, confirmata, per marina diſcrimina ipſos nautas conſolabatur, à quibus rudes abyſſi viatores, cùm perturbabantur, conſolari ſolent, pollicens eis peruentionem cum ſalute, quia hoc ei tu Deus per viſum pollicitus eras. Et hæc certiſſima quaſi ſignacula ſunt prædeſtinationis AVGVSTINIANÆ. Abſit enim, ait S. Doctor, vt tu falleres eam in illis viſionibus, & reſponſis tuis, quæ iam commemoraui, quæ illa fideli pectore tenebat: & ſemper orans tamquam chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in ſæculum miſericordia tua, eis quibus omnia debita dimittis, etiam promiſſionibus tuis debitor fieri.

Lib. 6. Conf. cap. 1.

Lib. 5. cap. 9.

Habebat, vt hoc obiter dicam, D. Monica gratiā diſcretionis ſpirituum; cogitationum, ſcilicet, & intentionum cordis, & conſequenter actionum & ſermonum, vt ſciret an à naturæ, an dæmonis, an à Dei vel Angeli ſpiritu & inſtinctu proficiſcerentur. Cùm enim vellet aliquando filio ſuadere coniugium, vt eum ab illicito concubitu abduceret, videbat quædam vana & phantaſtica, quò cogebat impetus de hac re ſatagentis humani ſpiritus. Et narrabat mihi, inquit S. Doctor, non cum fiducia quâ ſolebat cùm tu demonſtrabas ei, ſed contemnens ea. Dicebat enim, diſce-

Lib. 6. c. 13.

re se nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter reuelantem te, & animam suam somniantem. Inter alia autem signa, quibus veræ reuelationes à falsis discernuntur, præcipuum est interna inspiratio, quâ certior fit anima, vtrùm ex Deo sit aliquid, an ex diabolo. Et hic est ille sapor, cui explicando D. Monica non sufficiebat. Gerson plura adfert, & reuelationes ad similitudinem monetæ, quinque indicijs explorandas censet: primò, pondere; secundò, flexibilitate; tertiò, durabilitate; quartò, configuratione; quintò, colore. Pondus reuelationi dat humilitas, discretio flexibilitatē, patientia durabilitatem, veritas configurationem, charitas colorem. Qui color isti visioni D. Monicæ deerat, quia non spiritualem, sed humanum & carnalem spiritum sapiebat.

Lib. de probat. spirit. de disting. ver. à fals. vision.

§. II. *Quòd nomen Prædestinationis neminem panico metu concutere debeat.*

Dominica Septuag.

IN illa quidem sententia, quæ statuit electionem ad gloriam ante omnia omnino vel merita vel demerita propria actualia, (quia sine dubio peccatum originale omnem præelectionem antecedit) tam difficilis est conceptu prædestinatio (neque enim omnes ita animo comparati sunt, vt sentire possint quod velint) vt occurrant animo sæpiùs eiusmodi, quæ ad pusillanimitatem proritant. Non hoc fortassis accideret, si quid in alterutram partem foret ab Ecclesia decisum: captiuandus enim tum esset intellectus in obsequium fidei, quemadmodum in alijs mysterijs, putà SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ. At iam tot salebræ se offerunt, tantus animo mœror & melancholia obrepit, tanta interdum afflictio inuadit, vt homines infirmioris iudicij nonnumquam ad desperationem & spontaneam mortem adigat. Quemadmodum scribit S. P. AVGVSTINVS monachum quemdam sui monasterij eò fuisse hac argumentatione deductum: Vel sum prædestinatus, vel sum reprobatus:

2. Cor. 10.

Lib. de bono perseuerant. cap. 15.

probatus: si prædestinatus, certissimò saluabor, quomodocumque tandem vixero; si reprobatus, necessariò damnabor, quocumq; me vertero: vt desertâ vitâ Religiosâ rediret ad sæculum, & periret. Nam putando se efficaciter prædestinatum esse ad gloriã ante præuisa merita, & hanc prædestinationem esse infallibilem & immutabilẽ, quid aliud cogitare poterat, quàm se infallibiliter peruenturum ad gloriam, etiamsi perditissimè se gereret? Similiter putando se negatiuè reprobatum esse ante præuisa opera, quid aliud poterat cogitare, quàm nihil sibi profuturum, quantumuis benè viueret, quandoquidem illa negatiua reprobatio habitura sit infallibilem euentum? Sic & alius quidam vir Religiosus, difficillimis huius materiæ cogitationibus implicatus, sæpè sæpiùs inter orandum ingemiscens dicebat: Ah! si scirem vtrùm forem prædestinatus, & certò essem aditurus hereditatem regni cælestis, quàm benè viuerem, quàm deuotè orarem, quàm facerem omnia mea feruenter & accuratè! accepitque diuinitus inspirationem, Sic viuas quasi fores prædestinatus, & curam hanc à te abdica: Deo salutem tuam committe, & præteritam argumentationem sic mitiga, tecumque statue: Si prædestinatus sum, id est, si à Deo ordinatus sum ad vitam æternam, per certa media, quæ in mea potestate sunt, consequendam; certò consequar vitam æternam, modò illa media adhibuerim. Rursus, Si sum reprobatus, id est, à Deo ordinatus ad perpetuos cruciatus propter peccata mea, quæ liberè commissurus sum; certò damnabor, si peccata illa committam, & ab eis non abstinuerim. Et hæc vna ex causis fuit, quæ R. P. Lessium impulit ad euulgandam disputationem de prædestinatione & reprobatione Angelorum & hominum, quia longo vsu deprehenderat, multorũ animos prædestinationis consideratione valdè perturbari. Scio, inquit, in præfatione ad lectorem, quosdam in grauissimos melancholiæ affectus incidisse; alios pænè totam vitam in anxietate versari, prædesti-

Thom. à Kempis l. 1. de imit. Christi cap. 25.

nationem Dei ſemper ſuſpectam habentes: alios ſtudium pietatis, & ſtatum Religionis abieciſſe. Tenuit etiam ea res me aliquot annis perplexum. Si enim de omnibus, ante præuiſionem eorum quæ ſumus facturi, iam eſt firmiter & abſolutis decretis ſtatutum; ſi numerus ſaluandorum, qui nec augeri, nec minui poteſt, nullo operum vel laborum noſtrorum habito reſpectu, immutabiliter eſt definitus; ſi ante examen operum de omnibus irreuocabili præiudicio eſt definitum: ſunt qui putent, tolli omnem ſolicitudinem rectè viuendi, quia ſi illo numero es comprehenſus, nulla incuria faciet vt excidas; ſi non es comprehenſus, nulla ſolicitudo faciet vt intres. Atque huic perplexitati adeò medicinam non faciunt, vt potiùs eam exaſperent, qui ita ratiocinantes obiurgandos cenſent, nullâ aliâ ratione, in qua mens poſſit acquieſcere, allatâ. Et quamuis ſimplicioribus, qui tantæ ſubtilitatis non ſunt capaces, interdum obiurgatio rectè adhiberetur; tamen apud ingenioſos & eruditos nihil prodeſt. Cùm enim de re maxima agatur, meritò aliqua ratio exigitur, quâ mens tranquilletur: quæ ſi dari non poteſt, repudianda erunt potiùs eiuſcemodi principia ex quibus talis ratiocinatio ducitur, quàm quies animi perdenda, cùm ab Eccleſia nihil hîc ſit definitum. Hactenus ille. Malè tamen hinc Caluiniſtæ, alijque hæretici occaſionem confundendi prædeſtinationem cum reprobatione deſumere conati ſunt; quaſi idem ſit Deum quoſdam præeligere ad æternam beatitudinem ante præuiſionem meritorum, & finalis perſeuerantiæ, atque deputare æternis ſupplicijs, non antè viſis demeritis, & obſtinatione animi in peccatis. Quæ quidem toto cælo ab inuicem differunt: Deum ab æterno quoſdam ex mero beneplacito & liberali voluntate ſua ad gloriam, nullum niſi ex iuſtitia & æquitate ob præuiſam finalem impœnitentiam deputaſſe ad pœnas. Hæreticorum, præcipuè Caluini, placitum eſt, Deum pari ratione vtroſque ſine vlla præuiſione prædeſtinaſſe vel ad

vitam,

vitam, vel ad mortem; vel ad coronam, vel ad pœnam. Quòd verò id cum sacra Scriptura pugnet, manifestum est, atque pulchram huius rei accipe à veteri Testamento figuram. *In diebus Assueri, qui regnauit ab India vsque Aethiopiam super centum viginti septem prouincias: quando sedit in solio regni sui, Susan ciuitas regni eius exordium fuit. Et iußit septem diebus conuiuium præparari in vestibulo horti & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat. Vasthi quoque regina fecit conuiuium feminarum in palatio, vbi rex Assuerus manere consueuerat. Itaque die septimo, cùm rex esset hilarior, præcepit vt introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius. Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempsit. Vnde iratus rex*, &c. Donec tandem humilis Esther illius loco suffecta placuit oculis regis. Historiam legimus, nucleum requiramus: Maximus ille regum dominator Deus, creatis cælo & terrâ, & quasi omnibus regnis & prouincijs omnipotenti imperio subactis, cùm auspicatus fuisset exordium regiminis sui, hortus Eden exordium regni fuit, fecitque conuiuium septem diebus, illis scilicet quibus omnia creauit, perpoliuit, exornauit, vocauitque principes & pueros suos, id est, administratorios spiritus, & illis, quemadmodum & astris, & elementis, causisque secundis omnium rerum sublunarium curam demandauit: atque hoc eis conuiuium fecit, quòd semper adstet vt causa prima, nec quidquam sine eo possint peragere: nisi enim calorem quemdam auramque vitalem & viuificatricem rebus creatis infundat, exarescent, & in vetus chaos relabentur, iuxta illud: *Pater meus vsque modò operatur*, scilicet per omnipræsentiam suam, influentiam, prouidentiam, & dispositionem. Cùm, inquam, inexhausta illa bonitas pluribus diebus cum Angelis, astris, alijsque causis secundis regimen suum partitus esset, demum sexto die ad ostendendam magni-

Esther i.

Hebr. 1.

Ioan. 5.

ficentiam gloriæ ſuæ, ebrius non vino, ſed amore nimio, deſiderioque illius æſtuans, quam tam formoſam fecerat, nempe ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam; ebrius, inquam,
Gen. 9. inſtar Noachi, qui nuditatem ſuam filijs deridendam expoſuit, quia & Deus à Lucifero contemptus eſt, quòd naturam humanam (in qua diuinitas quadammodo inueſtis apparuit) angelicæ prætuliſſet, atque cum infirmitate noſtra coniungi maluiſſet. Iuſſit ergo ſuper illa ſpirituali menſa, vt regina Vaſthi prodiret, id eſt, humana natura, quam ſibi ab æterno deſponſauerat, etiamſi nulla vmquam peccati labe fuiſſet coinquinata. Quam ſententiam tenet Doctor Subtilis, alijque plures in 3. ſentent. diſt. 7. Probaturque ex eo quòd Apoſtolus dicat de Verbo incarnato, quòd prædeſtinatum ſit vt humanam naturam aſſumeret,
Rom. 8. atque etiam ipſe homo fieret filius Dei: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis.* &, *Quos*
Epheſ. 1. *prædeſtinauit conformes fieri gloriæ eius.* &, *Quos elegit ante mundi conſtitutionem.* Et S. P. AVGVSTINVS, & ex illo Hugo Cardinalis, obſeruant Adamum etiam ante tranſgreſſionem diuinæ legis contemplatum fuiſſe myſterium Incar-
Gen. 2. nationis, atque in ecſtaſi dixiſſe: *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.* Prodijt quidem Vaſthi hæc, Eua, inquam, totius humani generis ſeminatrix; ſed regis imperio parere renuit, præſcriptaſque conuiuij leges præuaricata eſt: placuit illi in eſcam, ſuadente diabolo, pomum vetitum, & oris delicijs, coronam capitis, totiuſque corporis decorem amiſit. Donec tandem humilis virgo regi placuit, locumque amiſſum recuperauit. Ad propoſitum noſtrum quod attinet, Deus humanam naturam non niſi peccatis fœdatam cælo excluſit, morti adiudicauit. Bonus, inquit
Lib. 3 contr. Iulian. c. 18. S. P. AVGVSTINVS, eſt Deus, iuſtus eſt Deus: poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt. Ex quo deduci poſſit eiuſmodi argumentum: Quod Deus in tempore non poteſt
iuſtè

iuſtè facere, nec hoc potuit ab æterno iuſtè decernere: non igitur eiuſmodi quippiam decernit ab æterno, niſi antè peccata, & dignitatem pœnæ præuidiſſet. Finio, & acquieſco in hiſtoria quæ aliquid ſimilitudinis in ſe continet, & ad rem noſtram facit, quã refert S. Bernardinus Senenſis. Adoleſcens quidam ætatis annorum decem & octo in ciuitate Sui, prope Valentiam in Catalonia, cùm ob ſuam in parentes impietatem, & alia multa crimina, in patibulo ſuſpenderetur; defunctus, adhuc tamen è patibulo pendens, vidente & admirante populo, barbam primùm emiſit, mox canos, & demum rugatam frontem. quod Dei virtute contigiſſe Epiſcopus populum docuit, vt omnes dignoſcerent, quàm diu infelix ille vixiſſet, ſi parentibus debitum præſtitiſſet obſequium. Quæ paulò fuſiùs deduximus, quo faciliùs fidelis populus intelligat, quàm longè Caluiniſtæ à via veritatis exerrent, qui ex Deo, cuius natura eſt bonitas & miſericordia, crudeliſſimum ſimul & iniquum tyrannum faciunt, audentque palàm aſſerere, illum quotannis multa hominum millia interminabilibus inferni ignibus addicere, tantùm quia ſic libet. At longè aliter ac meliùs D. Fulgentius, Prædeſtinauit, inquit, illos ad ſupplicium, quos à ſe præſciuit volũtatis malæ vitio diſceſſuros: & prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio eſſe manſuros.

Tom. 2. Dominica 2. Quadrageſ. ſerm. 18. art. 3. cap. 9.

Lib. 1. ad Monimum cap. 24.

Hæc ergo ſententia, quæ pluribus, & plano obuioque ſenſu ſacræ Scripturæ teſtimonijs nititur, cui communis SS. Patrum doctrina conſentit, & iudicium naturale ſuffragatur, de electione ad gloriam ex præuiſis meritis, adeò eſt conſolatoria, vt animum humanum ſeruare poſſit, omnemque mœrorem & teporem abſtergere; dummodo enim bonis moribus, pœnitentiæ operibus, pietatis cultui inſiſtere quis velit, (namque per Dei gratiam poteſt) videtur ipſam prædeſtinationem quodammodo in manibus habere. Non

quòd

quòd vllo pacto vel cum Pelagianis, vel Semipelagianis sentiamus: absit hæc à nobis impietas, vel eius leuissima suspicio. Putabãt Semipelagiani in nobis esse quoddam initium, quô sine interna gratia per solas naturæ vires possimus incipere & conari benè agere, quod deinde gratia Dei ad nostrum conatum & desiderium promouendum velut famula dominam subsequatur. Vnde eiuscemodi propositiones statuebant: Labori humano subiungitur gratia. Et, Conatus nostri irriti sunt, nisi gratiâ Dei adiuuentur & pro-
Collat.13. moueantur. Hæc hæresis colligitur ex Cassiano, qui illius defensor extitit contra S. P. AVGVSTINVM. At nos Catholicorum sententiam firmiter tenemus, & pro illa etiam cum Dei gratia mori parati sumus, Gratiam omnem omnino conatum humanum præuenire, nec nos quidpiam vel mini-
Ioan.15. mum sine illa posse: iuxta illud, *Sine me nihil potestis facere.*
2 Cor.3. &, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Et quia illa sententia de prædestinatione ad gloriam ex præuisis meritis nobis magis arridet ob rationes iam dictas; paucis conabimur illam testimonijs, ijsque clarissimis ex sacra Scriptura petitis extra aleam controuersiæ ponere, priusquam de illius effectu, (qui est consolatio in animis nostris,) agamus. Inprimis, in illo extremo iudicij die, di-
Matth.25. cetur electis à supremo iudice Christo: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* At quam ob causam? *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Et reprobis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Deus ecce ab æterno alijs præparauit vitam æternam propter præuisa merita, alijs mortem perpetuam propter præuisa peccata. At illa præparatio vitæ & mortis nihil aliud est, quàm prædestinatio & reprobatio: ergo v-
1. Timoth.2. traque fit ex præuisis operibus. Deinde, *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Id verò non potest intelligi de volunta-

te

te Dei abſoluta & efficaci, alioquin omnes omnino homines ſaluarentur: quod tamen falſum eſſe rei effectus conuincit; igitur de voluntate conditionata & inefficaci oportet intelligas. Ergo Deus ante præuiſionem bonorum & malorum, habuit ſimplicem & inefficacem voluntatem dandi omnibus vitam æternam, prout Apoſtolus ait, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, & ex illa voluntate præparauit omnibus ſufficientia media, quibus ſi vti velint, ad æternam vitã queunt pertingere. Hæc autem voluntas ſimplex & inefficax non potuit fieri abſoluta & efficax, niſi ex præuiſis meritis. Deus igitur æternam vitam nemini dat, niſi quem præuidet benè gratiâ ſuâ vſurum. Probatur etiam ex alijs S. Scripturæ locis, vbi vita æterna præmium, merces, brauîum, retributio, corona iuſtitiæ appellatur. *Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Rom. 8. Et, *Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes, quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis.* Coloſſ. 3. Et, *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.* Pſal. 118. Et, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* 2. Tim. 4. Valdè enim impropriè gloria cæleſtis eiuſcemodi nominibus toties & tam enucleatè vocaretur, niſi illa nobis contingeret ex meritis bonorum operum. Poſtremò, non videretur ea phraſis, quâ SS. Litteræ dicuntur plenæ conſolationis, habere pondus ſuum & veritatem, nimirum: *Vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Rom. 15. &, *Nos cùm nullo horum indigeamus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris*; 1. Machab. 12 niſi hanc ſententiam amplectamur, quia oppoſita, vti iam dictum eſt, animum anxietatibus & mœroribus obducit, & nonnullos in extremas anguſtias, quouſque ampliùs progredi non poſſint, adigit.

His ergo poſitis, facilis intellectu, etiam mediocribus ingenijs, videtur prædeſtinatio, nec tam in ſublimitate cogitationum, quàm bonis operibus conſiſtit. Id quod

Sedulius in Comment. super vitâ S.Francisci.

B.Ægidius, qui tertium inter socios S.Francisci locum sortitus est, optimè intellexit. Cùm enim quispiam curiosiùs de prædestinatione quæreret, in hunc modum respondisse fertur: Sufficit ripa maris ad lauandum pedes, manus, & totum corpus. Stultus est qui altum profundumque petit. Sufficit scientia ad benè viuendum; nimis alta non sunt quærenda: neque recondita consideranda, sed quæ ante te.

Matth. 3. Matth. 19.

Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. &, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vbi si vis*, designat quòd voluntatis & arbitrij nostri, non tamen sine gratia Dei, sit vita æterna, quam certè adulti non nisi per obseruantiam mandatorum Dei acquirimus; nec illâ excidimus, nisi propter delicta liberè commissa. Qui nobis indicat manifestè voluntates suas, quomodo nimirum iram ipsius placare possimus,

Psal. 102.

Notas fecit vias suas Moysi, filijs Israel voluntates suas; an non in manus videtur nobis tradidisse claues remissionis peccatorum, & consequenter vitæ æternæ? Apud

Lucæ 12.

Lucam suos Christus consolatur: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Sed quale regnum? quod *vim patitur*, & non nisi *violenti* per bona opera exercitationesque virtutum *rapiunt*, quod otiosis & laborem detrectantibus non datur. Ideoque à Saluatore no-

Matth. 6.

stro edocti sumus orare hoc pacto: *Pater noster, qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuũ: Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Vide, inquit Chrysostomus, quàm cautè locutus est; non dixit, Pater sanctifica nomen tuum in nobis: Adueniat regnum tuum super nos: Fiat voluntas tua in nobis. Nec iterùm, Sanctificemus nomen tuum: Suscipiamus regnum tuum: Faciamus voluntatem tuam. Ne hæc aut Dei tantùm, aut hominis tantùm esse videantur; sed mediè dixit, & impersonaliter. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adiutorium Dei: sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi voluerit homo. Cer-

August tribuitur.

tè qui creauit nos sine nobis, (vti quidam ait) non saluabit

nos

nos ſine nobis. Vnde cùm Saluator noſter infirmo illi ad piſcinam Probaticam, habenti triginta octo annos in infirmitate, pararet non modò corporis incolumitatem, ſed & electionem ad gratiam, in qua poterat perſeuerare vſque ad finem vitæ, atque gloriam cæleſtem adipiſci, quod eſt eſſe prædeſtinatum; quaſi explorans an ſaltem vellet his beneficijs donari, rogat: *Vis ſanus fieri?* vis iuuari? Eodem modo ſcilicet, quo adoleſcens aliquis in honeſta chorea exquireret vel nutu, vel verbis, an placeret amatæ ſuæ ſaltare? diceretque, Si volueris, leuo te quidẽ à terra; ſed interim adiuua mihi tuâ prõptitudine onus: etenim non poſſum inuitam. Quòd autem tunc illi morbido ſimul cum ſanitate gratia iuſtificans ſit infuſa, patet ex remiſſione quæ illi contigit peccatorum. Cùm enim Chriſtus illũ inueniſſet, monuit: *Iam ampliùs noli peccare, ne quid deterius tibi contingat*; abſtuli morbum, & morbi cauſam, peccata; caueas ne iterùm pecces, & grandius tibi accerſas malum. S. Ioannes adhortatur Philadelphiæ Epiſcopum ad aſſiduum bonorum operum ſtudium, ne per negligentiam ſuâ prædeſtinatione excidat: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, id eſt, retine fidem & patientiam quauis occurrente tentatione & afflictione, ne quis coronam tuæ fidei & patientiæ promiſſam & præparatam (non abſolutè, ſed ſub conditione, ſi videlicet, perſtes & perſeueres) te non perſtante, ſed cadente, accipiat. Pulchrè Rupertus, *Tene quod habes*, quaſi dicat: Tu in humilitate firmo pede conſiſte, ne moto pede corruas, corruendo coronam tibi præparatam amittas, & alius tibi ſuccedẽs eam accipiat. Hinc patet, poſſe quemuis cum Dei gratia in prædeſtinatione ſua perſeuerare; poſſe etiam prædeſtinatos abſolutè à gratia excidere: poſſunt enim gratiam prædeſtinationis negligere, ac proinde non eligi ad gloriam, nec coronari. Hoc quoque loco vtitur Gabriel Vaſquez ad probandum electionem ad gloriam fieri ex præuiſis meritis. Si, inquit,

Ioan. 5.

Apoc. 3.

1 p q. 23. diſp. 89. c. 10

 electio

electio ad gloriam facta esset ante præuisa merita, frustra
Apoc.3. electo diceretur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Nam si nullus ita eam haberet in manu sua, vt posset amittere, rectè responderet, depositam esse in manu Dei, de qua nec vllus alius rapere, nec ipse electus amittere posset. Si enim Deus habet clauem, & ita claudit, vt nemo aperire possit; & aperit, vt nemo claudere; rectè ita electis clausa erit ianua inferni, & aperta regni cælorum, vt nec in manu eorum sit apertam sibi claudere, nec clausam aperire: adeoque non erit ipsis liberum clausis ianuis in infernum introire: contrà verò ostio regni cælorum eis aperto, nemo impediet illos, si velint ingredi, quacumque tandem ratione hîc vixerint. Hactenus ille. Atqui Apostolus scribit vt coronam teneat; vnde sequitur quòd possit eam amittere, & alius illam præripere; itaq; certum euadit prædestinationem fieri ex præuisis meritis, atque illam in manibus nostris, siue libertate positam esse, ita vt vel in illa perseuerare, vel ex illa excidere nostræ sit facultatis.
2.Epist.1. Hac de causa monet Apostolus Petrus: *Quapropter, fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* quasi dicat, Satagite, ô Christiani, vt electionem vestram ad fidem & gratiam per bona opera stabiliatis, ne excidatis tam sublimi vocatione per incuriam, sed in illa constanter perseuerate. ita enim futurum est vt etiam vocationem ad gloriam in certo ponatis: eo ipso enim quo salutari lauacro regenerati Christum induistis, ad gloriam destinati estis, atque locum inter iustos & fideles sortiti estis, non quidem absolutè, quia, vt Apostolus ait, vocatio & electio vestra non omninò est certa, sed conditionata, si nimirum perseuereritis vsque ad finem. *Sic itaque currite vt comprehendatis.* Dei est, inquit
In 22 Matt. Theophylactus, vocare; electos autem fieri, aut non fieri,
De Vita Christi p.2. cap.50. nostrum. Optimè igitur ille monachus apud Ludolphum, socio suo, qui sibi dicebat reuelatum diuinitùs ipsum esse de

de numero damnandorum, respondebat: Benedictus Deus, nec tamen sic desperabo, sed pœnitentiam quam per ingressum Religionis assumpsi, de cetero duplicabo, & triplicabo, donec gratiam & misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inueniam. Atque post aliquot dies ille alter intellexit hunc esse adscriptum catalogo prædestinatorum.

Habet nempè Deus duos libros vitæ, siue prædestinationis, vnum ad gratiam, alterum ad gloriam: ille ad gratiam est instar aduersariorum, vbi sæpè aliquid additur, & deletur. Id verò quod in illo, qui propriè liber vitæ dicitur, & æternam prædestinationis felicitatem cõtinet, scriptum est, non ampliùs immutatur. deque eo verè dixeris ex Dei nomine: *Quod scripsi, scripsi.* De priori libro Dauid loquitur: Ioan. 19.
Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur, non Psal. 68.
quidẽ precatoriè, quasi alicui tam grande malũ S. Propheta velit; sed declaratoriè quòd eorum qui peruersè agunt, nomina ex catalogo iustorum, eo ipso quo peccant, expungantur. Vnde cùm Moyses, pro populo suo Deum deprecans, diceret; *Obsecro, peccauit populus ipse peccatũ maximum,* Exod. 32.
feceruntq; sibi deos aureos: aut demitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti; responsum est illi: *Qui peccauerit, delebo eum de libro meo.* Quàm paternis, inquit Serm. 18. de verb. Dom.
S. P. AVGVSTINVS, maternisque visceribus, quàm securus hoc dixerit: *Dele me de libro*, attendens iustitiam & misericordiam Dei, vt quia iustus est, ne perderet iustum, quia misericors, ignosceret peccatoribus. Nemo, inquam, de libro expungitur, nemo etiam inscribitur, nisi qui per bona opera satagat vocationem suam certam facere. *Qui vicerit,* Apoc. 3.
sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Euagrius, & plures alij narrant Anastasium Imp. hæ- Euagr. lib. 3. cap. vlt.
reticum, qui totum fermè Orientem persecutione sæuissimâ exhausit, ex oraculo intellexisse sibi igne cælesti pereundum esse: cumque fatalis annus, scilicet 518. adesset,

horribilibus ſomnijs & ſpectris perterritum fuiſſe, atque hominem quemdam terribilem cum libro in manu ei dixiſſe: Ecce ob peruerſitatem fidei tuæ annos quatuordecim deleo vitæ tuæ: moxque fulmine ictus impius Imperator
4. Reg. 20. obijt. Contrà, reuerâ propter preces & lacrymas Ezechiæ quindecim anni vitæ adiecti ſunt. S. quoque Irenæus arca-
Lib. 5. contra hæreſ. c. 17. num illius ſacræ hiſtoriæ ſenſum profundiùs penetrans, quâ dicitur cuidam de filiis Prophetarum excuſſum ferrum de
4. Reg. 6. ſecuri, ſubmerſumque aquis, donec Eliſeo aduentante qui miſit lignum in aquam, natare cœpit, atque ferri naturam exuit, obſeruat per ſecurim non incongruè illud æternum & inuiolabile Dei decretum intelligi, primò propter ferri ſoliditatem, iuxta quod & Apoſtolus ait: *Firmum enim*
2. Tim. 2. *fundamentum Dei ſtat*. Deinde quia hoc decreto veluti ſecuri exſcindimur ex ſtatu peccati, & trãſferimur in ſortem filiorum adoptionis. Hæc prædeſtinationis ſecuris deperdita atque ſubmerſa iacebat ſub colluuione peccatorum, veluti amariſſimæ aquæ fluctibus: ſed Chriſtus miſſo in aquas, id eſt, remiſſionem peccatorum, viuifico crucis ligno, illam ſupernatare fecit, atque omnibus fieri manifeſtam, vt iam prædeſtinationem ſuam conſequi per Dei gratiam poſſit, quiſquis efficaciter velit. Ideoque, inquit ſanctus ille Pater, dictum eſt: *Tolle ſecurim*, quia per crucem Chriſti reconciliati ſumus Deo, atque ad æternæ hereditatis gloriam admiſſi, conceſſumque mortalibus, vt Dei filij effici poſſimus.

Cuius Catholicæ veritatis poſteriorem partem, quia cum hominis libertate, rerumque natura congruit, ipſi Ethnici per vmbram quamdam videntur conſpexiſſe. Eſt enim celebris apud Poëtas gnome: *Cùm Minerua quoque manũ moue*, orta vel ab agaſone, cuius aſinus cùm luto infixus hæreret, deberetque illi ſuccurrere, otioſus Herculem implorabat. Huic reſpondit Deus: Admoue manum aſino laboranti, ita demum numen tibi aderit. Vel à palæſtrita, qui in palæſtra luctaturus, Mineruam conſuluit, num futurus eſſet victor? audiit-

audijtque fore. Verùm cùm ille ingressus in arenam, in certamine manibus staret otiosis, percussus ab aduersario, victusque fuit. Huc facit illud Suidæ: *Fac interim aliquid ipse, dein deos voca.* Celebre quoque est illud Græcorum: *Dij bona laboribus vendunt.*

Pendet ergo tam reprobatio quàm prædestinatio ex pręuisione nostræ futuræ cooperationis. Cooperatio verò sub libertatem nostram & electionem cadit. Neque enim id de Deo audeo vel dicere vel cogitare, quòd ex proposito gratias seligat, quæ aliquibus, nempe prædestinatis, sint congruæ & efficaces; alijs verò incongruæ & inefficaces, sufficientes tamen, quia dat omnibus (*vult* namque *omnes* omninò *saluos fieri*) gratiam quacum possint benè viuere, & æternæ vitę fieri participes; quinimò ex animo optat ne vel circa vnius animam pereat sanguis Christi, pretium salutis nostræ; ideoque iubet & mandat, vt gratiæ datæ cooperemur, & regnum cæleste adipiscamur. Quisquis igitur gratię sibi à Deo ad salutem datæ constanter & strenuè cooperabitur; hoc pacto, illam sibi faciet congruam & efficacem: quod sine dubio Deus non tantùm otiosè, vt fiat, sinit; sed verè optat, & vult: isque reuerâ erit prædestinatus, non reprobus. Quanta verò hæc diuinæ benignitatis erga nos homunciones dignatio! quanta humanæ conditionis dignitas, quanta consolatio! Quem mœrorem, quam melancholiam non abstergat hæc spongia! Hinc Apollo Abbas, si quem ex quingentis suis monachis videret subtristem, causam inquirebat, & quæ erant in occulto cuiusque corde, renuntiabat. Dicebat autem: Non oportęt esse tristes propter salutem, cùm futuri simus heredes regni cælorum. Tristes autem erunt Gentiles, flebunt Iudæi, lugebunt peccatores; iusti autem lætabuntur: & qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis; nos autem, qui tantâ spe digni sumus habiti, quamobrem non lætemur perpetuò, cum nobis Apostolus suadeat, vt semper lętemur?

1. Tim. 2.

Palladius hist. Laus. c. 52.

At

At aliquis dicis gratiâ obiiciet: Si hoc verum eſt, potentiâ nos Deo ſimiles ſumus. Reſpondeo, non quidem abſolutè hoc poſſe dici, ſed aliquo modo: ideoq́ue obijcienti non mea, ſed S. Chryſoſtomi verba reponam, qui introducit Deum homini dicentem: Feci ego cælum & terram, do tibi quoque creationem, fac terram: nam potes, corpus ſcilicet terrenum cæleſte faciendo. Feci ego ſpecioſum corpus, do tibi meliorem formationem, tu bonã fac animam. Dixi ego: Germinet terra herbã virentem, & omne lignum pomiferũ: dic tu, Producat terra in me fructum proprium, & exibit quidquid velis. Facio ego oriri ſolem ſuper bonos & malos: imitare tu quoque, communica quæ tua ſunt & bonis & malis. Cõtumelias patiens tolero, contumeliaſq́ue parantes beneficijs proſequor: imitare etiam tu, nec ita benefacias propter retributionem, neque propter gratiarum actionem. Accendi ego luminaria in cælo: his ſplendidiora tu accende; potes enim eos, qui ſunt in errore, illuminare, maius eſt illud beneficium, quàm ſolem intueri, me agnoſcere: hominem tu facere non potes, ſicut ego, ſed iuſtum facere potes, & ideò gratum. ego ſubſtantiam creaui, tu voluntatem exorna. Vide quomodo te diligam, & in maioribus dederim virtutem. Videtis dilectiſſimi, qualiter per virtutem honorati ſimus. Ita S. Chryſoſtomus.

Hom. 55. ad Pop.

Adiuti diuinâ gratiâ poſſumus mandata obſeruare.

Dominica XVII. poſt Pentecoſt.

OBijciet alius, nos quidẽ eòuſque prædeſtinatos, quamdiu diuina mandata cuſtodimus: hîc verò hærere aquam, hîc Rhodum, hîc ſaltum eſſe, non poſſe hæc à quoquam obſeruari, neminem aliquem eâ fortitudine & conſtantiâ præditum, qui potens ſit ea facere quæ Decalogo iubentur, etiamſi alioquin valdè velit. Huic obiectioni reſpondit D. Ioannes, qui non modò illa eſſe obſeruatu poſſibilia aſſerit, ſed nec difficilia quidem. *Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus: & mandata eius grauia non ſunt.*

1. Epiſt. 5.

sunt. Quæ etiamsi plurimum in se molestiæ haberent, tamen quia tanta illorum obseruantiæ est proposita merces, tam ineffabilis remuneratio, vt etiam iure merito omnium animi exstimulari deberent, etiam ad quantumlibet grauia & molesta. Nec abs re foret, si quis ea repeteret quæ serui Naamo Syro olim dixerunt, cùm ille domuitionem cum indignatione pararet, eò quòd iussus esset ab Eliseo septies lauare in Iordane: *Pater, etsi rem grandem dixisset Propheta, certè facere debueras; quantò magis quia nũc dixit tibi: Lauare, & mundaberis?* Mundaberis tu, ô Christiane, si tantùm diligas, non à lepra corporis, sed animæ, atq; omni agno & niue candidior ad cælestem patriam repedabis. Solum hoc Deo, hoc hominibus debeamus, vt illum supra omnia, istos sicut nosmetipsos diligamus: ama, & quidquid lege & Prophetis continetur, adimplesti. quod etiam eo est facilius, quòd homo animal sociale sit, beneuolentiæ amorisque naturâ suâ appetens. Quid hîc molestum est aut difficile, inquit Philo Iudæus, Diliges Dominum Deum tuum, tui amantissimum, summum benefactorem? non iuberis maria numquam priùs tentata traijcere, & tempestate furente in medijs fluctibus susque deque iactari procellis inter se conflictantibus; non itinera ingredi feris infesta & latronibus: satis est si annuat animus. Et Idiota de diuino amore ait, Amor facilis res est, omnibus se exhibet, nulli se negat, rapit eum iuuenis & senex, vir & mulier, sanus & infirmus, diues & pauper, summus & infimus, liber & seruus, sæcularis & Religiosus, debilis & fortis, *nec est qui se abscondat à calore eius*, id est, possit se excusare, quòd locum diuino huic igni in corde suo concedere non possit: nam vt alia sint difficilia, amare facile est. Cùm magnificentia Saluatoris nostri in Salomone describitur, Scriptura ait: *Ferculum*, sic dictum à ferendo, in quo reges portari solent, *fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium*

4 Reg. 5.

De victim. offerent.

In Contemp. cap. 1.

Psalm. 18.

Cant. 3.

torium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Ierusalem. Quod ita explicat Hugo Cardinalis: Quia non omnes poterant martyrium sustinere, siue ascendere ascensum purpureum; ideò *Media*, id est, communem viam, parauit propter infirmos, quæ sunt filiæ Ierusalem. Si Martyr esse non possis, sis amator, *Dilige Dominum Deum tuum.* Quidni igitur cum antiquo illo & electo populo di-
Exod. 19. camus? *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus*: quia certũ est illum omnia facilia, nihil impossibile præcipere, quemadmodum impius & blasphemus Caluinus blaterat, atque cum Eua quærit excusationes in peccatis, præceptaque di-
Gen. 3. uina simul exaggerat. Illa enim fidenter dixit, sibi à Deo vetitum ne de arbore scientiæ boni & mali ederet, imò ne tangeret quidem. quod falsum erat, quia esu, non tactu Deus interdixerat. Ita Caluinus nobis ait præceptum, quod obseruatu sit impossibile, cùm tamen id minimè diuinam bonitatem deceat, vt à nobis in rebus ad æternam salutem consequendam necessarijs, exigat quod extra nostram situm sit potestatem.

Concludo hũc discursũ breui apostrophe. *O Deus inexhaustæ bonitatis, quis tibi dignas repẽdat gratias? quis debita tuæ ergà nos dilectioni præconia? quis infinities promeritas laudes? Tua immensa planè in nos est benignitas, quia nobis tibi in filios adoptatis, potestatem fecisti regni tui, tamq́; suaui & potenti prudentiâ nos gubernas, vt æterna vita & gloria sita sit in manu nostra, & nulla creatura salutẽ nostram impedire possit, nisi ipsi velimus. Cer-*
Rom. 8. *ti enim sumus, iuxta Apostolũ, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus,* &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Neque tu, benignissime Deus, etiamsi maximè possis, vis nos diuelli à te, qui tam sincerè & validè omnibus tribuis auxilia gratiæ tuæ, quibus vti libuerit. Quidni igitur sit mihi prædestinatio tua consolationi, quæ spiritus feruorem auget, ad ea quæ meliora sunt sectanda*

ctanda inclinat; ſtudioſis bonorum operum, non deſidibus & otioſis eſſe ſinit; nullum mærorem, niſi ob peccata commiſſa adducit: illa enim ſola in cauſa ſunt, ſi prædeſtinatione contingat excidere. Tibi ſoli, ô Deus, ſit honor & gloria.

CAPVT SECVNDVM.

§. 1. *Huic, ſcilicet æternæ Dei prædeſtinationi, nihil æquè ad* AVGVSTINI *conuerſionem faciendam in tempore, atque lacrymæ D.* MONICÆ *deſeruierunt.*

THEMA CONCION.

Dominus miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Luc. 7.

SIVE fabula ſit, ſiue vera narratio, quod Samoſatenſis Sophiſta de Hercule Gallico prodit, valdè iſtius populi antiquiſſimi recondita Philoſophia pręſenti propoſito deſeruit: apud quem eiuſcemodi extabat pictura, index rei arcanæ, qualis eſt prouidentia ſupremi Numinis. Senem repræſentabat, caluum illum quidem magna ex parte, ſed quod capillorũ reliquum erat, valdè canum, cute item admodum rugosâ, & in atrum colorem aduſtâ: ſimillimum denique genti nautarum, nihilque habentem Herculanum niſi clauam & leonis exuuium. Ab hoc ſene magna hominum turba trahebatur catenulis ab extrema ipſius lingua perforata prodeuntibus, quæ tantum abeſt vt inuita ſequeretur, vt vltrò accurrens laxas catenulas relinqueret. Sunt qui totam narrationem ad ciuilis vitæ inſtitutum transferant, velintque per hunc ſenem deſignari quempiam in republicâ au-

ctoritate florentem, ætate venerabilem, eloquio dulcem, qui efferi populi seditiones comprimere, & in suam sententiam perducere nullo negotio possit. de qua re elegantissimè scribit Virgilius:

Æneid. 1.

Ac veluti magno in populo cùm sæpè coorta est
Seditio, sæuitq́; animis ignobile vulgus,
Iamq́; faces & saxa volant; furor arma ministrat:
Tum pietate grauem ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisq́; auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

At inpræsentiarum malo id totum de Deo, eiusque suauissimè omnia gubernante prouidentia, cuius magna pars est prædestinatio, intelligi; vt omnia ab illius antiqui dierum lingua ita dependeant catenulis aureis, vt vltrò ad illum accurrant, & vnumquodque ad finem suum dirigatur. Prædestinatos ita impellit, vt suopte motu ire videantur; tam suauiter gubernat disponitque, prudenter attingens omnia *à fine vsque ad finem*, vt solæ causæ secundæ videantur illa omnia egisse, quæ vt fierent, erant ab æterna Dei prædestinatione. Vis euidentius exemplum quàm conuersionem S. P. AVGVSTINI? hanc non dubitauit ipse maximus Doctor, lacrymis & orationibus pientissimæ matris suæ adscribere. Et nónne, quia catenulæ illæ aureæ non cogunt, sed inuitant, ducatum tantùm præstare videntur? Et misisti, inquit, manum tuam de alto, & de hac profunda caligine eruisti animam meam: cùm pro me fleret ad te mater mea, fidelis tua, ampliùs quàm flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide & spiritu quem in te habebat, & exaudisti eam Domine. Exaudisti eam, nec despexisti lacrymas eius: cùm profluentes rigarent terram sub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudisti eam.

Dan. 7.

Sap. 8.

Lib. 3. Conf. cap. 11.

In lacrymis S. Monicæ notanda quatuor.

QVæ verba non possum quin paulo copiosiùs excutiã, annotemque istarum lacrymarum originem, assiduitatem, copiam, & efficaciam. Originem quidem trahebant ex afflicto & solicito corde materno, eò quòd pensiculatiùs quàm plerumque feminæ solent, negotium animæ filij sui consideraret. Videbat enim illa mortem meam, inquit, ex fide & spiritu quem in te habebat: vnde angebatur ne æterna mors abriperet, quem in breuem & mortalem hanc lucem priùs effuderat: exactâ scilicet lance ponderabat pericula eorum, qui extra Ecclesiam Catholicam viuunt, qui sine Sacramentorum præsidio hinc excedunt. Horrebat ad æterna, & maxima illa infernalis ignis supplicia. Postremò optimè nouerat plus apud Deum gemitibus quàm sermonibus agi, plus fletu quàm affatu. Quid? quòd AVGVSTINVS, prçter magnum oculorum imbrem, quo Monicæ parentauit, pro illa famula Dei longè aliud lacrymarum genus fuderit, quod manat de concusso spiritu, solâ consideratione periculi omnis animæ quæ in Adam moritur. Vt mirum non fuerit,

In festo S. M. Monicæ.

Lib. 9. Conf. cap. 13.

Si toties Monicæ signata sacraria fletu,
Et toties vdis tacta sepulchra genis,

propter eum, quem tam obstinato vestigio videbat pergentem indies ad deteriora.

Indicibilis quoque erat salsi istius humoris assiduitas: nam in omni loco illum fundebat, neque minùs diem sine fletu transmittebat, quàm Rhodon insulam sol radijs suis non salutaret. Eoque exemplo monstrauit verum esse, quod sub fabulæ cortice narrat Plutarchus in Apophthegmatis, solem breuiùs efficere, clementi radiorum suorum emissione, vt homines itinerantes calefaciat, & vestibus exuat; quàm Aquilo eos infrigidet, licet asperrimo & sæuissimo flatu spiret. Plus nempe potuere maternæ charitatis suaui-

ter vrentes flammulæ, quàm alia quælibet aſperior obiurgatio, vt ille veſtem veteris Adami exueret.

Copia verò tanta extitit, vt viam in oratorijs & templis ſignaret, facileque appareret vbi illa genua flexiſſet, quemadmodum de Cerere & Venere fabulantur poëtæ, illam iter ſuum ſparſo vbique terrarum frumento, hanc relicto rore prodidiſſe. Vt certè non abſque miraculo fuerit, quòd fundendo tantum humorem, illud tenerum & exſuccum vigilijs & ieiunijs corpuſculum, ſufficere per nouem annos potuerit. Quidni hîc verba D. Bernardi vſurpem, quibus

Serm. 11. in Cant.

luctum Samuelis ſuper Saulis reprobatione deſcribit? Monica lugebat AVGVSTINVM, tanto cariorem, quanto primogeniti ceteris prolibus, etiam à Deo, præferuntur, & ad ignem charitatis incaleſcẽte pectore, liquefactus intus pietatis adeps foras erumpebat per oculos. Erumpebant lacrymæ de pinguedine cordis; gratiæ proditrices. Amor ignis iſte, quo dum ſancta parens flagrat erga filium, viſus eſt in duo quaſi lacrymarum flumina conuerti. Atque hic ipſe liquor, etiam maiorem amoris ignem reaccendit, cùm iam per lacrymas ſuas conuerſum vidit non tantùm Catholicum, ſed contemptâ felicitate terrenâ, ſeruum Dei. Ita vt quaſi renouatum in illa videatur vetus miraculum, quando ignis in ſicca ſpelunca abſconditus apparuit poſt

2. Machab. 1.

captiuitatẽ Perſicam eumdem requirentibus, aqua craſſa, quæ cùm lignis ſacrificiorũ inſpergeretur, rurſus ignis formam aſſumpſit. Ignis amoris genuit liquorem lacrymarũ, & rurſus ipſæ lacrymæ maiorem charitatis ignem accenderunt. Idem ipſis peccatoribus accidere non diſpari ra-

Opuſ. 13. cap. 13.

tione obſeruat B. Petrus Damianus. Audiuimus, inquit, antè, quòd aqua pro igne reperta eſt; nunc è contrario dicitur, quia per aſperſionem aquæ ignis magnus accenſus eſt. Ergo & ex igne aqua naſcitur, & ex aqua ignis inuicem procreatur. Quia & ex diuini feruore ignis gratia compunctionis oritur, & rurſus ex compunctione la-

cry-

crymarum desiderij cælestis ardor augetur: alterum siquidem pendet ab altero, & sibimet vtrumque inuicem præstat, dum & ex amore Dei lacrymarum compunctio profluit, & rursus per lacrymas ad amorem mens nostra feruentiùs inardescit. Atque hæc quidem de origine siue causa, assiduitate & copia lacrymarum, dicta sunto.

Quanti sint lacrymæ apud Deum.

SEquitur nunc de efficacia: nam Deus exaudiuit eam, nec despexit lacrymas eius: dicoque, si tantùm lacrymæ apud Deum habeant pondus, vt nullus vmquam illas frustrà fuderit, videntur paris pretij esse apud Deum, cuius hîc inter mortales est pecunia: nam illis Deus in cælo videtur obedire, veluti isti omnia parent in terra. Oratio, inquit Hieronymus, Deũ lenit, lacryma cogit. Et Ambrosius ait, Vim facimus Deo, non compellendo, sed flendo: beata sanè violentia, quæ numquam indignatione percutitur, sed misericordiâ condonatur; quam cæli defensores & incolæ non repellunt, sed iuuant. Vniuersim enim testatur Dauid, & de omnibus, *Qui seminant in lacrymis* desideria sua aliquid obtinendi à Deo, *in exultatione metent* adimpleta vota sua & postulationes, fructus scilicet desideratos. Quanta Nemesis capiti ipsius Regis Hebræi, totique regno imminebat! prosternebantur vno aliquo die, *de manè vsque ad tempus constitutum, septuaginta millia virorum*: at posteaquam cum lacrymis orasset Dauid, placatus est Dominus, dixitque *Angelo percutienti populum, Sufficit: nunc contine manum tuam.* Cumque præstantiam huius aquei liquoris describit, ait: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, tamquam scilicet rem pretiosam & caram, quam sæpiùs intueri volupe sit & iucundum, cuius recordatione multa mihi præstas. Ezechiæ ægrotanti nigrum mortis theta Isaias Propheta afferebat; at ille, conuerso ad parietem lecti vultu, flebat pro peccato suo. *Factumq́ est verbũ Domini ad Isaiam, dicens: Vade & dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui:*

[Margin notes: Dominica IX. post Pentecosten. — In cap. 38. Isaiæ. — Serm. 13. de natiuit. Domini. — Psal. 125. — 2. Reg. 24. — Psal. 55. — Isaiæ 38.]

Audiui

Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, id est approbaui, placuerunt mihi: *Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos: & de manu regis Assyriorum eruam te.* Videre Dei, inquit Beda, eligere vel amare est. Vnde & illud: *Oculi Domini super iustos.* Nam & nos quæ amamus, videre; ab ijs quæ execramur, intuitum festinamus auertere. Fleuerunt Agar & filius eius Ismael, leuaueruntque vocem suam ad Dominum, cùm aquæ penuriâ pressi iam mortem opperirentur: audiuitque Dominus vocem eorum, & lacrymas non despexit.

Lib 5.c.77. in Luc. Psal.33. Gen.21.

Quid non maternæ valeant lacrymæ, quę tantâ pietate, tanto affectu, tam bono fine, copiosissimè effundũtur apud diuinam bonitatem? Quidni tangatur miseratione illius animus super Monica vidua, qui *non despiciet preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitus?* Ideoque viduas Apostolus monet, *Quæ autem verè vidua est & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die.* Qui cùm iret in ciuitatem quæ vocabatur Naim, & vidisset viduam efferentem vnicum filium, *misericordiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere.* Sed quàm historia hæc Euangelica instituto nostro per omnia prorsus congruit! *Ibat Iesus in ciuitatem*, &c. id est, venit Saluator noster in hũc mundum *peccatores saluos facere*: quod & de seipso testatus est Pharisæis, *Non veni vocare iustos*, qui ope meâ non indigent, & quales vos esse arbitramini, *sed peccatores.* Ibat vltrò, minimè vocatus. *Et ibant cum eo discipuli*, id est, prædicatores & homines pij, qui verbo & exemplo laborabant, & adhuc laborant cum Christo in conuersione animarũ, laxantque retia in rapturam piscium rationalium: quos inter tum eminebant S. Ambrosius, S. Simplicianus, Potitianus, alijque, qui quà priuatis collocutionibus, quà publicis concionibus reuocare palantes oues sunt conati. *Et ecce defunctus efferebatur* AVGVSTINVS, qui infeliciter in hæresim Manichæorum inciderat; ferebatur tamen adhuc in spe viuifici

Eccli.35. 1.Tim.5. Lucæ 7. 1.Tim.1. Matth.9. Marc.5.

uifici ligni S. crucis, necdum terrâ obrutus iacebat, quam postea remouere, prô! nimis fuisset difficile, quia non ex obstinatione & malitia, sed præpostero & vitiato veritatis adipiscendæ desiderio, & zelo quærendæ legis Dei, in eam abreptus erat: sed lex Dei non inuenitur nisi ab humilibus, iuxta illud, *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quòd absconditi hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Cum vidua illa, Monicam intellige, comitabantur S. Ambrosius, congregationesque fidelium, qui assiduis precibus cælestis aulæ ianuam pro AVGVSTINI conuersione feriebant. *Quā cùm vidisset Iesus, misericordiâ motus est*; ille inquam vidisset, qui est *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra:* qui adest in tribulatione, vt eripiat & glorificet afflictos. Motus es, ô Iesu, misericordiâ: Manus enim, inquit S. Doctor, tuæ, Deus meus, in abdito prouidentiæ tuæ, non deserebant animam meam: & de sanguine cordis matris meæ, per lacrymas eius diebus ac noctibus, pro me sacrificabatur tibi. Et egisti mecum miris & occultis modis; tu illud egisti Deus meus: nam *à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet,* aut quæ procuratio salutis præter manum tuam reficientem quæ fecisti? Nota, *de sanguine cordis matris meæ,* quia illum etiam sanguinem, qui vltimus ad cor coit, illud fouet & animat, filio impendere voluisset, si adfuisset facultas. Lacrymæ originem à corde, sanguis ab hepate, pituita & mucor à cerebro originem habere perhibentur: & quasi aqueus lacrymarum humor Monicæ non suffecisset, videbatur etiam sanguinem velle ex intimo cordis depromere. Videte ergo vos dyscoli filij, vos immorigeræ puellę, quanti pretij rem eatis perditum, quum refractarij & rebelles, & matribus duri, ad lacrymandum eas compellitis, de sanguine cordis illarum hauritis, & in terram profunditis; quin & quasi rem nullius momenti, pedibus, id est, contemptu proteritis, dum preces maternas sperni-

Lu c. 10.
2. Cor. 1.
Psal. 90.
Lib. 5. Conf. c. 7.
Psal. 36.

tis, & sana consilia non auscultatis. *Pro me sacrificabatur*. An ergo & Monica Sacerdos? Vt Sacerdos non fuerit, tanti lacrymas maternas AVGVSTINVS æstimat, vt conferre cum sacrificio non dubitet, idque ex mente Psalmographi, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritũ & humiliatum Deus non despicies.* Certè, Monicæ non despexit, sed *misericordiâ motus dixit illi, Noli flere.* satis iam lacrymis, satis iam luctui datum est, viuet filius tuus. Tangam non loculum sed cor eius, & sagittabo illud charitate meâ, gestabitque verba mea: *Tolle lege, tolle lege*, transfixa visceribus.

Psal. 50. Lucæ 7. Lib. 9. Conf. cap. 2.

Nec etiam abludit alia historia ex Genesi, vbi per Agar Monicam intellige, quæ dum videret filium siti, non aquæ vel vini, sed veritatis, morientem, quia iam omnino desperabat se eam vllibi hominum vel locorum reperire posse, *sedit è regione procul, quantum potest arcus iacere*; numquam enim potuit hæc solicita parens etiam talem filium deserere, illum secuta per terras & maria, longum profectò iter, *& leuauit vocem suam, & fleuit. Exaudiuit autem Dominus vocem pueri*, veritatem sitientis, & longam illam sitim abundè Catholicæ veritatis mero expleuit. De qua re ecce tibi breue Epigramma:

Gen. 21.

Quis Monicam flagrasse Dei dubitabit amore?
Quis natum modicè dicet amasse suum?
Non tantùm, commune quod est, fuit ore locuta:
(Nutibus & signis sæpè notatur amor.)
Est lachrymis affata Deum, flexitq; morantem,
Est quoque cùm lacrymæ pondera vocis habent.
O! nati miserere Deus, miserere, rogabant
Hæ lacrymæ: atque harum filius iste fuit.
Exultat nunc læta parens, natoq; triumphat,
Qui legi paret, consilioq; Dei.

Legis fuit, vt baptizaretur; consilij verò Euangelici, vt fieret Religiosus. Et quamuis anteà Ismaelis malitiam fortassis adæquaret, tamen longior illi debebatur vita, quia in

gentem magnam futurus erat, caput paterque tot illustrium Ordinum, fundator Eremitarum.

Matrum solicitudinem & preces aliquid plus aliorum intercessione apud Deum posse, etiam in veteri testamento euidenti indicio demonstratum est. Neque alterius quã Gen. 27. maternis auspicijs ausus fuit Iacob primogeniti hirsutas manus collumque pellibus caprinis mentiri, atque primogenita præripere. Maternus fauor, materna pietas & benedictio fuit, vt impunè hoc ageret, imò tantam patris benedictionem adipisceretur. Certè nisi mater negotium egisset filij, Iacob maximis illis copiosisque bonis excidisse. Et quamuis mater filiorum Zebedæi precibus suis extorquere charissimis pignoribus suis Iacobo & Ioanni Matth. 20. non potuerit, vt sederent vnus ad dextram, alter ad sinistram Christi in regno Dei; tamen florentissimam illis martyrij coronam obtinuit: *Calicem quidem meum bibetis*. Precabatur Bethsabee mater Salomonis pro salute filij apud Dauidem coniugem suum, vt ne Adonias per factio- 3. Reg. 1. nem regnum inuadens, illum non tantùm legitimâ successione, sed & vitâ excluderet. Et tantum maternæ valuere preces & lacrymæ (quis enim illas abfuisse dubitet?) vt statim regni decora, diadema scilicet, & vnctio, & mula regia, solemnisque inauguratio concederetur.

Pro corollario huius capitis obserua, inter prædestinationis signa, & salutis adiumenta, non infimum esse, habere apud Deum intercessores & patronos, pios etiam & solicitos parentes, Confessarios, qui indefessis precibus bonitatem ipsius solicitent; & vel nolentem, saluum esse velint, imò cogant. Multi proprijs sceleribus perirent, qui alienis precibus saluantur. Vnde cùm optimus regum Iuda ab Assyrijs intra mœnia Ierusalem obsideretur, iamque ipse cum vrbe, & vniuersa regione nutaret, expertus aliàs quãtum momenti apud Deum Prophetarum haberent preces, Isaiæ 37. misit Eliacim & Sobnam, & seniores de sacerdotibus, oper-

tos ſaccis ad Iſaiam, quò miſerabili hoc ſchemate efficaciùs Prophetæ animum ad commiſerationem inflecterent, vt is negotium conciliandi Numinis arriperet. Tunc cùm Samuel diem ſuum obiiſſet, & planxiſſet eum totus Iſrael,
1.Reg.28. atque ſepeliiſſet in ciuitate ſua Ramatha, dicuntur Philiſtæi mouiſſe bellum aduerſus Saulem & populum. Commemoratur, inquit Caietanus ad hunc locum, priùs mors Samuelis illo capite, quamuis iam diu antè obijſſet, quo maximæ calamitates, & infeliciſſimus belli euetus deſcribuntur, ad manifeſtandum tempore quo Saul fuit deſertus à Deo, etiam ope Samuelis, vtpote mortui, fuiſſe deſtitutum. Quaſi ideo illi omnia infortunatiſſima acciderint, quia iam diu interprete apud Deum & deprecatore carebat.
In cap. 32. Exodi. Nempe, vt Hieronymus Abazam ait, ligatum habent Sancti Deum, vt non feriat niſi ipſi permiſerint. Expectat Deus in cælo Petri ligamina & ſolutionem, neque eum in cælis ligat aut ſoluit, niſi quem Petrus in terra ligauerit vel ſoluerit. Quantum bonum, habere quempiam, qui nobis Deum placet! Indignus alioquin omni cæleſti fauore, ob fœdum murmurationis peccatum, erat populus Hebræorum, nec erat quòd expectaret ſibi mitti carnes è cælo, niſi Moyſes illorum vicem miſeratus, precibus apud Deum inſtitiſſet. Vnde etiamſi vniuerſus populus eſum carnium poſtulaſſet,
Num.11. tamen vni Moyſi dicitur: *Numquid manus Domini inualida eſt? Iam nunc videbis vtrùm meus ſermo compleatur*; Hebraicè, *Videbis vtrùm eueniat tibi verbum meum?* Non dicit, inquit Oleaſter, vtrùm eueniat eis verbum meum; ſed tibi, ait Dominus: vt oſtendat ſe nihil velle malis ſubditis dare, ſed cuncta bonis Prælatis. Quos idcircò non malè lauro comparaueris, quia ſicut illa fulmen, ita illorum preces cæleſtes punitiones auerruncant. Peccauerat olim idem peccatum
4.Reg.5. Giezi famulus Eliſei, quod Simon Magus, à quo nomen retinuit; & tamen ille infami leprâ percuſſus eſt, hic nihil ſimile perpeſſus. Et vnde hæc eiuſdem culpæ diſpar punitio?

A voto siue desiderio Simonis, quo Apostolos optabat sibi patronos, & apud Deum intercessores, ne quid eiuscemodi ei accideret, quod D. Petrus illi comminatus erat. Tanti est apud Deum, vt vel saltem sanctorum hominum precibus te commendes. Vt nihil nouum vel insolens fuerit, quòd S. P. AVGVSTINVS matri oranti & lacrymanti salutem suam acceptam retulerit. Nam cùm Deus promiserit se exauditurum orationem ritè susceptam, obstringitur quodammodo ad faciendum quod petitur, pro quocumque constanter ac piè petatur. Hanc enim promissionem non ad solam orantis personam, sed ad eos quoque pro quibus oramus, extendi putat Suarez, quem vide tom 3. de Religion. lib. 1. cap. 27. Act. 8.

§. II. *Plurimum quidem lacrymæ orationesq́ S. Monicæ* AVGVSTINO *profuerunt; sed serò suum sortiri potuerunt effectum, quia ipse operam suam non adferebat.*

QVales & quantæcumque fuerint lacrymæ D. Monicæ, nihil tamen nouem annis integris effecerunt, adeoque Beudum dolijs pretiosus hic liquor exceptus est, quia ipse, cuius causâ fundebantur, conuersionem suam nimis obstinatè differebat. Frustra enim sudatur & operatur, cùm tu, ô peccator, otiosus es, & stertis: velis saltem, si non possis: & ita velis, vt intra verba tantùm non constet hæc voluntas. Quid si dicam etiam ipsi Deo hoc opus graue esse? nam S. Thomas non veretur asserere maius esse iustificationem vnius peccatoris, quàm cæli & terræ ex nihilo creationem. Videturque inde ratio desumi, quòd alię omnes res creatæ, cùm ratione & libero arbitrio careant, plenissimè subiaceant imperio conditoris, nec est quidpiam in eis quod vel minimum reluctari velit, vel possit: verùm, quia homini sua constare debet libertas, diuinaque benignitas vt plurimùm conformiter naturæ cuiusque rei operatur; non est mirum hanc ob causam iustificationem peccatoris, creatione

DOMINICA XVI. post Pentecost.

1. 2. q. 113. art. 9.

creatione aliarum rerum, aliquid maius esse; non quidē ex parte Dei, cui omnia prorsus æquè sunt facilia, sed ex parte hominis, qui obluctatur & diuinæ gratiæ refractarium se reddit. alioquin cùm peccatum non solùm nihil sit, iuxta
Ioan. 1. S. AVGVSTINVM, qui locum illum explicat: *Sine quo factum est nihil,* id est, peccatum; sed etiam nihilo deterius, iuxta S. Chrysostomum; creatio autem sit productio ex nihilo; patet equidem quòd iustificatio terminum à quo, habeat viliorem. Adde, quòd, si creatio opus sit infinitæ potentiæ; iustificatio est infinitæ misericordiæ. Quapropter quisquis AVGVSTINI mores erroresque aliquando imitatus es, illius cunctationem ne sequare, nec satis habeas te aliorum orationibus commendasse: sed ipse ora, & ad opus conuersionis te accinge. Nullus vel exiguus calor eis accedit, quibus super cœna ab alijs calefacta mantilia porriguntur: surgendum de mensa temulentiæ mundanæ, deponendus de manu calix Babylonicus, & igni, qui Deus est, per pœnitentiæ Sacramentum, & solida Christianæ pietatis exercitia appropinquandum. Quàm ridicula & miserabilis quorumdam fiducia est, qui cùm extra omnem Dei timorem viuant, Baccho & Veneri quotidie litent; maximam tamen spem in piorum aliquot hominum precibus satis aliquando frigidis, collocant: imò, quod adhuc longè deterius est, pœnitentiam à Confessario iniunctam, si paullò grauior videtur, inter combibones sociosque partiuntur: quasi sufficeret aliquid boni fieri, à quocumque id demùm fiat.

—— *Quæ non fecimus ipsi*
Vix ea nostra puto.

Meritò eiusceemodi homines Dauid execratur, qui di-
Psalm. 82. cunt, *Hereditate possideamus sanctuarium Dei: Deus meus, pone eos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Execratur, inquam, eos qui sine proprio sudore quietem, sine puluere palmam, sine prælio victoriam, sine violentia cælum appetunt,

tunt, ſub titulo hereditatis;cùm tamen ipſum Dei filium, heredem vniuerſorum, oportuerit pati, & ſic intrare in gloriam ſuam: quanto magis nos, ſi contendimus poſſidere alienam? Conſuetudo apud Romanos vigebat, vt ille qui bonorum ſcriptus foret heres, mortuum efferret: Heb. 1. Lucæ 24. Horatius.

——— *Cadauer*

Vnctum oleo largo nudis humeris tulit heres.

Quô videbantur innuere, heredem, ſicut bonorum; ita etiam debere potiorem funeris luctuſque eſſe partem. At quàm triſtia, quàm grauia & infanda, caput noſtrum Chriſtus pertulit! Nos ſumus *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi:* & manũ tantùm lætis, non triſtibus, adhibebimus? Vnde Zorobabel & Ieſus, & reliqui zelatores diuinæ legis, cùm reædificandum eſſet templum, atque etiam hoſtes Iuda & Beniamin operam ſuam offerrent, dixerunt: *Nosipſi ædificabimus.* Quomodo enim aliena opera placeat Deo? Bene aiunt, inquit D. Bonauentura, ædificantes, Nosipſi faciemus opus. Quod opus, niſi de quo Apoſtolus ait, *Dum tempus habemus, operemur bonũ.* Benè autem dicunt: Nosipſi faciemus, nosipſi ædificabimus, non noſtri vicarij. Vnde alibi: *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros.* Locum hîc habet quod Vlpianus ſcribit ex Pompeio, non omnes actiones per procuratorem poſſe inſtitui. quod ſanè in primis obtinet in Iure Chriſtianæ legis, vbi vitæ emendatio per procurator fieri omnino nequit. Sed obijciet quiſpiam illud Iacobi: *Orate pro inuicem, vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* At, inquit Athanaſius Sinaita, iunge clamorẽ tuum cum Sacerdote pro te deprecante, da teipſum pro ſalute tũa, multum valet deprecatio iuſti aſſidua & efficax; ſed efficax erit, ſi tu cum ſacerdote partes tuas copules, fructuſque pœnitentiæ demonſtres: quia vnus ædificans, & vnus deſtruens; quid prodeſt illis niſi labor? Hinc egregiè ad hanc obiectionem profanus ſcriptor: Reſpice ne ſit parum prouidum ſperare ex alijs, quod tibi ipſi Rom. 8. 1. Eſdr. 4. In ſpecul. virg c. 11. Galat. 6. 2. Cor. 6. ff de procur. & defenſ. l. 41. Iacobi 3. Plin. lib. 2. epiſt. 10.

non

Coniurat. Catil. non præbes. Et Saluſtius, Vigilando, agendo, benè conſulendo proſpera omnia cedunt; vbi ſocordiæ te atque ignauiæ tradideris, nequidquam Deos implores.

Gen. 21. Sed ad ſacra reuertamur. In illis dicitur, *Exaudiuit autem Deus vocem pueri, vocauitq́ Angelus Dei Agar de cælo dicens, Quid agis Agar? Noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo eſt.* Quæ verba indicant Iſmaëlem non fuiſſe contentum precibus & lacrymis quas mater fundebat; ſed vocem ſuam pariter eleuaſſe in cælum cum eiulatu & fletu, atque pro peccatis ſuis fuiſſe deprecatum. Erat enim tunc, vt Lyranus ad illum locum notat, facilè viginti annorum. In Geneſ. Vt diſcas, inquit Oleaſter, quòd plus nobis ad miſericordiam valeat fletus noſter, quàm amicorum & aliorum pro nobis. Quamdiu Martha tantùm pro Magdalenæ conuerſione orauit (quod illam ſæpiùs feciſſe charitas erga fra- Ioan. 11. trem Lazarum perſuadet) nihil obtinuit, nihil effecit: Magdalena adhuc in ſordibus volutabatur, domiciliũ ſeptem dæmoniorum permanebat, de remiſſione peccatorum ipſius nulla mentio. At vbi, neglectis hominum obloquijs, immemor ornatus & decoris feminei, memor ſalutis, datâ Lucæ 7. occaſione irruit in domũ Simonis cum alabaſtro vnguenti, vbi Saluator noſter accumbebat, retrò ſtans fleuit, pedes eius lacrymis lauit, capillis terſit, oſculata eſt; illicò veniam peccatorum eſt conſecuta, mirabileſque diuinæ benignitatis effectus experta, & ad intimam Chriſti familiaritatem admiſſa. Non tum, inquit Chryſologus, Chriſtus accubuit, Serm. 93. pocula ſoporata melle, floribus odorata ſumpturus; ſed pœnitentis lacrymas ex ipſis oculorum fontibus potaturus. Adde, qui riuulum profluentem ex oculis Marthæ faſtidiuerat, quia ille alienus erat, largiter de hoc Magdalenæ fonte, quia proprius illi & domeſticus, hauſit. Per ironiam Matth. 25. mittebantur fatuæ virgines ad vendẽtes pro emendo oleo, meritoque excluſæ ſunt, quia ab alijs bona opera quaſi emendicare, quàm ipſæ præſtare maluerunt. Duodecim illi

lapides

lapides in pectorali summi Sacerdotis, singuli proprio fulgore radiabant: quo designabatur vnamquamque tribum, imò vnumquemque hominem, debere propriæ virtutis nitore fulgere; non aliorum labores inuadere, non metere quod alius seminauit. Iubet patientissimus Propheta, vt à brutis animalibus discamus: *Interroga*, inquit, *iumenta*, *&* *docebunt te*. Quod verò ex irrationabilibus animalibus id facit meliùs quàm canis, qui captum; occisumq́ ab alio leporem non attingit? Tu verò, ô homo, qui venationem regni cælorum instituis, qui in stadio huius vitæ es constitutus vt ipse curras, ne alijs negotium salutis tuæ committe, sed ipse venare, ipse labora, & quidem sic curre, vt comprehendas. Cùm Dauidi ingrauescente ætate natiuus calor deficeret, non calefiebat, etiamsi operiretur vestibus: ita nec peccator ex aliorum bonis operibus iustitiæ viuificantẽ calorem haurit. Frustrà eras, ô Beata Monica, etiamsi diuini ignis tui fomenta non pauca filio circumponeres, quamdiu nihil ab interiori ipsius animo proficiscebatur.

Exod 35. Iob 12. Ælian. de animal. l. 8. cap. 2. 1. Cor. 9. 3. Reg. 1.

Quantum verò, & quã efficax diuinæ indulgentiæ assequendę medium, si ipse peccator genas lacrymis riget, aut, vt Scriptura ait, effundat cor suum in conspectu Domini? eiuscemodi enim sacrificio promeretur Deus. Olim filij Israel, cùm se criminibus fœdatos & denigratos agnoscerent, congregati sunt omnes in Masphath coram Samuele inducente illos ad pœnitentiam, & adhortante vt ex toto corde reuerterentur ad Dominum; proiectisque idolis illi soli seruirent, & corda vitijs cõmaculata, virtutum floribus Domino adornarent, atque præpararent. in signum veræ pœnitentiæ, inquit sacer textus, *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt die illa, atque dixerunt ibi, Peccauimus Domino*. Quæ ceremonia effundendi aquam coram Domino, si intelligatur vt sonat, noua, & Israelitis videbitur inusitata, vt Caietanus obseruat. Voluerunt igitur illâ significare, inquit, sicut aqua totaliter effunditur,

Heb. 13. 1. Reg. 7.

ditur, nihilq; remanet in vase, ita se penitus idola abiecisse, deosque alienos abdicasse, & sceleribus nuntium remisisse. Quæ quidē explicatio tametsi non displicet; magis tamen ad rem facere videtur translatio Vatabli, quæ & commentarij vicem supplet. *Hauserunt*, inquit, *aquas à puteo cordis sui, & abundè lacrymati sunt coram Domino.* Neque enim filij Israel vsi sunt ceremoniâ inusitatâ, nec aquam ex puteis è terræ visceribus, sed è cordis penetralibus liquorem lacrymarum eduxerunt, fuderuntque duobus veluti oculorum modiolis in conspectu Domini. Hinc eâdem phrasi peccator
Thren. 2. admonetur: *Effunde sicut aquam cor tuum, ante conspectum Domini.* Et Anna amaro animo flens largiter, Heli impropee-
1. Reg. 1. ranti respondit: *Effudi animam meam in conspectu Domini.* Id verò age, & quidquid à Deo postulaueris, impetrabis; addentque aliquid etiam preces alienæ.

CAPVT TERTIVM.

§. I. *Testimonium propriæ conscientiæ eludere peccator non potest, nedum* AVGVSTINVS *id potuit.*

THEMA CONCION.

Quæ lex in cordibus vestris scripta exigit, præstate. Rom. 2.

Dominica XXI. post Pentecost. Hoc quidē singulare habuit AVGVSTINVS, & paucis alioquin contingit, quòd matrem habeant, & quidem talem, & tam diu superstitem, quæ nouem annis nihil ferè nisi oret atque fleat pro filio: at commune illi cum alijs peccatoribus fuit, quòd consciētiæ suæ nulla ratione potuerit imponere silentium. Minentur laqueum, & crudeliter in illam sæuiant, palpent & demulceant, pecunias & munera offerant; illa numquam tacebit, imò vrgebit, semperque testabitur peccatum esse illi-
In florib. citum, turpe, fugiendum. Et ideo, vt præclarè Lipsius, nemo
crimen

crimen gestat in pectore, qui non idem Nemesin in tergo. Est siquidem, vt benè Delrius notat, anima nostra vrbi quàm simillima, in cuius superiore & tutiore parte princeps manet, in inferiore verò plebs: sunt eius ianitores quinque sensus, per quos necesse est transire, quidquid in vrbem introducitur: est eiusdem scriba phātasia, quæ omnia quæ intrant, ex ipsis ianitoribus excipit: sunt quasi eius tribuni plebis, concupiscibilis & irascibilis facultates, qui se mutuo fouent & auxiliantur: vnus ex eis concupiscibilis, quod pulchrum est, à phātasia exhibitum adipisci curat: impedimenta alius, putà irascibilis, expellit. Hinc tumultus non parui, nec infrequentes exoriuntur; seditiones contra principem mentem, dum quod iniustum est, appetunt: at menti quasi vigil adstat conscientia seu synderesis, quæ concedenda & neganda continuò docens, semper contra peccatum clamat; *Caue ne aliquando peccato consentias*: &, *Quasi à facie colubri, fuge peccatum.* Quòd si mens illā audire renuat, & potiùs prauæ consuetudini se subdere velit, nō ob id à suis illa cessat clamoribus, sed vt timorem incutiat, continuò pœnas proponit meritas, clamat: Fuge, caue, imperium reassume, concupiscentiam subde. Ex quo fit, vt quemadmodum inter tyrannum imperium inuadentem, & legitimum eiusdem imperij dominum numquā pax esse potest, quòd omni ope & arte contendat in regni sui possessionem rex legitimus restitui; ita in anima, cuius mens & ratio tyrannidi concupiscentiæ per peccatum sunt subditæ, numquam quies esse potest, sed continua insurgunt in ea tormenta, & intestini dolores, semper reclamante conscientiâ, & rationis imperium prouocante. Nam humano generi, inquit Chrysostomus, concessit diuina misericordia, vt vnicuique nostrûm insitum sit indeprauabile iudiciū conscientię habentis iustum inter bonum & malum discrimen, id quod potissimùm omnem nobis defensionē tollit, quòd non per ignorantiam in peccata incidimus, sed per animæ

In opere Mariano.

Iob 10. Eccli. 21.

Hom. 5. in cap. 1. Gen.

 desi-

Lib.3. Conf. cap.18. desidiam, & virtutis negligentiã. Et S.P. AVGVSTINVS ait, Flagitia contra naturam vbique ac semper detestanda atque punienda, vis illa interna animi suggerit. Et certè nulla est tam intima litterarũ scientia, quàm scripta sit in con-
Lib.1. c.18. scientia, id se alteri non posse facere, quod nolit pati. Nec videtur alibi Apostolus quidpiam amplius exigere, quàm vt conscientię testimoniũ, (quod legem naturalem vocat,) au-
Rom.2. diamus. *Quæ*, inquit, *lex in cordibus vestris scripta exigit, præstate.* Vbi Christianis loquens vult, vt nullã deinceps ignorantię legis prætexant causam, quemadmodum olim alij homines, ideoq; data sit ijs lex Moysaica siue decalogus, qui nihil nisi legem naturalem continebat. Sed cum neque hæc plenè obseruaretur, eò quòd præcepta adessent, abesset gratia; data est postea lex Euangelica, id est, plenitudo gratiæ, quâ non tantùm lex illa cordibus nostris inscripta illustraretur, sed vires omnia obseruandi conferrentur. Et quamuis nulla vmquam peruersitas, vel intellectus obcęcatio hanc naturalem legem potuerit ex animis quorumcumque mortalium euellere; tamen obscurata & quasi saburrâ obruta iacuit. quia enim grauissima illa pæderastiæ, idololatriæ, concubinatus flagitia, quibus etiam Platones, Socrates, Menedemi, Aristoteles, Antisthenes, teste Laërtio in Vitis illorum, dediti erant, inter vitia nõ numerabantur; non ideo desierunt esse contra naturam, vtpote quæ recta ratio detestetur. Omnes prorsus homines ostendunt
Rom.2. opus legis scriptum in cordibus suis, *Testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Do-*
Seneca lib.18. epist. 98. *minus occulta hominum.* A quo non longè abit sapiens Hispanus, Multos, inquit, fortuna liberat metu, pœnâ neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auersio est quam natura damnauit. Ideoque numquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conscientia, & ipsos
Lib. de sibi ostendit. Plutarchus refert Bessum quemdam in matrem

trem adeò excanduisse, vt ipsam tandem vnà cum ædibus incendio absumpserit; illum verò multò pòst tempore delituisse: qui tamen cùm aliquando ad hospites cœnatum pergeret, hirundinum nidum hastâ impellens deturbauit, pullosque pedibus protriuit. Cumque, vt par erat, adstantes ab illo requirerent, quâ occasione rem tam indecoram, & crudelitatis cuiusdam indicem perpetrare ausus esset? respondit, Iam diu falsum illæ loquaculæ aduersus me testimonium ferunt, clamantque me propriam matrem occidisse. vosipsi audistis. Atque hoc indicio coinquinatæ conscientiæ Bessus regi proditus, meritas paricidij pœnas luit. Annon hæc interna lex est amaritudo illa animę, de qua Iob ait: *Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ?* quasi dicat, Solâ recordatione peccatorũ, quæ in adolescentia cõmisi, ita perterreor & consumor, vt vita mea sit omni amaritudine amarior: tantũ abest vt mihi persuadere possim peccata illa prioris ætatis nõ fuisse peccata. In remoto siluę recessu Lamech occiderat Cainum; latebatq; alios facinus, si conscientiam ipsius latere, aut in animum inducere potuisset, etiã cùm alia lex data non esset nisi illa naturæ, se contra legẽ non peccasse. Sed quia interna illa Nemesis fataliter quodãmodo peccatores flagellat, & tintinnabulum illud internum scelere perpetrato cõtinenter sonat, id quod perpetratum fuerat, maximo animi dolore vxoribus suis confessus est. *Audite*, inquit, *vocem meam vxores Lamech, auribus percipite sermones meos, quia virum occidi in vulnus mihi, & adolescentem in cicatricem mihi.* Ita hæc citat Chrysostom. & benè ex nomine suo, id est aureè, illa explicat: Mentem vestram, inquit, intentam præbete, & diligenter auscultate quæ dicturus sum. Non enim de fortuitis vobis loquar, sed occultas quasdam res vobis aperiam, & confitebor, & quas nullus scit, sed solus ego, & oculus ille qui sopiri nescit: quem timens anhelo, vt vobis manifesta faciam, quæ à me sunt acta: & quantis pœnis

Numinis vindict.

Iob 13.

Gen. 4.

Hom. 20. in Gen.

ego meipsum nefarijs obnoxium fecerim operibus, qui virum occidi in vulnus mihi, & adolescentem in cicatricem mihi. Quoniam septies vltus est de Cain, de Lamech autem septuagies septies. Quis, dic obsecro, ad talem eum confessionem adegit? Nullus alius quàm conscientia, & incorruptus ille iudex. Nam simul ac in peccatum declinauerat, & opere perfecerat malum, statim insurrexit con-
Tob.11. scientia (similis cani Tobiæ, qui herum numquam deseruit, sed præcucurrit) inclamans & ostendens peccatorum magnitudinem, omnibus ipsam pœnis obnoxiam facit.

Ita se habet peccatum, vt priusquam fiat, & in opus exeat, obtenebret & decipiat mentem: postquam verò fuerit consummatum, manifestam suam nobis absurditatem proferat & ostendat. Vnde breuis illa & leuis voluptas continuum menti dolorem ingerit, conscientiæque fiduciam aufert, & confusione replet. Misericors enim Deus eiuscemodi nobis accusatorē adsistere voluit, vt numquam soli relinquamur, sed indesinenter ille ingrediens clamet, & pœnam exigat delictorum. Et hoc quis non viderit manifestè ex factis ipsis? Scortator enim vel adulter, vel qui aliud planè quiddam admisit, etiamsi omnium obliuisci queat; numquam tamen sic in solitudine versatur, quin habens acrem illum accusatorem, suspiciones timeat, vmbras tremiscat, & eos qui conscij sunt, & qui non sunt: perpetuaque in animo eius tempestas, & reciprocantes ac contrarij fluctus sint. Insuper neque somnus ei suauis, sed terrore & formidine plenus: neque cibus voluptatem præbet, neque amicorum colloquia refocillare, vel liberare ab vrgente anxitate possunt, sed quasi carnificem circumgestaret perpetuò se verberantem. ita post commissum etiam nemine conscio facinus, sustinet intolerabiles pœnas, sicut iu-
2.Sent.c.26. dex sui ipsius, ita factus tortor. Nempe vt Isidorus ait, Omnia fugere poterit homo præter cor suum: non enim potest

à se

à ſe quiſquam recedere: quocumque enim abierit, reatus ſui conſcientia illum non derelinquet. Et S. P. AVGVSTINVS, Seruus, inquit, hominis aliquando domini ſui duris imperijs fatigatus fugiendo requieſcit; ſeruus peccati quò fugit? ſecum trahit ſe quocumque fugerit: non fugit ſeipſam mala conſcientia, non eſt quò eat, ſequitur ſe, imò non recedit à ſe: peccatum enim quod facit, intus eſt. Vnde etiãſi grauiſſimi illi peccatores exhilarari in facie & gaudere videantur, non gaudent verum gaudium: rident, ſed fictum riſum: quemadmodum ij, qui capitis damnati in carcere attinentur, & talis interdum aut teſſellis fallere otium conantur, nec fallunt. Quia, vt elegantiſſimè ille,

Tract. 41. in Ioan.

Lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. 2. Confess. 4.



Spernit aquas pluuias, longumq́ inuicta per æuum
Permanet in duro marmore sculpta nota.
Cordibus incisa est hominum lex omnibus vna,
Crimina quam numquam diluere vlla queant.

Lex, inquã, in cordibus nostris incisa est, quam peruersitas nulla eradicare vmquam potest, vt homo videlicet sibi persuadeat peccatum non esse malum, confusionem secum non ferre, ordinem rerum non perturbare, non deficere à bono, quod secundùm naturam humanam nobis competit. Itaque licèt quis ad furta propensus sit, homicidia, adulteriaúe; tamen is eadem in altero crimina detestatur; atque eiusdẽ mens malè conscia, quæ summa & intima est scientia, eum admonet, dictatque fore, vt ab altero id nolit pati quod in proximum ipse perperàm commisit. Ea res vt euidentiùs exprimatur, adstat peccatum specie Cupidinis, aquam plenâ manu adfundens, quò possit delere hanc legem naturæ; sed frustrà est omnis opera, quantumcumque adlaboret: nimis altè enim animis mortalium Deus illam incîdit. Atque id bonum, quod homines etiam flagitiosos numquam deserit, AVGVSTINO non parum profuit ad vitæ conuersionem. Hinc enim in eo paulatim augmentũ sumpsit horror peccati, & naturalis quædam à malo auersio mentem ad meliora impulit. Quot verò putas hisce stimulis adactos ad Deum rediisse? Sunt non modò inter hæreticos, sed etiam Catholicos, qui vt se conscientiæ torminibus liberent, imitãtur sacrificulos Moloch, & ne paruulorum inter candentia idoli brachia proiectorum eiulatus audiantur, magno strepitu personant, animoque suo persuadere contendũt, restitutiones proprio domino non esse faciendas, peccata Sacerdotibus non esse confitenda; sufficere si illa Deo cum dolore & detestatione in abdito cordis enarremus. quamquam interim persuasionem hanc animus non omnino malus non suscipit, quinimò semper angitur & torquetur, donec peccati virus per os euomuerit. Similes in hoc Marthæ, quæ quidem fratrem suum Lazarum excitatum volebat à mortuis, sed absque sepulchri apertione, ne quatriduo defuncti fœtor præsentium nares offenderet. Quàm feruenter & seriò vitam illius desiderauerit, testatur

2.Reg. 16.

Ita Theodoretus ex Iosepho.

illa legatio, quam ad Saluatorem, cum eiuſcemodi libello
Ioan. 11. ſupplici, miſit: *Domine ecce quem amas, infirmatur.* Deinde cùm iam diem ſuum obiiſſet, atque Saluator noſter veniſſet illam viſitatum, proceſſit illi obuiàm plena mœrore, plena triſtitiâ, aitque, *Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus*, præſente vitâ mors non fuiſſet auſa intrare. & quid velit, verecundè inſinuat: *Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Pergit etiam cum Ieſu ad ſepulchrum: at vbi ille lapidem tolli, & aperiri monumentum iubet, tum verò incipit illa elatâ voce clamare: *Domine iam fœtet, quatriduanus eſt.* Ita & illi, alia quidem opera pietatis facere parati ſunt, aliquid etiam perpeti pro Deo volunt; ſed confiteri, reſtitutionem vel famæ vel pecuniarum facere, detrectant, querulantur, tergiuerſantur, excuſant. Et tamen manet lex illa cordibus inſcripta, quæ docet eos verè ad id obligari. Veniunt nempe, quantumuis tergiuerſentur,
Sap. 4. *in cogitationem peccatorum ſuorum timidi*, & traducunt *illos ex aduerſo iniquitates ipſorum.* Quemadmodum quibuſdã ex
Vid. Armacani Martem Gall. lib. 2. cap. 29. illis ſceleſtiſſimis Batauo-Francis contigit, qui oppidum Thenenſe omni flagitiorum & crudelitatis genere, anno 1635. conſpurcarunt: ij in quibus extrema adhuc naturæ bonæ ſcintilla ſupererat, quia illius reclamantis voces exſtinguere non poterant, in eiuſcemodi verba eruperunt ſtimulante conſcientiâ: Si Deus eſt aliquis, & ille iuſtus, fieri non poteſt, quin iſta impietas, ei pœnas luat. Puduitque eos videri feciſſe, quorum non pudebat cùm facerent. Vnde enim Lamech ille, inquit Chryſoſtomus, qui neque legem habuit, vnde hoc diſcere poſſet, neque Prophetas audiuit, neque admonitionem vllam, vnde, inquam, niſi ex iudicio quod naturæ datum eſt, didicit? Conſcius eorum quæ auſus fuit aperit, & in medium affert quæ patrauit, & ſeipſum condemnat. Quòd ſi quando eò deſperationis & nequitiæ homo deuenerit, vt fiduciam immortalitatis excutiat, neque Deum eſſe ſibi perſuadeat; tamen vbi ſuprema

hora

hora aduentauerit, reuiuiſcit illa lex cordibus humanis inſcripta, & quaſi ex longo veterno expergefieret, ijs ſe cogitationibus tum occupat animus, quæ immortalẽ eum eſſe conuincunt, ſiue metuens Deum quẽ offendit, ſiue conuerſus ad illum per veram contritionem, vſumque Sacramentorum ſperet ſibi lenem. Negari enim illud nec ab ipſa natura poteſt, flagitia digna eſſe pœnâ, virtutes præmijs.

§. 2. *A lege ſcripta in cordibus noſtris eſt, quòd etiam ſceleſtiſſimis virtus ſit venerationi.*

NEque tantùm nobis ineſt appetitus boni & honeſti, quem peccatum omnino delere non poteſt, & à quo intra noſipſos vitia, etiam quibus delectamur, reprehẽduntur; ſed, vt Dauid ait, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, quo illuſtrati, virtutem hominesque ſanctos non poſſumus non honore afficere, atque venerari. Idipſum, petitâ ab exordio rerum hiſtoriâ quemadmodum ſuperiori diſcurſu fecimus, comprobemus. Cùm Deus Euæ aliud ſemen pro Abele crudeliſſimè interempto poſuiſſet, atque ille, Seth nomine, magno ſtudio ſupremum Numen coleret, omnique virtutum genere ornatus exiſteret; rationem aptiſſimam tranſmittendi cognitionem veri Dei, præceptaque ad amorem illius inducentia excogitauit. Nam teſte Ioſepho, duas tabulas, ſiue, vt alij volunt, duas columnas erigi iuſſit, ex lapide alteram, alteram ex ligno: vt, ſi aqua orbi terræ incumberet, ſeruaretur lignea; ſin verò ignis exardeſceret, lapides perſtarent. Qua de cauſa tanta illius poſterorumque eius apud Cainitas, (homines alioquin feros, & paternorum ſcelerum, impietatis inprimis erga Deum heredes,) fuit æſtimatio, vt propter virtutis & ſcientiæ rerum cæleſtium admirationem, illum pro Deo, filios verò eius pro Dei filijs venerarentur. Id colligitur ex Cyrillo, & Suida, vocabulo *Seth*. Et Hieronymus locum illum: *Cùm vidiſſent filij Dei filias hominum*, de poſteris Seth intelligit.

Dominica III. Aduẽtus.

Pſal. 4.

Gen. 4.

Lib. 1. Antiq. cap. 3.

l. 9. aduerſus Iulianum. Gen. 6.

ligit. Nisi quis malit posteros Abelis, id est, æmulatores pietatis & castitatis eius, intelligere (vixit enim virgo ad annũ ætatis suæ centesimum, quo occisus est) quibus piaculum erat filias hominum contingere: alioquin quæ culpa fuisset potiùs illis quàm aliis vxorio complexu iungi? Quæ sententia tametsi noua, probabilitate suâ fortè non caret, vti aliquando, Deo dante, pluribus ostendemus in *Feriis Academicis*.

Hæc est virtutis vis, habetque testimonium excellentiæ & dignitatis ita manifestum, vt illam veneratione & cultu dignam nullius scelerati impudentia negare possit. Neque enim vsque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea lineamenta remanserint, & ardor honesti. Quæ etiam in Lycaonia effecit, quemadmodum Pauli indiuiduus peregrinationis comes scribit, vt homines virtutem & doctrinam Sanctorum Pauli & Barnabæ obstupescentes, humi prostrati tamquã deos adorare, atque sacrificium offerre voluerint: *Dij*, inquiunt,
Act. 14. *similes hominibus facti descenderunt ad nos*. & D. Paulum Mercurium propter excellentiã sermonis & eloquij, Barnabam autem propter vultus sanctimoniæque maiestatem Iouem
Hom. 6. ad populum. nominabant. Nabuchodonosor, inquit Chrysostomus, magis quàm fornax, accensus fuerat in tres pueros dicentes illi; *Diis tuis non seruimus*; postquam verò per opera suam virtutem pueri ostenderunt, non solùm non indignatus est,
Dan. 3. sed laudauit & admiratus est quòd ei non obedissent. *Benedictus*, inquit, *Deus, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos qui crediderunt in eum, & verbum regis immutarunt, & tradiderunt corpora sua ne seruirent diis alienis*. Tantum bonum virtus, quòd ipsos hostes habeat laudatores & admiratores: illi pugnauerunt & superauerunt, & victus gratias agebat, quòd ipsos non terruit flammæ aspectus; sed spes in Dominum consolata est. Hæc Chrysostomus. Nec enim idololatrę illi ac Gentiles debitum honorem virtuti negare

potue-

potuerunt, ad quam venerandam & maximi æſtimandam, ſemen diuinum pectoribus noſtris infuſum, ab ipſo ſummo conditore, in prima naturæ noſtræ productione nos continuò excitat & mouet. Quin, vt Seneca ait, adeò gratioſa virtus eſt, vt inſitum ſit etiam malis meliora probare. Lib. 3. de benef. Quemadmodum cetera animantia pantheræ adhærere propter odoris fragrantiam aiunt; ita etiam mali Sanctos æſtimant, illorumque veſtigia obſeruant propter odorem virtutis: atque hac de cauſa fortaſſis ſponſa virgulæ fumi Cant. 3. ex aromatibus comparatur.

CAPVT QVARTVM.

§. 1. Quia homo infiniti boni eſt capax, atque ad illud poſſidendum creatus, non aliquâ aliâ re humanus ſatiatur animus: nec vllibi extra Deum, veram cordis quietem potuit AVGVSTINVS *inuenire.*

THEMA CONCION.

Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Pſalm. 39.

A POSTERIORE tituli parte auſpicabimur. Lex naturæ (de qua ſuperiore capite) AVGVSTINVM à peccando non tam vehementer deterruiſſet, ſi modò in re aliqua creata, ſecluſo Deo, omnimodis animi ſui deſiderium explere potuiſſet. Atqui cùm in ſe deprehenderet, Deum eſſe homini non tantùm inſtar formæ ſeu exemplaris, ad cuius ſimilitudinem arte prorſus diuinâ efformatus eſt, verùm etiam ipſum exiſtere finem hominis vltimum, vnicumque deſiderium: hæc inquies AVGVSTINO auſam dedit, vt ad extremum in Deo cona-

retur inuenire, quod nusquam locorum poterat inuestigare, summum scilicet bonum, siue felicitatem. quam Boëtius describit statum omnium bonorum aggregatione perfectum. Quo adepto, iam tum solùm mens humana conquiescit, & in quem omnes naturali & necessariâ inclinatione, quoad specificationem actus, vt vocant Philosophi, non exercitij, feruntur, & etiamsi ab illo longissimè per improbam vitam aliqui se abducant, tamen nemo est qui non appetat. Quia, inquit S. P. AVGVSTINVS, omnium scientia est, qui ratione quoquo modo vti possunt, beatos esse omnes homines velle.

Lib.3. Consol. Philos. prosa 2.

Lib 10. de ciuitat. Dei cap. 1.

Mimus quidam in theatro Romæ promisit se proximis ludis dicturum quid quisque vellet. cumque ad diem constitutum conuenissent plurimi, omniumque mira esset expectatio, prodijt mimus, iussitque esse attentos. deinde dixit: *Hoc omnes vultis, vili emere, & caro vendere.* Alius quidam dixit: *Omnes mortales se laudari exoptant*, iuxta illud Ciceronis: Omnes ducimur gloriâ. Reprehendit hos S. P. AVGVSTINVS, quia multi inueniuntur viri iusti, qui neutrum velint, vtrumque vitiosum esse dicant; illud contra iustitiam, hoc contra æquitatem. At si dixisset, inquit, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis; dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit. Itaque non abs re cor humanum amusio comparatur, quod non quiescit, donec gelidi plagam Septemtrionis monstret, & id quidē occultâ vi magnetis, quem attigit amusij siue indicis acies altera. Polus animæ nostræ Deus est, nec alius aliquis prꝫter illum prꝫstat ei requiem per circuitum. Quin ipsum S Doctorem de seipso loquentem audiamus: Væ, inquit, animæ audaci, quæ sperauit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa & reuersa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. Et tu solus requies, ô Do-

2. Paralip. 32

Lib 6. Conf. cap. 16.

Domine. Neque in his omnibus, quæ percurro consulens Lib.10.c.40.
te, inuenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, in quo colligantur sparsa mea. Quinimò tumultuosis varietatibus Lib.11.c.29.
dilaniantur cogitationes meæ, intima viscera animæ meę, donec in te confluam purgatus, & liquidus igne amoris tui. Habent hæc ima delectationes, sed non sicut Deus meus, Lib.2.cap.5.
qui fecit hæc omnia, quia in ipso delectatur iustus, & ipse est deliciæ rectorum corde. Quapropter idem S. Doctor concludit pulcherrimo Emblemate:

In-

Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.
Lib. 1. Confess. cap. 1.



Axem dum Boreæ spectet gelidósue Triones,
A motu numquam nautica cessat acus.
Extrà nulla Deum dabitur tibi pausa quiesue;
Hic cordis polus est, solaq; meta tui.

Fecisti nos Domine ad te, id est, indidisti portiunculam quamdam diuinitatis tuæ, splendorem siue radium quemdam, vt Philo Iudæus ait, quemadmodũ magnes vim suam ferro communicat, & quocumque se cor humanum inclinauerit, rapis ad te. Saniter tamen hoc accipiendum est, non quasi anima humana beatę illius naturæ sit pars aliqua, sed sigillum expressum siue imitamentum. Hinc cùm anima creaturam desiderat, continuam famem habet; quia licèt quod desiderat de creaturis, adipiscatur; vacua tamen remanet, quia nihil est quod eam impleat, nisi tu Domine, ad cuius imaginem est creata. Quare & Bernardus ait, Ceteris occupari potest; repleri nõ potest. Cùm enim infinitæ sit cuiusdam capacitatis, etiamsi ab illa omnia quæ à condito orbe fuerunt, & sunt, & futura sunt, & numquam futura, sed tamen possibilia, sciantur & habeantur; plura adhuc desiderabit, nec solidam quietem humana mens persentiscet. Quin totus hic mundus animæ humanæ pro alimento est. Nec tamen satiatur vnius cognitione; nec Alexandri auaritia expleta est vnius possessione. Quęrit mundos infinitos in luna, sole, stellisque reliquis, aut plures inuenit: aut, quod puto probabilius, inuenisse se somniat. Deus verò solus obiectum hominis est infinitum, ille solus meta & scopus, quò humana desideria collimant: quô habitô, plenitudine quadam veritatis & bonitatis cum summa delectatione mortalium animi explentur. Neque enim vlla anima vmquam potuit, poteritque cogitare aliquid, quod te, ô Deus, sit melius, qui summum & optimum bonum es. Hinc optimus ille Regularium S. AVGVSTINI, Etiamsi omnia creata bona haberes, non posses esse felix & beata: sed in Deo, qui cuncta creauit, tota beatitudo tua & felicitas consistit. Neque poteris aliquo bono temporali satiari, quia ad hæc fruenda non es creata.

Lib. 1. cap. 1.

S. August. in Soliloq. c. 30.

Thomas à Kempis lib. 3. de imit. c. 16.

Diuitiæ satietatem non præstant.

DOMINICA VIII. post Pentecosten. ENimuero quòd nec diuitiæ, nec honores, nec voluptates, ad quæ tria omnia quæ vulgò vocantur bona, reuocari possunt, id præstent; non tam difficile est vt probemus, quàm ex plurimis pauca, ex bonis magis conducentia seligamus, velut è magna aliqua silua fascem lignorum, ex onusta malo elegantiora poma, ex hortis Hesperidum vel Alcinoi aliquot flores.

Et quidem diuitiarum, hoc verè aureo sæculo maxima est æstimatio, quas alij propter seipsas adamant, & miserrima illarum sunt mancipia, vt ad quarum nutum, imò stuporem asininum, viuunt. Alij multo sudore & industriâ illas conquirunt, non quò multum auri vel alterius metalli possideant, sed quia diuitiæ sunt id, quo omnia ad humanã vitam non modò necessaria, sed commoda & deliciæ, vestes, famulitia, domus, horti, edulia, & quid non? comparantur. Aristoteles multiplex instrumentũ opes vocat, non tantùm rei familiaris, sed etiam reipublicæ: vnde nec immeritò nerui rerum gerendarum appellantur, habentque plurimas in omnem vitam opportunitates. Nihil tam arduum aut difficile natura constituit, quò vis pecuniaria non enitatur, nihil quod Deo nummo non primas in quocumque consessu, in quacumque societate cedat, vt in prouerbium abierit, *Pecuniæ obediunt omnia.* Et, *Argentum sanguis & vita est mortalibus.* Hinc diuitiæ Latinè facultates appellantur, quia homini potestatem subministrant perperàm vel honestè plurima perpetrandi. Quodcumq; scelus mente diues decreuerit, statim aduolant teterrimæ administræ pecuniæ, quę cupiditati ipsius ancillẽtur, & quidem, quæ maxima peccati illecebra est, impunitatem polliceantur. Propertius inquit:

Lib. 1. Polit. c. 10.

Lib. 3. eleg. 3

Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Et

Et Horatius: Lib. 2. serm. 3

—— Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina humanaq́ pulchris
Diuitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam rex,
Et quidquid volet,

Contrà, vt ait Iuuenalis: Sat. 5.

—— Plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusâ dicere lænâ.

Vnde mirum non est improbos etiam per grauissima scelera viam ad illas sternere: neque enim, vt cum eodem pergam,

vnde habeas quærit quisquam, sed oportet habere. Sat. 14.

Et hinc quidem dico tanti fiunt apud vulgus diuitiæ, vt illas veluti Numen quoddam plures adorent & venerentur. Patet id Matthæi sexto, vbi Saluator noster ex sententia vulgi Mammonam Dominum vocat, pariq́ue cum Deo gradu constituit: *Non potestis duobus dominis seruire, Deo* Matth. 6. scilicet, *& Mammonæ.* Et quæ astutia regis Babylonij, vt au- Dan. 4. ream statuam populis proponeret adorandam; aurum est in quo omnis ætas delirat, aurum quod cuncti pro Deo suscipiunt. Atque *beatum* dicunt *populum cui hæc sunt*, cui Psalm. 143. copia pecorum suppetit, cibi abundant, horrea plena sunt, domus ab omnibus instructissimæ diuitijs, argenti, agrorum, frumenti & lactis. Si enim habitationem moliri contigerit, non incommodè alibi victurus est, qui pecunias vnà secum fert: quacumque & quocumque peregrinatus fuerit, instar testudinis domum suam, id est, commoditates circumfert; nulla regio tam inhospitalis & frigida est, quæ auro humanitatem non induat, & ad obsequia externorum incalescat. Mirum est quod Vincentius Beluacensis scribit Lib. 3. specul. de auro; illud frigescere sole aduentante, cùm nocte fue- natural. c. 7. rit calidius: quasi aurum omnes calefaciat qui noctium studijs delectantur, atque illorum præsentia, & præcipuè Dei frigescat, qui diem amant, virtutumq́ue, id est, operum

 dici,

diei, sunt studiosi, ita vt ad cælum acquirendum, virtutes comparandas, diuitiæ pallescant. Atque vtinam! (vt hoc in transitu moneam) feminæ omnes in hunc finem aureis annulis vtantur, vt moneantur cum ipso die surgere, atque amicum illud & desiderabile frigus sentiant, & ad Deum laudandum excitentur! Alij plerisque gestandorum annulorum fines præfiguntur. Vanitatem, luxum, sæpè etiam incitamentum libidinis, & memoriam præteriti flagitij in ijs circumferunt & ostentant. Valeant diuitiæ quantum velint, velintque plura quàm possint; nimis tamen clarum est in illis solidam felicitatem non inueniri. Non enim non tantùm ibi nullam quietem mortales inuenerunt, vt etiam plurimi internæ pacis & securitatis animi naufragium fecerint: & quamuis aliqui deforis auro purpurâque splendeant, famulis abundent, ædibus habitent magnificis, lautè viuant; tamen intus mille curis, anxietatibusque discerpuntur, opibusque suis exsucci illi veluti impudicus spado
Eccli. 30. virginis irrito amplexu suspirat. Ita vt plerique Sanctorum, etiamsi diuitijs benè vti potuerint, maluerint illas relinquere, vsumque abdicare, quòd sit procliuior ad malum. De Romanis siquidem iam omnium gentium spolijs auctis, & diuitijs affluentibus, ait Iuuenalis:

Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana fuit.

Vnde & de Cratete, magno inter Græciæ philosophos memorant, illum ingentem thesaurum in mare abiecisse, quòd malebat illum aquis quàm animum curis mergi. Præclarè Horatius:

Lib. 1. serm. Sat. 1. *An vigilare metu exanimem noctesque diesque,*
Formidare malos fures, incendia, seruos,
Ne te compilent fugientes: hoc iuuat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Epist. 103. Hac de causa D. Bernardus quemdam hortatur ad paupertatem Euangelicam his verbis: Beatus, inquit, qui post illa

illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant: an non satius ea cum honore spernis, quàm cum dolore perdis? an non prudẽtiùs ea Christi cedis amori, quàm morti? Quam porro beatitudinem illę adferre possunt, quæ adeò incertæ & instabiles, vt per Timotheũ suum diuites præcepto adigendos censuerit Apostolus: *Diuitibus*, inquit, *huius sæculi præcipe, non sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum.* Quid enim magis stolidum quàm inniti imbecillis fortunæ membris, vel potiùs ludibrijs? Rectè Chrysostomus vocat opes seruum fugitiuum, quòd facilè ab hero suo discedant, illumque turpi fugâ deserant dum minimè aliquando cogitat; & Diogenes Cynicus, quia viles sunt & fluxæ, vomitum fortunæ indigetabat. 1. Timot. 6. Hom. in Eutrop.

Appellantur quidem apud Latinos aliquando vires & nerui; sed tamen nihil illis infirmius fluxibiliusue; affluunt refluuntque instar maris, nullis radicibus nixæ consistunt. Nec quidpiam insolitum est & inauditum, vt qui hodie diues fuerit, cras aut etiam mox pauper euadat. Enixa est Eua Cainũ, cuius nomen sonat possessionem, sed & postea Abelem protulit, quod idem est atque vanitas. quasi diuitiæ & possessiones eisdem principijs promanent, quibus vanitas & inopia. Sit Iuno dea diuitiarum, dummodò etiam aëri & nubibus præsideat, quia diuitiæ ab aërea instabilitate & leuitate non multum abeunt. Assumpserint etiam Reges quacumque ex causa purpureum in trabea sua colorem, certè sanguis piscium est; originem hic color à mari trahit, quo purpurati reddantur memores, fortunam suam tam esse mutationi obnoxiam, quàm mare tempestatibus. Exempla vide apud Val. Maximum, cuius hic est epilogus: Caduca, inquit, nimiùm hæc & fragilia, puerilibusque consentanea crepundijs sunt, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortunæ huc atque Lib. 6, cap. 9.

illuc iacta, quos in sublimè extulerunt, improuiso decursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari, neque dici debent bona, quæ vt inflictorum malorum amaritudine desiderium sui duplicent; propensiore fauore primò delinitos, maiore postea malorum cumulo opprimere solent.

Et quis sapiens bona confidat fragili? Confide quisquis voles, & experieris te instar elephantis inniti arbori à venatoribus serrâ penè sectæ: cedent enim aliquando diuitię ponderi mortis, tuncque non in terram, vt elephas, sed fortassis in infernũ prosternêris. Quænam etiam beatitudo in tanto vitiorum, & præcipuè superbiæ, comitatu reperiri

Serm. 5. de verbis Dom. potest? Nihil enim est, inquit S P. AVGVSTINVS, quod sic generent diuitiæ quomodo superbiam: omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Vermis diuitiarum superbia est. Et Apostolus *radicem omnium malorum cupiditatem* non dubitauit appel-

1. Tim. 6. lare. Et ibidem ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ & laqueum diaboli*, quo nemo se facilè expediat, etiamsi discipulus vel Apostolus fuerit, quin ad grauiora scelera quasi captiuus protrahatur. Quid igitur mirum, si eas Sal-

Luc. 8. uator noster falsitatis insimulauerit, atq; cõparauerit cum spinis, quas contingere non potes, nisi manum lædas: diuitias amplecti, possessori periculosũ. spina extremâ sui parte

Eccli. 41. pungit, diuitiæ in morte longè sunt acerbissimæ; *O mors quã amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua!*

Sophar Iob 20. Tunc experiuntur se caput aspidum, vt ille aiebat, suxisse, id est magnam in acquirendis possidendisque diuitijs voluptatem cepisse, velut pueri dum vbera materna sugunt,

Deut. 32. gaudent; sed quam venenum insanabile diræ mortis tandem amarissimam facit. Sunt enim qui scribant venenum aspidum tam dulce esse atque lac aut mel, sed quod præsentissimam mortem adferat. Verè ergo fallaces diuitiæ non præstant quod pollicentur; felicitatem summam spondent, calami-

calamitates inducunt; gaudium præ se ferunt, & intus plena sunt omnia amaritudine, nec ipse parens securus est à liberis, & ipsi liberi se inuicem suspectos habent: & quæ non aliquando scelera etiam inter amicissimos & proximâ consanguinitate coniunctos ab inordinato diuitiarum desiderio? Præclarè Seneca, Isti quos pro felicibus aspicitis, si non quà occurrunt, sed quà latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itemque Solymæus rex diuitias *mendaciũ*, & *insanias falsas* vocauit; & filius ipsius, *fascinationem nugacitatis*. Quæ nomina quantum absunt à vera felicitate, vt illam aliqualiter exprimant? Cato verò apud Senecam in epistolis diuitias inter vera bona nullo pacto esse connumerandas asserit, quòd illas etiã iniqui possideant: quum summa felicitas nullis nisi virtute præditis patere possit; illis solis hæc merx est publica. Ideoque Cicero in sola virtute veras diuitias latere asserit. Quis, inquit, dubitet, quin in virtute diuitiæ positæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri & argenti plus quàm virtus æstimanda est? etiam si callidi rerum æstimatores prata & areas quasdam magni æstiment, quòd ei generi possessionum minimè quasi noceri possit; quanti æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest vmquam, neque naufragio, neque incendio amittitur nec temporum, nec tempestatum permutatione mutatur? quâ præditi, sunt soli diuites, soli enim possident res fructuosas & æternas.

Lib. de prouident. sub finem.

Psalm. 4.
Psalm. 39.
Sap. 4.

Paradox. 1. & vlt.

Postremò ecquæ felicitas ijs rebus inesse possit, quæ nullam animo quietem, nullam satietatem præstant. Quod Semiramis sugillans, vt refert Herodotus, super portas vrbis celeberrimas in loco edito atque conspicuo sepulpulchrum extruxit, cum hac inscriptione: Si cui regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulchro sumat quantumcumque libuerit, pecuniæ dumtaxat

Lib. 1. post med.

taxat indigens; aliter, ne aperiat: non enim id ei profuerit. Itaque monumentum hoc tam diu fuit immotum, donec regnum peruenit ad Darium, qui indignum ratus non sumere pecunias ibi repositas, ipsumque prouocantes, reserauit monumentum: in quo non quidem pecunias inuenit, sed litteras ita dicentes: *Nisi pecuniâ esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, haud aperuisses vrnas defunctorum.* Quibus verbis & illius auaritiam esse maximam, & illi micam beatitudinis abesse indicabat Assyriorum regina. Quapropter non aliter diuitibus quàm hydropicis accidit, de quibus canit Horatius:

Lib.2, odar.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Cur autem viri sapientes & probi, vt plurimum non sint pecuniosi, rationem dat Pius II. Ne mirere, inquit, non fortuna est quæ viros bonos pecunijs priuat: sed habent ipsi nummi nescio quid sensus. Sunt enim ambitiosi, & honoris cupidi; non teneri, sed tenere volunt. Ipsi quietem amant, lubenterque apud auaros sunt, qui eos scrinijs claudentes singulis horis visitant ac honorant, nec alibi cor habent quàm cum eis. Apud sapientem sunt pecuniæ quasi ancillæ, nunc huic nunc illi rei seruientes: quinimò vt cum Iuuenali loquar, fortunæ laqueum sapiens mandat, medioque digito illam per ludibrium demonstrat.

Epist, 51.

Nec in honoribus est summa felicitas.

NON defuerũt olim, nec modò desunt, qui summũ huius vitæ bonum, animiq; felicitatem saturitatemque, constituant in honore diuitijs suffulto, & hi se vocari Politicos gaudent, atque cum Cicerone maximum virtutis pręmium censent honorem, nec posse homini maius quidpiã obtingere. Vnde & religionem ipsam huic idolo subdunt, eoque tantùm omnis eorum conatus, & fidei intentio vergit,

git, vt principatus vel acquiratur, vel retineatur, vel amplificetur, verarum virtutum exercitijs monachis & timidioris conſcientiæ hominibus demandatis. Ideoque laruã iuſtitiæ, pietatis, miſericordiæ Principibus neceſſariam eſſe, non ipſas virtutes, audacter cum impio ſuo Machiauello pronunciant. At eos quàm longiſſimè exerrare vel inde patet, quòd ſummum bonum, cuius poſſeſſione beatus efficitur, debeat eſſe quiddam intrinſecum, & intimè vnitum: alioquin enim non magis afficiat, quàm oculus parietem non exornat quem videt. Honores bona ſunt extrinſeca, & ab aliena pendent voluntate, vt, ſi alij velint, maximè ſis glorioſus; ſi nolint, ſummè deſpectus. Et omnis gloria *velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna*, quæ numquam fuit in poſſidentis libertate, vt potuerit illâ frui, vel non frui. Iob 20.

Quid porro communius in hac fluxarum rerum viciſſitudine, quàm vt ille qui heſterno die ſedebat omnibus formidabilis, eratque venerationi, hodie deturbetur de ſolio, irrideatur & adigatur ad manticam? Tu mihi ex antiquis Seianos, Beliſarios, Rufinos, Andronicos, Mauritios; ſuperioris & noſtri ſæculi Cæſares Borgias, Bironios, Buckingamios, Marchiones Ancræos, Calderonios, & nuperum Fridlandium cogita. DOMINICA Palmarum.

—— Non vmquam tulit
Documenta fors maiora, quàm fragili loco
Starent ſuperbi. Seneca in Troade.

Nempe vt homines, ita honores facilè mutant. Et quid homo? *Numquam in eodem ſtatu permanet*, licèt princeps fuerit aut Monarcha maximus, à cuius maieſtate etiam quod loquitur, pondus habet. Vnde & Dauid monet: *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum in quibus non eſt ſalus.* Si nec in illis ſtabilitas, quantò minùs in ceteris, qui inſtar maris Euripi non ſepties in die, ſed continenter fluunt refluuntque? Et vbi diuturnitas non eſt, vera felicitas adeſſe Iob 14. Pſalm. 145.

non poteſt. Ideoque nobiles Romani, ſiue vt ad modeſtiam reuocarentur animi, ſiue vt fortunæ inconſtantiam riderent, calceamenta lunulis ornabant, quia tam facilè proſpera rerum, & præcipuè auræ popularis, quàm lunæ facies mutatur. Vis & ipſos purpuratos teſtes? Audi quomodo producantur in theatrum à Sapiente, miſeriarum
Sap. 5. ſuarum partes acturi: *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarũ iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia tamquam vmbra.* Vmbra ſequitur ſolem, aut eius motum. Nihil autem in rebus, quæ oculis conſpiciuntur, magis mobile inuenimus, quàm ſolem, qui nec per breue momentũ in vno
Ioſue 10. inſiſtit loco. Semel tantùm à creatione ſua, fixus ad breue tempus ſtetit; famulatuſque precibus fortiſſimi ducis eſt.
4. Reg. 10. Neque enim Ezechiæ tempore loco quieuit, ſed retroceſſit nouem gradibus, nec id ſine maximo miraculo. Nec tãtùm inceſſabili curſu magnus ille lucis diſpenſator, & aſtrorum rex mouetur, ſed adeò celeri & feſtinato, vt viginti quatuor horarum ſpatio totum orbem decurrat & luſtret. Et quia vmbra aſſiduè ſolem comitatur, nihil poterat aſſignari illâ aptius, quò honorum & pompæ mundanæ inſtabilitas & declinatio deſignaretur. *Tranſierunt* igitur, inquiunt illi, *omnia & tamquam nuntius percurrens*, &c. Et ideò ille Pelaſgæ claſſis ductor Agamemnon exciſâ Troiâ, & inſtabilitatem fortunæ & breuitatem edoctus, prudentiſſimè
Seneca in Troad. aiebat: —— *Fateor, aliquando impotens*

Regno ac ſuperbus altiùs memet tuli,
Sed fregit illos ſpiritus hæc quæ dare
Potuiſſet alij cauſa, fortunæ fauor;
Tu me ſuperbum, Priame, tu timidum facis.
Ego eſſe quidquam ſceptra, niſi vano putem
Fulgore tectum nomen? & falſo comam
Vinclo decentem? Caſus hæc rapiet breuis,
Nec mille forſan ratibus, aut annis decem:
Non omnibus fortuna tam lenta imminet.

Quare

Quare Gelon dux ſtrenuus poſt ſubiugatam Carthaginem, regnumq́ue Siculum tributarium ſibi effectum, cùm tantis victorijs nondum ſatiatum ſe expletumq́ue cognoſceret, ſibi ipſi indignatus, nudus in plateas exiliens regno ſe opibuſq́ue, quæ numquam ſatiant, renuntiare dixit. Ælian. lib. 6 variar. hiſt.

Ad hæc ſummum bonum debet eſſe tale, vt eius appetitio non poſſit eſſe vitioſa aut nimia, quia ſummè appetendum eſt, omneſq́ue cogitationes & conatus ad illud dirigendi. Appetitio verò honoris non tantùm non poteſt eſſe nimia & vitioſa, ſed talem ſæpè legimus, ſæpè vidimus, & improbauimus; quoties enim limites ſuos egreditur, degenerat in ambitionem & cenodoxiam, quæ vbique gentium eſt deteſtabilis. facilè igitur erit hinc colligere, in honore ſummam felicitatem ſitam non eſſe. Quid verò deteſtabilius quàm omnes vitæ ſuæ rationes ad proprios honores dirigere, & per tyrannidem publica priuatis poſtponere? Annon tyrannum, omnibus gentibus odioſum nomen, eum appellaueris, qui hoc vnum, ceteris neglectis, ſtudet, vt ſummum honorem conſequatur, aut retineat? Et tamen id ei liceret, ſi honor ſummum bonum foret.

Porrò Reges & Imperatores, qui ſummum honorem inter mortales ſunt adepti, hanc ſine dubio fuiſſent experti beatitudinem; ſed quotus quiſque illorum in ſummis honoribus non ſenſit ſummas difficultates & moleſtias? Teneat quis orbis imperium, & omnes huius vitæ præſtò ſint ei voluptates, non ideo deſinet innumeris aliunde affligi modis. Nam agmen curarum, quæ illi quotidie è tot regnis obuenient, & aſſiduę ſupplicantium interpellationes, triſtes euentus, crebræ ſeditiones, multiplices indignationes, & infinitæ ſuſpiciones animum exulcerabunt & lancinabunt, vt nullam vel quietem vel ſolidam voluptatem capere poſſit. Vnde qui exteriùs ita ſplendent, vulgoq́ue videntur feliciſſimi, plerumque interiùs ſunt miſerrimi, infinitis aculeis confixum geſtantes animum. Quis vel quinque

sæculis felicior honoratiorque Carolo Quinto? Ille tot victorijs inclytus, tot regnis potens, tantis Indiarum thesauris locuples, tot encomijs celebratus, ille, inquam, Carolus, satur honorum & gloriæ, vt se onere hoc, & molestijs innumeris eximeret, & saluti suæ consuleret, maturè, nempe anno ætatis suæ quinquagesimo quinto, Imperium in fratrem Ferdinandum, Hispaniarum aliaque his adiuncta regna & prouincias in filium Philippũ transtulit. Quod cùm in solemni procerum consessu Bruxellæ ann. 1555. faceret, ex commiseratione illacrymans hisce verbis vsus est: *Miseret me, Proceres, filij carissimi, cuius humeris tam graue onus imponitur, quod dum gesturus est, vita ei in summis laboribus & molestijs est transigenda.* Quàm verè & sincerè magnus ille Cæsar, id quod est, de honoribus huius sæculi pronuntiauit. Magna, inquit Seneca, seruitus est ex magna fortuna. Omnium somnos vigilia Principis defendit, omnium otium illius labor, omniũ delicias illius industria, omnium vacationem ipsius occupatio. Brabanti rogati suâ linguâ quot annis magistratum gesserint, non inficetè respondet, se tot annis reipublicæ seruijsse, quot honore claruerunt: quia hæc honores comitari solet seruitus, vt alijs potiùs, quàm nobisipsis viuamus. At regum quot sunt, quotque fuerunt, felicissimum æquè ac sapientissimum, audiamus de honoribus & alijs humanæ mentis illecebris pronuntiantem: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Hæc ille, qui & sapientiâ, & opibus, & pace, & gloriâ, & voluptatibus huius vitæ præ omnibus, propter diuturnum illorum vsum, putà quadraginta annorum, abundauit; breuem tamen delectationem, nullam satietatem est expertus. Et pater illius crebrò ingeminabat: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*, id est, omnis structuræ, & omnis rei consummatæ & perfectæ finem vidi; quia omnis humana potentia, opes, imperia & regna finem habent celer-

Pontus Heuterus in hist. Belgic.

Lib. de consolat. ad Polyb. c. 26.

Eccles. 1.

Psal. 118.

Ex interpret. Arnobij.

celerrimum, & nihil tam consummatum & perfectũ, quod non habeat terminum & interitum; solo mandato tuo excepto, quod ita latum est, vt ad omnia tempora se extendat, omni ætate sit firmum, & sui obseruatores ad beatam æternitatem deducat. Quare & Ioannes in Apocalypsi sua omnem mundi gloriam vidit, sub imagine maris vitrei, quòd aqua citò defluat, & vitrum frangatur. Nempe Genesim, primum librum Moysis, sequitur Exodus, quia quidquid generatione mortali producitur, exitum molitur. Licèt magna vbique videatur felicitas, nihil tamen est nisi vanitas & afflictio spiritus. Quid enim prodest quòd in loco aliquo quies & tranquillitas sit, si in habitatoribus vitiorum tumultus, & colluctatio passionum? si exteriora serenitas teneat, & interiora tempestas? Herodotus ait, reges Babylonicos sceptra gestare solitos, in quibus rosa aut alius quiuis flos erat affabrè factus. At rosa, vt Plutarcho placet, contra ebrietatem valet. Apponebant igitur sceptro, quod eos ebrios reddere solet, remedium, rosam; quæ licet pulcherrima & florum regina, marcescit tamen illicò, quemadmodum regum honor euanidus est. Ideò etiam triumphanti homo assidere solebat, qui subinde clamaret: *Respice post te, hominem memento te*; vtpote cui breues termini temporis sunt præscripti. Rex ille Assyriæ, qui à delicijs & purpuratâ vitâ innotuit, tamen idem ab ebrietate longa sobrius sepulchro incidi curauit symbolum, quo, quid honores & voluptates sint, exprimeret, & ad modestiam elatos vocaret. Erant digiti duo, qui collisi inter se crepitum edebant, signantes omnia regna, omnia aut excelsa, aut magna, nec tanti quidem esse, vtpote momentanea. Quid enim totum id quod viuimus? Dicat D. Iacobus, *Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*

Apoc. 19.

Euseb Emiss. hom. ad mon.

Lib. 1.

Tertull. l. de coron. mil.

Sardanapalus.

Iacobi 4.

Nec in voluptate summum bonum situm est.

QVòd autem multò minùs hæc animi quies, & omnibus exoptata beatitudo, in voluptatibus corporis sita sit,
Amos 6. per totum. patet ex ijs quæ Propheta Amos asserit: *Væ*, ait, *qui opulenti estis in Sion, cõfiditis in monte Samariæ, qui dormitis in lectis eburneis, qui canitis ad vocem psalterij, qui lætamini in nihilo.* Ecce quid sint voluptates quibus homines tãtoperè delectantur: nihil delectatur in nihilo, id est, in rebus vanis, qui vanitas sunt & nihil. lætantur, sicuti Ionas sub vmbra hederæ, lætitiâ magnâ, diuites sub vmbra diuitiarum, nobiles sub vmbra honoris, voluptuosi sub vmbra delectationum: at
Ionæ 4. sicuti subitò Ionæ lætitia cum hedera euanuit: *parauit enim Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit*; sic vmbratile gaudium harum rerum euanescit, dum illæ breui tempore exarescunt. & sicuti qui nihilo & vanitate pascitur, semper magis exuritur: ita etiam hi miseri, dum his mundi gaudijs, quæ nihil sunt, repleri quærunt, semper maiore fame laborant. Et quantus error est, ab ijs rebus sperare felicitatem, quæ non tantùm ita inanes sunt, vt famelicum semper destituant beatitatis appetitum; sed etiam ita perniciosæ, vt funesto tandem exitu lacrymas sint daturæ! Animaduertit hoc Dauid, quare post indignè susceptas voluptates, se delusum cognoscens, ait:
Psalm. 37. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Ac si diceret: Dum his mundi voluptatibus repleri posse confiderem, peccaui: at ô me miserum! illusus sum irrisionibus, ludibrijsque mundi, dæmonis carnisque repletus. Facit mundus, dum suas proponit voluptates, vt solet pater erga famescentem puerum, vberaque matris lacrymis affectantem, cui porrigit digitum, quem simplex papillam mammarum existimans, nec illudi se animaduertens, auidè arripit, & sugendo, licet nihil eliciat, quasi quod poscebat sit adeptus, quiescit. Sic, inquam, mundus, dum famescen-

famescentes homines, lacque veræ consolationis exposcentes, considerat, vt illudat, offert steriles suas voluptates, quas miseri æquè auidè excipiunt, ac si lac veracium consolationũ porrigeret. At quale gaudium inde eliciant si lætantur in nihilo, si lætantur in re nullius veri gaudij participe?

Deinde absurditas huius rei patet ex irrisa toti orbi sententia Epicuri, hominis voluptarij, cuius sectatores veluti gulæ ventrisque mancipia egregius ille vates vocat Epicuri de grege porcos.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti, Horatius.
Quæ si cum socijs stultus cupidusq; bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Agit ibi de Vlysse, homine contemptore voluptatũ, quem Homerus velut ideam ciuilis prudentiæ & virtutum moralium orbi proposuit. Hoc verò plures meritò mirantur, quòd Epicurus omnem beatitudinem in voluptate constituerit, hominibus ademerit spem immortalitatis, dixeritque, nihil hominis post hanc vitam superesse; cùm tamen nihil æquè mortales consoletur, atque credita animæ immortalitas, & vita in alio sæculo beatior. Quare euanuit stolida & bruta hæc doctrina, nec nisi apud atheos quosdam & Turcas pondus habet. Qui quâ ratione nos Christianos canes vocent, non ostendunt, cùm tamen ipsi instar canum & porcorum, nihil nisi ventrem, & ventri subiecta etiam in altera vita somnient. Ita pseudopropheta Mahomet illis persuasit. Bonos, inquit, Dominus in paradisum Azoara 2. inducet, vbi dulcissimas aquas, pomaque multa, fructus varios, & decentissimas ac mundissimas mulieres, omneque bonum in æternum possidebunt. Nec hæc mysticè, sed prout verba sonant, intellexeris. Hinc & Mahometani, vti superioribus annis quidam Hierosolymâ perscripsit, pecu- P. Henricus du Bois Bruxellensis 1634. niarum sunt auidissimi, atque illas in remotis & occultis locis

locis defodiunt, vnde habeant ad deliciosè in altera vita cum suo Mahometo viuendum. Talis quoque erat ille Cyclops apud Euripidem, qui dicebat se Iouem non curare, sed maximum deorum sibi esse suum ventrem: huic se assiduè sacrificare. Longè aliter olim Ethnici, quos inter diuinè Plato escam malorum voluptatem appellabat, quòd eâ videlicet homines capiantur, vt hamo pisces. Et Seneca, Indulgere, inquit, voluptati initium omnium malorum est. Tantum abest vt voluptatibus aliquid boni inesse existimauerint. Impedit enim in primis voluptas prudentiam, eoque magis, quo maior existit. Qualis, inquit Aristoteles, est ea, quæ ex rebus venereis percipitur. Nam simplex consideratio boni spiritualis, quâ videlicet homo benè apprehendere dicitur & intelligere, quàm bonum sit rectè viuere, seruire Deo, relinquere sæculum, & similia; per eiusmodi voluptatem admodum turbatur, & impedimenta maxima persentiscit: tum quia vehementissima est, & omnē seriam cogitationem de rebus cælestibus impedit, vtpote quæ omnes animæ potentias, velut violentus prædo, inuadat & incidat: tum quia est infimarum partium, & nihil nisi quo bruta perfruuntur, excellens habet, adeoque illis voluptuosi assimilantur: tam parum, quàm ipsa bruta, rebus spiritualibus idonei. Inspice propiùs, quia corporis voluptas mentem excæcat, virtutem elidit, in vitia præcipitat; corpus & animam eneruat, naturam humanam dedecorat; molles, inglorios, viles & despicabiles efficit.

In Cyclope.

Cicero in Caton.

Epist. 111.

Ethic. cap. 15.

At concedamus etiam aliquid boni ibi latere: quàm id imperfectum, quantis sordibus & fœtoribus inquinatum, quot doloribus permixtum? Quid enim voluptas edendi nisi solatium molestiæ quam adfert fames? bibendi, quam sitis? Veneris, quam incitatio libidinis? proinde pares sunt leprosorum & scabiosorum voluptati, quam sentiunt dum scabuntur. Et nescio ecquis mortalium non malit necessitate edendi & bibendi & carnis incentiuis carere, quàm illis

ſis ſeruire, cum tanta temporis iactura, tanto periculo amittendæ ſanitatis. Nam, vt veriſſimè Afrorum doctiſſimus, Quæ maior voluptas, quàm ſæculi totius contẽptus, quàm vera libertas, quàm integra conſcientia? Tertull. lib. de Spectac. cap. 28.

Et ſanè nulli rei aptiùs voluptates profanas comparauero, quàm menſæ Heliogabali, quam ad ludibrium amicis inſtrauerat, in qua cibi omnes è vitro, ad imitationem veritatis efficti, iritandæ potiùs, quàm ſedandæ orexi inſeruiebant. Alium cibũ menſæ voluptatis magis accommodatum nullũ inuenio, niſi fortè poma Sodomitica, de quibus ſcribit S. P. AVGVSTINVS, præ ſe ferre quidem illa ſpeciem maturitatis, ceterùm ſpecioſæ cutis ambitione fauillaceã intrinſecus fuliginem abſcondi, quæ vel leui attactu fumum exhalet, & deſinat in vagum puluerem. Nihil certè à voluptate ſperandum eſt maius. Hoc igitur firmiter ſtatuamus, neque ingentium diuitiarum ſplendorem, neque eximiæ potentiæ magnitudinem, neque voluptatum affluentiam hominibus elargiri poſſe quod optimum eſt. Etenim rogo vos, ſi in omni vitâ ſpectaculis & vanitate obiectorum paſceretis oculos, num oculi veſtri pingueſcerent? Si mentem cupiditatibus, eſſétne ditior? Si aures rumoribus, eſſentne pleniores? Si carnem dapibus, num fieret immortalis? Vt etiam ſileam alia, quibus hæc quæ diximus, deficiunt, perfectum nullum gaudium eſſe poteſt, quod non ſit ſempiternum; quia quod aliquando non eſt, ei, vt Ariſtoteles ait, multum ad omnes perfectionis numeros abſoluendos deeſſe intelligitur. Apud Iudęos quoniam contractus ad centeſimũ diem finiebantur ex legis pręſcripto, quo temporis interuallum erat breuius, hoc leuior erat rerum iudicatura. Quanto igitur viliora nobis eſſe debent hæc omnia momentanea, tot caſibus obnoxia, quæ vt nullus caſus eripiat, certè mors omnibus adimit. Atqui ſi, pretia rerum mundanarum breuitate æſtimamus, viliſſima ſint oportet, quæ nec horam habent certam.

Lib. 21. de Ciuit. cap. 5.

Campian. epiſt 6.

Leuit. 25.

Enarrat. in Psalm.9. Hac de causa optimè monet S. P. AVGVSTINVS: Ne sperent in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes nisi, *erit & fuit.* Quoniam quod in illis futurum est, cùm venerit, fit statim præteritum; & quod expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. August. in Psalm.30. Et speras in pecunia, obseruas vanitatem; speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humanæ, obseruas vanitatem; speras in aliquo amico potente, obseruas vanitatem. In his omnibus cùm speras, aut tu expiras, & ea hîc dimittis; aut cùm viuis, omnia pereunt, & in spe tua deficis. Lib. 3. de imitat. c. 16. Pulcherrimè etiam Thomas à Kempis: Quòd si omnia, inquit, solatia mundi solus haberem, & omnibus delicijs frui possem, certum est quòd diu durare non possent. Vnde non poteris anima mea plenè consolari, nec perfectè recreari, nisi in Deo consolatore pauperum, & susceptore humilium. Sunt quidem qui voluptates & illecebras sensuum stare cupiunt, & quantum possunt, retinent, sibique longæuitatem polliceri audent; sed non minùs insipienter, quàm si quis stans in ripa conaretur retinere aquam fluminis præterlabentis, aut solis quadrigam, quia horologium suum à cursu impedire potest, quia mors, siue interitus, omnibus rebus humanis interuenit, atque illas à nobis tollit, seu potiùs nos illis eximit. Quemadmodum enim in scena, obductâ cortinâ totus ille theatri splendor euanescit, & ad mendicabula reges principesque personati reuertuntur; ita postquam huius vitæ cortinam mors obduxerit, omnis illa falsorum bonorum species, & mortalitatis huius fucus extinguitur. Et quemadmodum emicante fulmine, nocturnæ tenebræ momento dissipantur: ita fulminatrix illa Iudicis sententia, Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, adumbratam huius vitæ felicitatē, vanam, mendacem, adeoque nullam fuisse demonstrabit. Quare prudentissimè Sapiens monet: Prouerb. 23. *Ne intuearis vinum, quando splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo*

mor-

mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Caue scilicet tibi à mundi vino, hoc est voluptate, quod splendet quidem & flauescit, sed in vase vitreo, in vita nempe hac misera & fragili, quæ instar vitri facilè frangitur. Ne intuearis vinum hoc, quando in tali vitro splendescit color eius: nam blandè ingreditur, suaue est palato & gutturi; sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut basiliscus venenum per totam animam corpusque diffundet. Non itaque intuearis initij dulcedinem, sed finis amaritudinem.

Concludo cum S.P. AVGVSTINO, Inquietum est cor nostrũ, donec in vno summoque bono, id est Deo, acquiescat, ad quem non nisi per virtutem itur. Innocentissimum Prophetam Iobum paupertas, infamia, irrisiones, summique dolores obsederant; & tamen serenitatem animo semper retinuit, sicco vestigio cum Israelitis ingens illud tribulationum mare pertransiuit: verè stabiliterque pacatus fuit, quia iuxta Deum æquè virtutem colebat. Nempe *beatus vir,* Psal. 39.
cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & insanias falsas. Et quaquauersum, inquit S.P. AVGVSTINVS, Lib. 4 Confess. cap. 10.
se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te Deus: tametsi figitur in pulchris extra te, & extra se. Quin ipse Plato amicos Dei tantùm veris delectationibus frui dicit. In Philebo.
Illud solum & verum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore suscipitur: & omnis aliunde iucunditas, mœror est; omnis suauitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne postremò quodcumque aliud delectare potest, molestum. Bernardus epist. 114.

§. II. *An interna illa quies, solidaque felicitas in hac vita obtineri possit, & quousque* S. AVGVSTINVS *eam possederit?*

VTrùm in hac mortali vita diuinam quispiam viderit essentiam, quæ summa & interminabilis nostra est felicitas, solum & verum bonum, columnæ, vt ita dicam, Herculeæ, quæ vltimam beatitudinem terminant; adhuc inter

Lib. 2. Dial. c. 35.

Theologos controuertitur. Sunt qui illâ fruitum velint Moysen, alij addunt D. Paulum, quidam S. Benedictum. refert enim S. Gregorius, illum quadam vesperâ ad fenestram orantem vidisse tantam lucem, quæ diem vinceret, omnesque omnino tenebras fugaret. Et in hac, ait, luce omnis mundus velut sub vno solis radio collectus ante oculos eius adductus est; atque inter alia, in splendore huius coruscæ lucis, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cælum ferri. Quærit deinde Petrus, quî totus mundus ab eo oculis conspici potuerit? Respondet Gregorius, quia animæ videnti creatorem, angusta est omnis creatura, eò quòd per lumen diuinũ mentis intimæ sinus laxetur, tantumque expandatur in Deo, vt superior existat mundo & seipsâ. Referunt alij de alijs Sanctis, prout cuiusque dictat partialis deuotio. sed neque ego quidquam eorum gloriæ detractum eo: hoc tantùm ausim asserere, si verum est quempiam mortalem hoc priuilegio vsum, de nemine id clariùs euidentiusque, post S. Scripturæ testimonia, quàm de S. P. AVGVSTINO demonstrari posse: idque ex ipsius AVGVSTINI diuinis ingenij monumentis, cuius quanta in Ecclesia semper fuit auctoritas, tantum ad confirmationem illius, quod asserui, facit. Et quamuis sententia hæc verisimilitudine suâ non careat, tamen negatiua mihi semper visa est S. Scripturæ cõformior, & rationum pondere firmior. Cùm enim beatitudo hæc viribus humanis, velut opes, honores, ceteraque vitę humanæ commoda, obtineri non possit, sed à solo Deo, decurso huius vitæ stadio, veluti præmium & merces bonorum operum detur; euidentissimum est aliquem simul mortalem, & perfectè beatum esse non posse. Nam Deus, tamquam agonotheta & munerator, statuit, fixâque lege sanciuit, vt præsentis vitæ spatium certamini cederet, corona illa dependeret ex tholo cælestis aulæ, quamdiu hîc viuimus: atque ad illam, quamdiu benè viuimus, voluit nobis semper

ſemper ius tantùm eſſe, non poſſeſſionem; illos verò qui malè agerent, eodem iure excidere. Atque hoc poſito decreto diuino (quod ſanè æquiſſimū hominique peraccommodum) fieri non potuit vt beatitudinis laurea in hac mortali vita cuipiam daretur. Laurea enim non datur niſi finito certamine, neque certamen mortalium finitur niſi cum vita: ad præmium igitur perueniri non poteſt, niſi & vitæ finis imponatur. quemadmodum nec quiſpiam ad metam peruenit, niſi ex carceribus egreſſus tranſierit per medium, viamque decurrerit. Præterquam quòd præmium hoc tale ſit, vt omnia prorſus mala excludat, nec vel vnum ſecum pati poſſit, homini in primis immortalitatem, & diuinum quemdam fulgorem præſtat: quod ſanè minimè gentium cum mortalis vitæ ſtatu conſiſtere poteſt. Hinc cùm Moyſes inſtanter peteret claram Dei intuitionem, ſiue viſionem beatificam, ideo quòd eum familiariter toties fuiſſet allocutus, velut amicus amicum ſolet, remotis arbitris; deſideraretque de facie nouiſſe, quem voce & colloquio nouerat (erat enim aliàs Deus tectus & inuolutus nube quâdam, quæ præſentiam ipſius dumtaxat indicaret.) reſpondit ei Dominus: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet,* id eſt, homo qui me viderit, non poterit ampliùs viuere, quia iam erit in portu, nec deinceps fluctibus huius ſæculi iactandus: nam de clara viſione, quam Moyſes petebat, hîc ſermo eſt, ſicut hactenus perſuaſiſſimum Patribus fuit. Vnde cùm Angelus apparuiſſet Manue patri Samſonis, atque cum illo ſermonem vltrò citroque habuiſſet, iſque putaret Deum fuiſſe, ait vxori ſuæ: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* Piè quidem gloriabatur Iacob ſe vidiſſe Deum facie ad faciem citra mortis periculum, id eſt, aiebat ſaluam factam animam ſuam. Sed ne putes eum vidiſſe Deum clarè; textus ſiquidem habet: *Nocte luctabatur Angelus cum eo:* quare nec faciem eius videre potuit; & cum Angelo, non cum Deo luctabatur; denique non aliter illum

Exod. 33. Iudic. 13. Gen. 32.

facie ad faciem, quàm Moyses vidit, id est, obscurè. Et quanta hæc differentia Deum videre, & eius vicarium Angelum? Vt mirum non sit, si vrgeatur Moysen ampliùs aliquid vidisse quàm vllum alium ex Prophetis. Vidit enim ipse Deum, reliqui Angelos. Præterea etiam ipsi particulari priuilegio concessum est, vt Deum humanâ cerneret figurâ, non quidem in facie, sed in posteriore apparentis corporis parte. Erat lapis scissus, siue foramen habens, medius Deum inter & Moysen: dixitque Deus se ab altera parte lapidis transiturum, verumtamen foramen manu obstructurum, vsquedum facies transiuisset; deinde ablatâ manu permissurum vt posteriora videret. Quod quidem alij metaphoricè accipiunt, & vt plurimum ad mysterium Incarnationis referunt: sed non videtur vlla notabilis ratio, cur à sensu litteræ recedatur.

Exod. 33. Postremò quod aliqui vrgent Deum dixisse ibidem, *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te*, atque ibi intelligi visionem beatificam: Respondeo locum admodum esse intellectu difficilem & obscurum, sed ex sequenti capite elucidari sufficienter ad propositum nostrum, vbi, quæ hîc promittuntur, complentur: scilicet
Ibid. c 34. quòd ipse sit Dominus Deus, misericors & clemens, tardus ad iram, & multæ misericordiæ, & verax: *Et miserebor*,
Exod. 33. inquit, *cui voluero; & clemens ero in quem mihi placuerit*: Quia nimirum omne bonum sit misericordia Dei, quod & verissimum esse miseri peccatores experimur, & se expertos gaudent, quotquot gaudēt in æterna societate Sanctorum. Quæ cùm ita sint: non hoc agimus vt conuincamus AVGVSTINVM, Videntem vidisse, vltimâque affectum beatitudine in hac vita; sed eousque profecisse, atque id in initio statim perfectissimæ suæ conuersionis fuisse consecutum, quò vsque humana potest pertingere imbecillitas. Est enim quædam pax interna, & animi quies, quam mundus dare
Lucæ 2. non potest, sed Angeli nascente Domino nuntiarunt, quæ
pecca-

peccatis abolitis, edomitiſque ſenſibus nos Deo conciliat vnitque. Et quamuis gratuitum Dei donũ ſit; tamen multis orationibus, vigilijs, auſteritatibus, & heroicâ charitate id ſibi quaſi extorqueri diuina gaudet benignitas. Quando, ſcilicet anima in virtutibus quotidie proficiens, concupiſcentiam ſuam purificat, vſque, inquam, dum ſibi bene conſcia ſit, atque teſtetur ſe purè & ſanctè iuxta legem Dei viuere. Et hic murus aheneus eſto. Tum verò in gratia ſe eſſe Dei cogitat, Deo ſe amicam & filiam, Deum ſibi patrem, & quidem longè amantiſſimum, qui ſummam filiorum ſuorum & curam & prouidentiam gerit, omniaque facit eis cooperari in bonum, ad maius & gratiæ & gloriæ meritum. Et hinc pax illa, quæ ne quidem totius mundi pretio, ſi foret vendibilis, comparari poteſt, intima viſcera animæ ſummâ ſuauitate peruadit. Quare eiuſcemodi animam non ineptè Saræ vxori Abrahami comparaueris. *Viſitauit*, inquit Scriptura, *Dominus Saram, ſicut promiſerat: & concepit, vocauitque Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac.* Quod nomen riſum ſignificat. Illa enim, quæ mente ex diuina viſitatione concipimus, riſum afferunt, & gaudium internum, ac iucunditatem ſpiritus. In hoc autem filio multiplicatio generis promittitur, ſicut ſtellæ cæli, quia nihil deeſt illi, qui ſic concipit, imò cum Dauide dicit: *Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum.* Tam arcto namque diuini amoris vinculo tenetur, qui eius dulcedinem guſtat, vt nihil eum ab ipſo Deo ſeparare poſſit. Nec delectationi rerum pereuntium ampliùs incumbit, qui huius cæleſtis benedictionis cognitionem per guſtum habet. Verè *delectationes in dextera eius.* Nam dextera ibi pro voluptatis & dulcedinis exuberantia ponitur. Hoc Philippenſibus bonum optabat Apoſtolus: *Pax Chriſti quæ exuperat omnem ſenſum, impleat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu.* Pacem, quam Sancti habent cum Deo, dum & ſummâ conſcientiæ tranquillitate perfruuntur, nemo

Gen. 21.

Pſalm. 29.

Pſalm. 15.

Philip. 4.

niſi

nisi qui illam experitur, intellectu aut cogitatione assequi potest. Atque hæc pax custodiat voluntatem & intellectũ vestrum, ne abducamini per persecutiones & suggestiones diaboli à recta fide, iustitia & sanctitate. Hoc enim maximè diabolus conatur, vt pacem vel per consensum in peccatum eripiat, vel certè inutilibus scrupulis, anxietatibus, mœroribus, diffidentiâ interturbet: similis callido piscatori, qui libenter in aqua turbida piscatur; aut instar petulantium iuuenum, qui conuiuia nuptialia insolentijs suis infestant. Quin & ipsa, promulsis quædam cælestis gloriæ est, ideoque S. Teresia, virgo illuminatissima, illum Orationis Dominicæ versiculum: *Adueniat regnum tuum*, sic explicat, quasi non aliud ibi iubeamur à Deo petere, quàm aliquem huius boni gustum etiam in hac vita, & experimentum, quo faciliùs omnes terrenæ delectationes fastidiantur & repudientur; mensque nostra in bonis illis, quæ sola vera bona sunt, acquiescat. Sed interim super hoc conuiuio diabolus rixas & iurgia frequenter excitare gaudet. Quem non Sanctorum aliquãdo importunis vexationibus exercuit? atque tum vel maximè, se in Angelum lucis transformat, & prætextus melioris boni non rarò prætexit.

Hoc bono cùm Dauid per peccata excidisset, iamque sibi redditus, & præteritorum pœnitens foret, tam solicitè,
Psalm. 50. tam instanter id recuperare postulabat: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Redde quod per peccata mihi abstulisti, redde quod culpâ mea perdidi: redde, obsecro, per merita eius qui nasciturus est de Virgine, qui asperget & viuificabit emortua membra peccatis sanguine suo, quem ex nunc in spiritu cõspicio ad dexteram tuam: per dilectum, per vnigenitum, qui etiam interpellat pro nobis, vt per ipsum sentiam te mihi placatum: vt sit ipse signaculum super cor meum, quò certior intus in anima fiam, quantum saluti meæ expediat, vt pax illa redeat quæ exuperat omnem sensum. Confirma me *spiritu prin-*

principali, siue principe digno, id est, qui cōstātiam & magnanimitatem donet: *spiritu principali*, quo potiorem dare non potes, spiritu sereno, tranquillo, beato, confirma me Deus.

Quantum verò hac in re AVGVSTINO fauerit Dei clementia, [& licèt exigui sæpè temporis hoc donum sit, vel sic tamen huius mundi delectationibus & brutis voluptatibus sit potius, atque indesinenter à benigna Dei manu dependeat] testatur copiosè atque eleganter S. Doctor: Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem: quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna est. Hîc esse valeo, nec volo: illic volo, nec valeo; miser vtrobique. Ex quibus verbis colligimus sanctissimam illam animam, non tantùm firmâ & indubitatâ fide Deum apprehendisse, atque cognouisse, spe solidâ & ardentissimâ in illum se erexisse, charitate dilexisse, totoque affectu coniunctissimum fuisse; sed insuper aliquid fuisse expertum, quod nō est fas homini loqui, quod efferri extra cordis conclaue non datur. Quod & ille experiebatur cùm diceret: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Et ille, *Satis est Domine, satis est.* Neque diu humana mortalitas affluentiam illam cælestis gaudij sustinere potest, nimis citò exigui cordis angustiæ oceano inexhausto diuinæ dulcedinis obruuntur. Sed an hîc Nicolaum Tolentinatem silentio præteribo? Ille cùm vitam sanctissimam ageret, incredibili voluptate in anima perfundebatur, idque tum vel maximè cùm metam spectaret. Nam sex ante obitum mensibus, quot-noctibus ante preces matutinas hymnodiam suauissimam percipiebat, quâ adeò reficiebatur, vt identidem exclamaret: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* De-

Lib. 10. Cōfess. cap. 40.

Psalm. 83.

S. Xauerius.

Surius in vita eius, 10. Septemb.

Philip. 1.

nique cùm ergastulo carnis anima solueretur, exultationis & salutis vox audiebatur: cumque adstantes ab eo quærerent, quæ noui gaudij causa foret? respondit lætabundus, Dominus meus Iesus Christus suæ Matri, & nostro Patri
Matth.25. AVGVSTINO innitens dicit mihi: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Hæc est magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Hieronymus quoque de se testatur, quod post quotidianos gemitus & multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnumquam sibi videretur agminibus interesse Angelorum, & lætus gaudensque cantabat; *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Epist. ad Eustoch.

Cant. 1.

Contigit etiam, vt imminente die, quo B. Monica ex hac vita erat exitura, AVGVSTINVS recens adhuc à baptismo, & illa starent apud Ostiam incumbentes ad quamdam fenestram, vnde hortus intra domum prospectabatur, vbi remoti à turbis post longi itineris laborem instaurabant se nauigationi. Tunc, inquit, colloquebamur soli valdè dulciter, & præterita obliuiscentes, in ea quæ antè sunt intenti, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, *quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, *fontis vitæ, qui est apud te*, vt inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, vt carnalium sensuum delectatio quantalibet, in quantalibet luce corporea, præ illius vitæ iucunditate, non comparatione, sed nec commemoratione quidem digna videretur: erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, perambulauimus gradatim cuncta corporalia, & ipsum cælum, vnde sol, & luna, & stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interiùs cogitando, & loquendo te, & mirando opera tua. Et venimus ad mentes nostras, & transcendimus eas, *vt*

Lib.9. Conf. cap.10.

1.Cor.2.

Psalm.35.

attin-

attingeremus regionem vbertatis indeficientis, vbi pascis Israel in æternum veritatis pabulo: & vbi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt. Et ipsa non fit, sed sic est vt fuit, & sic erit semper; quin potiùs fuisse, & futurum esse, non est in ea, sed esse solùm, quoniam æterna est. Nam fuisse, & futurum esse, non est æternum. Et dum loquimur, & inhiamus illi, *attingimus eam modicè toto ictu cordis*, & suspirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias spiritus, & remeauimus ad strepitum oris nostri, vbi verbum & incipitur, & finitur. Et quid simile verbo tuo Domino nostro in se permanenti sine vetustate, atque innouanti omnia? Et paulò pòst: Sicut nunc extendimus nos, & rapidâ cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem; si continuetur hoc, & subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc non rapiat & absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, *vt talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspirauimus.* Nónne hoc est, *intra in gaudium Domini tui*? Et istud quando? Matth. 25.

Ex quibus locis si non conuincimus S. Patrem nostrum hîc vidisse diuinam essentiam (quod tamen valdè vult Coriolanus noster,) certè nemo iuerit inficias, illum, instar eorum, qui cum spongijs aquâ imbutis stata sacrificia quotannis facturi conscendere consuerant Olympum montem, superasse, atque notas ibi quasdam inscripsisse, quas rerum sublunarium varietates non delent: sensit, inquam, quod illi nemo mortalium tollere potuit, nulla turbatio confundere: sensit ibi puram & defæcatam auram, & solem illum cælestem miro quodam & indicibili splendore radiantem.

Libet verò etiam hîc paulisper subsistere, & mentis aciem reflectere ad rerum primum exordium, atque aliquã creationis partem propiùs contemplari; vnde mihi similitudo oppidò venusta, & apprimè proposito nostro deseruiens elucet. S. Pater AVGVSTINVS scribit, volatilia non volare Lib. 2. de Genesi ad litter.

per ſublimem aërem qui ſerenus tranquillusque eſt,ſed per hunc turbidum & craſſum, terræ proximum, qui excipit omnes vapores terræ & maris,& in quo pluuiæ cõcreſcunt, ita vt ea eius pars aqua potiùs extenuata, quàm aër eſſe videatur: atque ita principium ex quo factæ ſunt aues,& habitaculum earum,ſimile,ac ferè idem eſſe. Quo loco inſinuat S.Doctor, natatilia & volatilia facta eſſe ex aqua; illa verò ex craſſa quæ in mari fluctuat; hęc ex tenui, quæ in aëre volitat: quod non parum cum earum natura conſonare videtur. Sed mirum alicui primâ fronte videbitur,quòd aqua fluida ſit & frigida, aues verò ſolidæ & ſiccæ ſubſtantiæ. Atqui obſeruandum eſt,res non ex ſimilibus,ſed contrarijs fieri, neque eas productas ex aqua manente tali, ſed ex alterata: quemadmodum ſal licèt temperie ſiccus ſit & calidus; tamen ex aqua fit, & facilè maceratus in aquam reſoluitur. Similitudo etiam quam aues cum piſcibus habent in pluribus,& in quibus ab alijs animantibus diſcrepant,vtrorumque idem ortus arguit principium. Vtraque enim ſunt ouipara, vtraque veſicâ carent, & partim nullo, partim exiguo vtuntur potu. Terreſtria omnia habent veſicam, & largiùs bibunt. Porrò ſquamæ & pennæ ad aquam videntur pertinere, pili quadrupedum ad terram: generantur enim ex fuliginibus, quarum eſt terrea & exuſta natura: ſquamarum verò & plumarum materia aqua eſt, vnde & aues non mingunt, ſed teſte Ariſtotele vrina illarum in plumas tranſit. Quæ omnia tantùm eo fine dicta ſunt, vt probemus aues ex aqua in prima creatione, à ſolertiſſimo atque omnipotente illo opifice eſſe productas, atque in hoc AVGVSTINVM cum auibus habere ſimilitudinem quamdam, quòd & ipſum tum maternæ, tum propriæ, quas ante, & in ipſa conuerſione abundè effudit, lacrymæ in auem Euangelicã, (cuius habitatio in ramis arboris ſinapi) transformarint. Itaque ex ſalutifero hoc pœnitentię balneo perſpicax illa aquila, quæ tam fixè altiſſima quæq; diuinitatis myſte-

Lib.3. de partib. animal, cap. 7.

Matth.13.

mysteria inspexit, emersit: quemadmodum Olaus Magnus scribit circa insulas Orcadas in mare cadere quædam ex arboribus folia, quæ in aues mirabili metamorphosi transeunt. Quid verò homo? *folium quod vento rapitur.* AVGVSTINVS ergo eiuscemodi folium, raptus priùs omni vento doctrinæ in mare amarissimæ contritionis incidit, atque inde nouo & admirando miraculo auis candidissima euasit, seipsum terræ subduxit, & in altissima diuinæ contemplationis sublimitate cõstitit: necnon ab oculis Liæ lippientibus, perpetuoque aqueum humorem fundentibus, ad pulcherrimæ Rachelis suauissimos amplexus admissus est. Iure verò meritissimo tum illud Dauidicum vsurpare poterat: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, quia iam omnia impedimenta sanctioris vitæ præciderat, & plenissimâ spiritus libertate fruebatur, laqueis hostium liberatus, & ab impetu eorum securus. O beatissimam auem! ô diuinam aquilam! quæ nidum tuum in ramis sanctissimæ arboris vitæ, id est, stabilitate fidei Catholicæ, collocasti; *protegêris sub tegmine illius à feruore, & in gloria illius requiesces.* Verè *beatus qui requiescis iuxta domũ Dei, & in parietibus eius figens palum; statuisti casulam tuam in manus illius, & requiëscent in casula tua bona per æuum.*

Lib. 16. Iob 13. Psal. 123. Eccli. 14.

Quòd aliquod eiuscemodi bonum sit, testatur etiam deuotus & verè Deo carus ille Thomas, Non qualis beatitudo, inquit, videtur & laudatur à stultis mundi amatoribus: sed qualem expectant boni Christi fideles, & prægustant interdum spirituales & mundicorde, quorum conuersatio in cælis est; animæ Christianæ est exoptanda.

Lib. 3. de imitat. c. 16.

CAPVT QVINTVM.

§. 1. AVGVSTINVS adeò nullam in rebus creatis, relicto Creatore, quietem inuenit, vt etiam maximam vbique amaritudinem & molestias expertus sit, quò se ad Deum perennem omnis boni fontem citiùs reciperet.

THEMA CONCION.

Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. Psal. 31.

CVM sugentem adhuc puerulum nutrices cogitant ablactare, pro more habent vberum papillas sinapi vel alio amariori succo oblinere; vt citra magnum eiulatum discat mammam respuere, malitque lacte carere, quàm amaritiem experiri. Ita inexhausta diuina bonitas, cùm AVGVSTINVS diutiùs tergiuersaretur insanam hanc rerum illicitarum dulcedinem relinquere, aderat misericorditer sæuiens, & aspergens amarissimis euentis omnes illicitas iucunditates ipsius, vt tandem quæreret sine offensione iucundari: adeoque siuit eum cædi virgis ferreis ardentibus zeli, & suspicionum, & timorum, & irarum atque rixarum. Cumque aliquando grauissimum scelus in ipsa Ecclesia perpetrare sacrilegus fornicator decreuisset, grauissimè intus in animo à Deo cæsus est. Et circumuolabat, inquit, super me fidelis à longè misericordia tua. In quantas iniquitates distabui, & sacrilegam curiositatem secutus sum; vt deserentem te deduceret me ad ima infida & circumuentoria obsequia dæmoniorum; quibus immolabam facta mea mala, & in omnibus flagellabas me.

Lib. 5. Conf. cap. 3.

Ausus

Auſus ſum etiam in celebritate ſolęmnitatum tuarum, intra parietes Eccleſiæ tuæ concupiſcere, & agere negotium procurandi fructus mortis. Vnde me verberaſti grauibus pœnis. Sed nihil ad culpam meam, ô tu prægrandis miſericordia mea! Deus meus, refugium meum à terribilibus nocentibus: in quibus vagatus ſum præfidenti collo, à longè recedendo à te, amans vias meas, & non tuas; amans fugitiuam libertatem.

Non ideò ſanè, quòd omnium rerum Conditor huic alterive quidpiam inuideat eorum, quæ hominis causâ effecit; ſed ne contingat filios Adam ſeduci vitiorum dulcedine, nec ſint creaturæ *in muſcipulam pedibus inſipientium.* In muſcipula enim ſpargitur pollis triticeus, aduſtum laridum, vel fruſtum caſei, quo mures pelliciuntur: creaturæ quoque vnâ aliquâ parte ſunt delectabiles; ſed ne illo breui & fallaci melle mortalium abripiantur animi, indiuiduos Deus comites ire iuſſit labores & cordolia. Vbi vber, ibi tuber; vbi mel, ibi fel. Dicuntur à veteribus, qui optima morum præcepta fabulis incruſtabant, Ioue iudice litigaſſe voluptas & dolor, in qua lite neque illa huic, neque hic illi ceſſurus videbatur. Quod vbi aduertit Iupiter, ſubſtomachans ait: Bene eſt, ego vos ita componam, vt dirimi nequeatis. Quo dicto, adamantino vinculo colligauit diſſidentes. Inde ergo numquam non ſimul ſunt. Idemque approbat Sapiens: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Vbi tamen nota quòd non dicat, Dolor miſcebitur riſu; nam frequentiſſimè dolori non ſuccedit riſus, ſed vni dolori maior dolor ſuperuenit, & huic alius maximus. id quod patientiſſimo Iobo contigit, prout conſideranti facilè patebit: ſed, *Riſus dolore miſcebitur*, quia riſus numquam ita placidè aduenit, quin ſtatim ſuperueniat dolor, qui ei admiſceatur, eumque extinguat.

Sap. 14.

Prouerb 14.

Cerne roſas Paphias, iuncta omnibus horrida ſpina eſt:
Omnibus at ſpinis non ſua iuncta roſa eſt.

Bern. Bauhuſ.

Quo-

Quocumque oculos conuertas, ad summa, ima; profana, sacra; priuata, publica: mel vbique felle temperatum inuenies, & quidem ita, vt amara multò maxima sint. Quod prandium, quę cœna est, cui suum non admiscetur acetum? Ita semper Bacchanalibus proximus hæret dies Cinerum, & lætum Pascha tristissima Parasceue indiscriminatim antecedit. Quàm commode porrò AVGVSTINO id acciderit, testatur de seipso sequenti Emblemate. Cùm enim anima eius instar meretriculæ, quæ apud Oseam dicebat: *Vadam post amatores meos*, diceret, Fruar delicijs, inebriabor, & satiabor libidine; non verbis, sed reipsâ diuinitus illi responsum est: *Propter hoc*, vt te auocem & coërceam, *ecce ego sepiam viam tuam spinis.* Persequere, vt libet, voluptates tuas, sed non apprehendes: quæres, & non inuenies. Atque tamdiu te duris exercebo, donec fatearis omnibus relictis melius esse sequi Dominum Deum tuum, sponsum animæ tuæ, præ cuius amore reliqua sunt adulteria & scortationes.

Oseæ 2.

Quanto

Quanto felle mihi ſuauitatem illam, & quàm bonus aſperſiſti! Lib.3.Confeſſ.c.1.



Spicula quòd geſtent, arcent examina fures;
Non cuiuis rapitur quòd roſa, ſpina facit.
Ne placeant nobis quæ mundus mella propinat,
Felle bonus multo miſcuit illa Deus.

Id, inquam, maximo suo bono expertus est AVGVSTINVS. Deus pungebat sensum vulneris animæ eius, vt relictis omnibus conuerteretur ad se, assuesceretque pani illi solido (quoniam valdè famelicus veritatis erat) & succulento, qui est summa veritas cognita & amata. *Quem*, inquit Isaias, *docebit sapientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Neque enim priùs homo rerum cælestium & sublimium est capax, qui solidus cibus est, quàm lac consolationis humanæ inceperit fastidire. Id experiũtur qui conuertendis ad fidem Catholicam infidelibus allaborant, tum facilè illos cæleste fidei lumen in animũ admittere, cũ à prioris vitæ licentia & voluptatibus paulisper abduci cœperint. Verissimum quidẽ est, quòd mundus & caro sint similes lenoni & lenæ, miseroque peccatori continenter persuadeant: *Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies*, id est, quamdiu opportunitas sinit. Sed Deus vbera illa aloë & absinthio aspergit, quò animos sugentium auertat, & nauseam inducat. Nam sicut uua acerba dentibus tormentum est, & fumus oculis, sic iniquitas vtentibus eâ. Cui vmquam magis acciderunt omnia ad nutum, quàm superbissimo illi, quem rex Assuerus exaltauit de stirpe Agag? *Et posuit solium eius super omnes principes, quos habebat. Cuncti serui regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman.* Et tamen quantâ amaritudine illi omnes honores, deliciæ & voluptates constiterunt; ita quidem, vt ipsemet nihili omnia duceret, quibus perfruebatur, suauia, præ vna re, cuius morsicabatur felle. & quantula res hæc erat? Nimirum quòd Mardochæus palatium ingredienti & egredienti non assurgeret, nec poplitem prętereunti submitteret, quod lege diuinâ facere vetabatur. *Quapropter indignatus est valdè: & dissimulatâ irâ, reuersus in domum suam, conuocauit ad se amicos, & Zares vxorem suam, & exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum, filiorumq́; turbam, & quantâ*

Cap. 28. Prou. 7. August. in Psalm. 48. Esth. 3. Esth. 5.

eum gloriâ super omnes principes & seruos suos rex eleuasset. Et post hæc ait: *Regina quoq; Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* Ecce, quantâ eminentiâ, quàm prospero rerum successu, quantis gaudijs hic Palatinus fruebatur; attamen quia præ animi impotentia, & immani fastu concoquere animo non poterat, quòd vel ab vno Mardochæo præteriretur quasi incognitus, quantum fellis, quantum cordolij & laborum omnia illa etiam mellitissima admixta habebant? Plus exigua in imo pede hærens spina cruciabat, quàm tanta Assueri potentia dare posset boni. Vsque adeò nulla est sincera voluptas, solicitum semper aliquid lætis interuenit. Poteratque illud Iuuenalis vsurpare:

Ouidius in Metamorph.

Satyr. 10. *Est rebus lætis maior mensura malorum.*

Doctr. 12. Hinc S. Dorotheus animum peccatoris morbido corpori comparat: Vt corpus, inquit, melancholicum & distemperatum, continuè ab ipsa melancholia & distemperantia vritur & affligitur: sic anima vitijs subiecta, quantamlibet in se habere videatur delectationem & voluptatem, semper à malitia & iniquitate sua torquetur, atque in perpetuo angore, dolore & amaritudine est. Idem testatur

Cap. 21. Ecclesiasticus: *Via peccantium complanata est lapidibus, & in fine illorum inferi.* id est, vt Dionysius Carthus. exponit, via salebrosa, confragosa, siue aspera, in qua multa saxorum

Oseæ 2. impedimenta. iuxta illud Oseæ, *Ecce sepiam viam tuam spinis*, ne scilicet exerres, & ad decerpendos vicinorum hortorum fructus rapiaris. Alludere videtur ad morem, quo iuxta vias publicas pomaria sepibus contra viatorum petulantiam muniuntur. Quantum etiam ipsa Venus, quam tamen multi mortales putant omnium dulcissimam voluptatem, acrimoniæ & fellis habeat, testantur infames illi morbi, paupertas, hebetudo, & stupor animi, accelerata deni-

denique mors. Perierunt prodigo Euangelico vniuersa paterna bona non naufragio, non ægritudine, non bello, non subitaneo aliquo casu; sed *viuendo luxuriosè*: honoris famæque iacturam adijt, & pænè fuit vt fame necaretur, nisi porcorum cōtigisset fieri simul & custodem & conuiuam. Vt prudentissimè Demosthenes Laidi meretrici pro vna nocte decem millia drachmarum postulanti responderit: *Tanti pœnitere non emo.* Sciebat enim disertissimus Græcorum, inhonestæ voluptati indiuiduam comitem ire pœnitentiam. Quis vmquam obscœnæ huic Deæ vel horam, vel momentum seruiuit, quem non statim huius impuræ puduerit seruitutis? Certè magnus ille Persarum domitor, non dubitauit veneream voluptatem breuem epilepsiam appellare: morbi est genus hominem mente alienans, omnesque animi impediens functiones. Magnus quoque Philosophus Venerem amentiæ præfectam appellauit, ita vt nullus se istâ brutâ delectatione oblectare possit, quin vnà amentiæ incommoda persentiscat. Mala, ô superi! copulatio, vt illâ simul sint Venus & amentia. Et quis non mente constare, sapiens, suusque etiam sine ista voluptate, esse malit? Et crimine ab vno disce omnes, quotquot sunt vitæ huius, voluptates.

Luc. 15. · Arist. Rhet. cap. 24.

Optimè ad rem ait Psalmographus: *Multa flagella peccatoris*, quibus magnus & benignissimus pater filios suos deterret & auocat ab illicitis: *sperantem autem in Domino misericordia circumdabit*, id est, omne bonum illi velut vestimētum circumponetur. Audi, quid de delicijs & voluptatibus huius sæculi illi ipsi testentur, qui tanto studio eas sectati sunt, tam magni fecerunt, tam studiosè adhæserunt; idque vicinâ iam morte, quando decretorius adest dies, & nullum fugiendi superest tempus, nullus mimo locus,

Psalm. 31.

Sed veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur:

Lassati sumus, inquiunt, *in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus* — Sap. 5.

bulauimus vias difficiles, viam autē Domini ignorauimus. Et quomodo vias difficiles? vt vel sic occasionem arriperent illas relinquendi. Quod non leue diuinæ, etiam erga perditissimos moribus homines, benignitatis argumentum est.

§.II. *E contrario licèt virtutum exercitia suis etiam molelestijs non careant, interna tamen animorum consolatio longè præponderat.*

NEque ad cælum aut virtutem scanditur nisi per scrupulos scopulosque, & sudorem ante locum virtutis Dî posuerunt: & iuxta commune Græcorum adagium,

Dî laboribus omnia vendunt.

Quo significabant, præcipites illas rupes & difficiles, quas virtus inhabitat, non adiri nisi laborioso itinere. Vnde Romani, vt altiùs liberorum animis virtutis amorem imprimerent, atque horrorem laboris, qui virtutibus adnascitur, mitigarent, imò necessitatem strenuè agendi ostenderent; duplex templum ædificauerunt, seu finxerunt, prius Laboris, alterum Honoris: quæ quidem ita structa erant, vt nemo illud Honoris intrare posset, nisi Laboris priùs pressisset. Silius Italicus virtutem his verbis loquentem inducit: (Lib. 15. de bello Punico.)

Casta mihi domus, & celso sunt colle penates,
Ardua saxoso perducit semita cliuo,
Aspera principio ...... mox celsus ab alto
Infra te cernes hominum genus.

Nec absimili de causa docta antiquitas, Musas in Parnasso monte collocauit. Et Cicero deliberantem ex Xenophonte inducit Herculem, an amœnā voluptatis, an verò asperam virtutis viam insistere expediat? Sed nunc etiam ad sacra veniamus. *Quàm angusta*, inquit Saluator, *porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam!* Quomodo, ô Deus! *porta arcta*, vbi regnum tuum tam amplum, vbi domus tam capax & magnifica? Ecquæ harum exiguarū portarum cum (Lib. 1. Offic.) (Matth. 7.)

spatio-

ſpatioſſimo palatio, ſiue etiam ciuitate proportio? *& pauci ſunt qui inueniunt eam.* Quaſi dicat, Difficulter inuenitur, & quamuis inuenta fuerit, non ſine moleſtia & compreſſione tranſitur. Teſtantur id tot illuſtres animæ, atque in primis Iſaias, Ieremias, Machabæi ex veteri Teſtamento: ex nouo Ioannes Baptiſta, Paulus, Bartholomæus, qui non niſi caput vel pellem totius corporis exuti intrare potuerunt: teſtes omnes Apoſtoli, quibus, vt hanc portam intrarent, incidenda fuit omnis ſpes rei temporariæ,

Patria linquenda & placens vxor.

Ex quatuor partibus difficultas virtutis naſcitur.

ANguſtiæ autem huius portæ naſcuntur ex neceſſitate poſſidendi quatuor virtutes, ſcilicet fidem, ſpem, charitatem & humilitatem: quæ arctæ ſunt, atque exiguam in ſe longitudinem & latitudinem habent, vt mox patebit. Correſpondent autem hæ quatuor virtutes quatuor portæ partibus; fides & ſpes vtrumque lapidem lateralem, charitas ſuperliminare, humilitas limen conſtituit.

Fides viam arctam ad cælum reddit.

QVàm anguſta inprimis & acciſa fides! quàm ſignanter auiditati humanæ, cui innatum eſt teſte Philoſopho vel ſcire per demonſtrationes, vel minimum per rationes admodum probabiles, aduerſatur! Plura enim Philoſophiæ naturalis principia elidit: Ex nihilo nihil fit: A priuatione ad habitum non datur regreſſus: Accidentis eſſe eſt ineſſe: Mundus eſt æternus: Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: Omnis ſubſtãtia, maximè rationis capax, non ſubſiſtit in alia. Prætereà iubet nos credere SS. Trinitatẽ, Incarnationem Verbi, & omnia quæ hanc ſecuta ſunt ſalutis noſtræ myſteria, carnis reſurrectionem, æternitatem pœnarum. His adde: vitanda eſſe omnia peccata, vt etiam de verbo otioſo reddenda ſit ratio: & ſi quis in peccatum Matth. 12.

mor-

mortale prolapsus fuerit, confitendum esse Sacerdoti: opera bona, quantumuis laboriosa & difficilia, esse facienda, si à Prælatis præscribantur : regnum cælorum esse bonis operibus promerendum, vt coronam iustitiæ & mercedem laboris: Ecclesiasticis sacrisque hominibus cælibatum esse colendum: vota Monachorum & sanctimonialium esse ser-
2.Cor.10: uanda. Neque tantùm præcipit vt credamus *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*; sed id etiam ipsis factis & vitæ sanctimoniâ ostendamus; nec vult, vt opera à fide discrepent. Has fidei angustias, partim hæretici & infideles, partim mali Christiani, dilatare sunt conati: illi intellectui & sensibus suis blandiendo rationabiliora, vt ipsis videtur, proponendo, & faciliora & prorsus contraria veræ fidei: isti aliter viuendo atque se credere profitentur; neque aliud quidpiam hactenus lucrifecerunt, quàm quòd sibi alijsque largam fecerint portã ad inferos.

Secundò Spes. Quòd etiam aliud huius portæ latus humile sit & compressum, patet ex eo, quòd spes hominem paruæ & imbecillæ conditionis tam magna & eximia, putà hereditatem regni cælorum, adoptionem in filium Dei, omne denique bonum, sperare iubeat: in aduersis subsistere, omnemque
1.Pet.5. in illum, cui cura de nobis est, curam abijcere, neque ore tenus tantummodò, sed intimè & ipso corde, & effectu
Psal.117. operis dicere cum Propheta: *Dominus mihi adiutor, non ti-*
Psal.26. *mebo quid faciat mihi homo.* &, *Si consistant aduersum me ca-*
Rom.8. *stra, non timebit cor meum.* & cum Apostolo, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* solicitudinem inordinatam rerum temporalium abijcere, cùm tamen illas curare, homines putent primarium suum debere esse studium: nullum præsidium in labore, industria, vel astutia nostra ponere, nedum ad artes diabolicas confugere: sua dispergere & dare pauperibus, atque illorum remunerationem tantùm in altera vita sperare: præsentia fastidire, futuris inhiare: ab omni denique immoderato mœrore, luctu, diffidentia, & murmure

contra

contra Dei prouidentiam, alijsque grauioribus abstinere.

Deinde etiam charitatis superliminare, quæ iubet vt Deum super omnia, proximum sicut nosipsos diligamus, suas angustias habet. Inter quas si quis cum Abrahamo deprehendatur, audiatque ex Deo: *Tolle filium tuum vnigenitum,* nec filij, & quidem vnigeniti, nomen sufficit, *sed quem diligis Isaac*, vt & paterni affectus & promissi diuini, *In Isaac vocabitur tibi semen*, refricetur memoria. Et quamuis iam effœto sis corpore, nec sobolem propagare valeas, & heredem valdè velis, tamen amicā spem tam amatæ posteritatis tolle: nec simpliciter occide, sed immola: vt inter hæc sacrificaturi cruciet animum. Prætereà, perge in montem, quem tibi post iter tridui monstrabo, vt varijs & pugnantibus cogitationibus paterna mens plus exerceri valeat. Audi etiam Isaac lignis onusti, quibus exuratur, blandam compellationem, *Pater mi*: deinde simplicem obedientissimi pueri interrogationem, *En ignis & ligna, sed vbi victima?* Audiat, inquam, aliquis præceptum eiuscemodi, & in quantis angustijs se constitutum clamabit? verè saxum inter & sacrum hærere se sentiet. Et quoties ferè ad aliquod transgrediendum diuinum præceptum tentamur, eiuscemodi aliqualem luctam possumus mente concipere; licèt tot impedimenta, tot difficultates non intercurrant: sed exerceri tamen heroicus ille Dei super omnia dilectionis actus, nisi cum mortificatione sensuum non potest: neque enim præcipitur, vt Deum linguâ & verbo, sed *opere & veritate diligamus*, seu ex toto corde & viribus; atque illius amori & obseruantiæ præceptorum eius, vxores, liberos, diuitias, honores, quin vitam ipsam, postponamus. Ita diligendus Deus, vt nulla res creata æquè atque ipse appretiatiuè diligatur.

Tertiò, charitas.

Gen.22.

1.Ioan.3.

Iam verò nec dilectio proximi suâ difficultate caret: iubemur siquidem non tantùm amicos & honoratos, sed inimicos & ignotos, viles & abiectos diligere, sicut nosipsos.

Cogitet verò quiſque quantum ſeipſum diligat, & quanta huius præcepti ſit obligatio. Conſule, ſi placet, hac de re S.Baſilium, & S. Bernardum ſuper illis verbis: *Ecce nos reliquimus omnia.*

Orat.ad diuit.

Atque poſtremò humilitas eſt limen pedis plani: cùm enim homo naturâ ſuâ ſit auidus præeminentiæ & honoris, ſibique blandiens primas vbique ſectetur; Deus contrà edicit: *Vade, recumbe in nouiſſimo loco,* & humilem & pauperem Ieſum potiùs imitare, qui etiam ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Caue te aliquâ prælaturâ vel honore dignum exiſtimes. Nam *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* neque dixit, Qui ſe exiſtimat magnum eſſe, aut maiorem alijs, aut ſaltem ceteris parem, ſed, *aliquid eſſe.* Deinde etiam omnia momenta honoris, vt vocant, ſunt omittenda: imminutio puta honoris, vel illius metus, neminem ad duella, rixas, odia, contentiones, inuidiam tranſuerſum agere debet: verba interdum dura, & irriſiones, & iniuriæ, illi ſunt propter Deum tolerandæ, qui limen hoc ingredi velit. Atque hæc quidem hactenus ex limpidiſſimo fonte Bellarminiano, quamuis fortaſſis minùs luculentè hauſta: quem, obſecro, Lector, Auctorem inſpice: & pro indicio integræ alicuius Concionis gratias forſitan debebis.

Quartò, humilitas.
Lucæ 14.
Matth. 11.
Galat. 6.
Lib. 3. de ætern. felicit. c. 6. & ſeq.

Sunt & alia ſexcenta loca in ſacris Litteris, quæ difficultates & moleſtias, quæ virtutum exercitationibus adnaſcuntur, indicant: nec enim cælum facilè expugnatur. Pauca aliquot ſeligamus. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Benefacite eis qui oderunt vos. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam.* Et dubium non

Matth. 10.
Lucæ 14.
Lucæ 6.
Matth. 5.
Matth. 11.
Matth. 10.

non eſt, quin, dum hæc viriliter exercentur, dum talia quis ſuſtinet, interdum tædia, cordolia, vexationes, mœrores, aliæque difficultates obueniant.

Virtus plurimum conſolationis habet.

ET quamuis hæc ita ſe habeant, certiſſimum tamen eſt, plus ineſſe virtutibus voluptatis & gaudij, quàm habeãt aurum quærentes: quod non relinquitur, licèt terræ innaſcatur: nam & vniones etiam ex caluarijs & conchis ſummo ſtudio eruuntur. Dic age, quis vmquam vel plura, vel grauiora ſuſtinuit rege Hebronæo? Hic tamen tam gaudebat intùs in animo, ac tantæ conſolationi erat illi ſeruitus Dei, vt non aliam expectans mercedem vel redhoſtimentum, diceret: *Confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.* Et ille, qui *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*, de ſe confidenter ait: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Sed & gloriamur in tribulationibus*, quia in illis Deus nobiſcum agit, & illas ſuâ gratiâ dulcorat, vt etiam inter dona & beneficia, poſſe pro illo pati, reputemus. Numquid ab hac internæ conſolationis dulcedine erat quòd S. Tereſia aduerſitates morti poſtponeret, atque hoc quaſi vocali ſymbolo indeſinenter vteretur: *Aut pati, aut mori*? Sentiebat nempe ibi aliquid boni, quod ægriùs ſibi tolli quàm vitam pateretur. Et *Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu concilij*, quemadmodum alij à conſpectu lautæ menſæ, quâ ſe largiter refecerunt, *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*, ſaturati opprobrijs tamquam cibis delicatiſſimis. Non modò, inquit S. Bernardus, patienter & libenter, verùm & ardenter ad tormenta ſicut ad ornamenta, ad pœnas ſicut ad delicias S. Andreas properabat. Quis enim vmquam ſponſus ſponſam ſuam, aut peregrinus patriam, aut parens reducem de regione longinqua filium, maiore vel affectu, vel ardentiore dilectione, vel excellentiori gaudio,

Dominica II. Aduent.
Pſalm. 53.
2. Cor. 11.
2. Cor. 7.
Rom. 5.
Act. 5.
Serm. de trip. gen. bonor.

dio, quàm ille destinatam sibi crucem salutauit: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini mei suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata*, &c. Nempe vt Cato ad milites suos in Africa cum siti, arena, serpentibus luctantes ait:

Apud Lucanum.

——— *Serpens, sitis, ardor, arenæ*
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.

Quocirca Carolus rex Neapolis in insignibus habuit rupem serrâ scissam, in cuius cacumine erat crux, in summa cruce rosa, cum hoc lemmate: *In patientia suauitas.* Id olim promittebatur fidelibus apud Isaiam, *Delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Et Sapiens, *Viam*, inquit, *sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis*, id est, ostendam tibi viam non mundanæ sapientiæ, quæ tantùm honorum & voluptatum satagit; sed sapientiæ diuinæ, quæ omnia hæc despicere docet, quæ nos instanter ad aspera & contemptibilia huius mundi vrget: quæ omnes huius ærumnosæ vitæ molestias & aduersitates mitescere facit spe præmij æterni. Quod verè est esse sapientem. Ducam te per vias non vanitatis, aut Babylonis, quæ plenæ sunt offendiculis & cassibus, quibus animæ capiuntur; sed per vias virtutis, quæ rectæ & planæ sunt. *Quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui*, id est, non lassaberis, veluti in via iniquitatis: testatur enim Aristoteles illos qui norunt grandire gressus suos, non citò ex itinere fatigari. *Et currens non habebis offendiculum*, id est, Deus auferet omnia illa, quæ iter tuum cæleste impedire possent, complanabit aspera, attollet depressa, quemadmodum fit in hastiludijs, & alio certamine equestri, cùm verbi gratiâ, lanceas equo sedentes in suspensum annulum inserunt, vel oculos Hermæ feriunt: tunc, quia de victoria certatur, viæ sternuntur arenâ, & omnia complanantur, necubi equi impingant.

Isaiæ 58.

Prouerb. 4.

In Problem.

Ita & Deus militibus suis facit, qui dum currunt vt cæleste capiant brauîum, ne difficultatibus vel mœrore impediti offendant, sternit illis viam planam, facilemque reddit. Pulcherrimè in hanc rem S. P. AVGVSTINVS: Tu Domine, inquit, es dulcedo inæstimabilis, per quem omnia amara dulcorantur: tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcē fecit. Hæc tua dulcedo ipsos Apostolorum principes ita repleuit, vt pro ipsa crucis patibulum vnus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Ioannes potauit. Hanc verò vt gustauit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamauit quasi ebrius, dicens; *Domine bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula*: hîc moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus; sufficit nobis Domine videre te, sufficit, inquit, tantâ dulcedine recreari. Vnam enim stillā dulcedinis ille gustauit, & omnem aliam fastidiuit dulcedinem. Hanc tum dulcedinem ineffabilem & illa gustauerat virgo, (S. Agatha) de qua legimus quòd lætissima & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas inuitata. hactenus ille.

Soliloq. c. 22

Matth. 17.

Tantâ intus fuit perfusus lætitiâ S. Tiburtius, vt, cùm in prunis candentibus iuberetur incedere nudis pedibus, diceret se super rosas ambulare. S. Bonifacius vngulis excarnificatus iubilabat: *Gratias tibi ago Domine Iesu Christe fili Dei.* S. Barlaam manu thure plenâ igni à carnificibus ante idolum impositâ, vt, si manum ab igne retraheret, thusque in ignem excuteret, videretur idolo thurificasse, manum ardentem immotam in igne continuit, psallens, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Ioannes Episcopus Roffensis damnatus ab Henrico VIII. Angliæ rege schismatico, cùm duceretur, hymnum (quem Ecclesia in rebus lætis & prosperis canere solet,) *Te Deum laudamus*, magna cum exulta-

In vitis apud Sur.

Psalm. 143.

Sander. de Schismate Anglic.

tionē cecinit, instar illius qui, vt Martialis ait,

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator cygnus funeris ipse sui.

In Epist. Iapon. Societ. Iesu. Et hoc ipsũ testimonio suo confirmat illustris Martyr Iaponiæ Michael passus anno 1609. in epist. quam scripsit ex carcere. Nunc, inquit, intelligo, irrisiones, cõtemptus, fastidia, quaslibet denique iniurias pro Dei amore æquo animo toleratas, omnibus regum & Imperatorum sceptris & diadematis esse infinitis partibus anteponenda. Quadriennio fui in carcere ita lætus & alacer, vt vno tantùm die mihi fuisse videar. Prô Deus! quantum illud gaudium fuit necesse est, quod infinities omnem huius mundi lætitiam superabat. Certè vbi abundat delictum tyrannorum, superabundat gratia Christi in auxilium suorum. Quòd si ille dixerit:

Horatius. *Dulce & decorum est pro patria mori,*

numquid & Martyres dicant: Dulce & decorum est omnia perpeti, vincula, carceres, rotas, mortem denique ipsam pro Deo & cælesti gloria?

Hom. 18. ad popul. Quinimò Chrysostomus inductione quadam probat Christianos innocentiâ vitæ insignes, non posse non gaudere doloribus, aut aduersitatibus gloriari: Et in illis sit, inquit, aliquis, nihil in se damnandum habens, sed bonâ fretus conscientiâ, & ad futura anhelans, & expectans illam beatam spem; quid hunc, quæso, poterit in tristitiam inducere? nam primò omnibus rebus intolerabilior mors esse videtur: sed huius expectatio non tantùm ipsum non contristat, sed & delectat: nouit enim quòd mortis præsentia, malorum liberatio sit, & cursus ad coronas. Secundò, sed filiorum acerba mors est. Verùm & hanc generosè fert, dicitque cum patientissimo Prophetarum: *Dominus dedit,* Iob 1. *Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Tertiò, quòd si filiorum mors non potest contristare, multo minùs pecuniarum iacturæ, accusationes & calumniæ, tam magnum

&

& generosum animum tangere possunt. Neque corporis dolores: Quoniam Apostoli flagellabantur, & tamen *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* A Christo in contumelijs gaudere instituti sunt. *Gaudete*, inquit, *& exultate, cùm dixerint omne malum, mentientes aduersum vos, quoniam merces vestra multa est in cælis.* Quartò, sed in morbum incidere durum est. Verùm audiuit alium monentem & dicentem, *Quoniam sicut in igne probatur aurum, sic homines acceptabiles in fornace humiliationis.* Cùm igitur neque mors, neque pecuniarum iactura, neque corporis ægritudo, neque ignominia, neque conuitium, neque quippiam huiuscemodi ipsum contristare possit; sed potiùs magis delectet, quam vmquã tristitiæ materiam habebit? Concludo igitur hunc discursum testimonio sapientissimi mortalium de sapientia increata; ait enim de Christo, quòd coronatus fuerit coronâ mortalitatis à Beatissima Virgine, quæ materiam suffecit non lauri vel oliuæ, sed carnis, quia mors & bellum ipsum manebant, & tamen intimè in corde gauisus est: *Egredimini & videte*, inquit, *regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, quia lætatur, & exultatione gestit*, eò quòd per carnem mortalem illi à matre suggestam, occasionem inuenit patiendi: quod illi sicut decorum extitit, nobis quàm dulcissimum fiet.

Act. 5.
Matth. 5.
Eccli. 27.
Cant. 3.

CA-

CAPVT SEXTVM.

§. 1. *Nihil æquè* AVGVSTINVM *intimè in animo perculit, & ad conuersionem disposuit, ac metus mortis, & futuri iudicij.*

THEMA CONCION.

Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Iob 9.

Dominica 1. Aduent.

AVCTORES fide digni referunt, apud Ægyptios olim morem fuisse, inter epulas solemnes inferre ossa hominis arida, vel caluariam; alij volunt fuisse argenteum sceleton, siue ligneum simulacrum, excitandis conuiuis, atque ad hilaritatem prouocandis. Tamquam si illato cranio epulantibus voluissent dicere: Agitedum, sic facite, manducate, bibite, frontem exporrigite: cras erit fortassis, vt huic caluariæ similes fiatis: nec aliud habituri estis, quàm hîc decerptos flosculos voluptatis. vel, vt Petronius,

In Satyrico.

Eheu nos miseros! quàm totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferat orcus.
Ergo viuamus, dum licet esse benè.

Hac etiam de causa vtebantur quàm plurimæ gentes inter conuiuandum musicâ, gaudij & hilaritatis conciliatrice. Vnde & Ecclesiasticus ait: *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio vini.* Sed nota, quod sequenti versu dicitur: *Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in iucundo & moderato vino*: quia nisi adsit mediocritas, musica non ornat, sed dedecorat, & ad libidinem incendit, maximè moduli lasciuiores. Ideoque cùm Pythagoras in ebrios olim incidisset, iussit ti-

Cap. 32.

bicinem conuiuio luxurioſo præcinentem mutare modulationis genus, ac Doricum ipſis canere (erat autem Doricus ſonus, honeſtus, qui animis moderationem inſpirabat) vt hac ratione illos ad ſobrietatem reduceret. quod & factum eſt, nam coronis capitibus detractis, pudere illos temulentiæ cœpit. Euripides hanc conſuetudinem vniuerſim damnat, dicitque multò rationabilius, vt ſuper menſa de rebus triſtibus, & quæ mentem componant, diſſeratur, cùm vinum & muſtum in hominum ſocietate ſufficiens hilaritatis ſit ſuſcitabulum, vt muſicâ nequaquam opus ſit. Quapropter alij aliter de Ægyptijs ſentiunt, nec ferunt eiuſcemodi inſolentiam ijs hominibus attribui, apud quos tantoperè ſemper, etiam antequam Græciæ illuxiſſet, Philoſophiæ ſtudium floruit. Eſt autem Philoſophia, vt Plato ait, Plato in Phædone. aſſidua mortis meditatio, ſiue quâ mortalis caro extinguitur, ſiue quâ prauæ animi affectiones edomantur. Aſſerunt autem eo ſpectaculo Ægyptios, ad mediocritatem accumbentes adhortari voluiſſe, quæ mortem protelat, cùm contrà plures crapulâ quàm gladio occumbere ſoleant, longæuitatemque vt plurimum tribuit. Aut etiam vt mortis memoriam ingererent, meminiſſentque cõuiuæ poſt hanc etiam vitam aliud quidpiam ſupereſſe; ac proinde ſic viuendum, quomodo in morte hinc demigrare velimus. Vt vt eſt, hoc ferè modo AVGVSTINVM diuina excepit benignitas. Quocumque animi cogitationes inflecteret, vbicumque locorum verſaretur, continenter animo eius obuerſabatur à diuina vltione immiſſa mortis ingrata ſpecies, iudicijque horror diuini mentem lætam exagitabat. Cumque aliarum rerum poſſet inducere obliuionem, hæc vna memoriæ inerat fixa clauo trabali. Quamobrem eâ anxietate & ſolicitudine ſemper vixit, vt hac ſola de cauſa dicat ſe rediiſſe ad gremium Eccleſiæ, (veſtibulum potiùs debebam dicere) atque penes ſe ſtatuiſſe in illa tam diu permanere, (quamuis iam tum adhuc deſperaret, ſe in ea reper-

turum eam quam deperibat veritatem) donec illi aliquid clariùs certiusque apparuisset. Qualis, ô Deus! Ecclesiæ tuæ prærogatiua, vt etiam securiores mortis & imminentis iudicij faciat, qui doctrinam ipsius non planè probant! Sed agedum ô errans & cespitans adolescens, quæ securitas tibi esse possit, si veritas non est? Veritas tua, ô Deus! verbum promissorium tuum indulgentiæ & remissionis peccatorum, & quæ ibi in Sacramentis tuis dispensatur gratia, hæc animo fiduciam præstant. Talia, inquit S. Doctor, voluebam pectore misero, ingrauidato curis mordacissimis de timore mortis: & non inuentâ veritate, stabiliter tamen hærebat in corde meo, in Catholica Ecclesia, fides Christi tui, & Domini & Saluatoris nostri, quam non relinquebat animus, imò indies magis magisque imbibebat. Et quamuis eum tædium viuendi grauissimum apprehenderet, moriendi metus non dimittebat. Et qui id quod vitari non potest, metuit, is viuere animo quieto nullo modo potest? Quot exempla vidimus, & à maioribus audiuimus narrari, quamplurimos extra Ecclesiam Romanam vixisse, hæreticorum licentiosam vitam approbasse; non ausos tamen extra illam mori, & iudicium æquissimi iudicis præstolari: tum verò, cùm lecto decumberent, sacerdotes ad se aduocasse, quos antea expulerant, tum bonum Confessionis deprædicasse. Id Henrico VIII. Angliæ regi accidisse, quis nesciat? Hic in fatali ægritudine præsentiam sacerdotis Catholici desiderabat, nec in spatioso illo regno vel vnus tum reperiri, ô cælestem Nemesim! potuit: & qui tot innocentes occiderat, illorum auxilio indignus perijt. Quin etiam cùm in Ecclesia AVGVSTINVS viuere vellet, sed necdum statuisset carnis valedicere illecebris; expressis verbis testatur, se non alio aliquo æquè reuocatum ad valedicendum voluptatibus, atque saluberrimo hoc timore. Aderat, inquit, iamque dextera tua, erreptura me de cœno, & ablutura, & ignorabam. Nec me reuocabat à profundiore

Lib.7. Conf. cap. 7.

fundiore

fundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri iudicij, qui per varias quidem opiniones, numquam tamen receſſit de pectore meo. Quæ aliquatenus ſequenti Emblemate expreſſa vide.

Metus mortis & futuri iudicij. Lib. 6. Confess. cap. 16.



Horrida Niliacas terrent spectacula mensas,
Et viuos mortis viuere larua docet.
Multa AVGVSTINI *perturbant horrida mentem,*
Sed nil morte magis iudicioq́; Dei.

Addit eodem loco S. Pater, se tum etiam disputasse cum amicis Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorũ, atque Epicurum accepturum fuisse palmam in animo suo, nisi credidisset post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. Vtinam etiam hodie non sint, qui vt omnem de morte & futura damnatorum pœna metum ab animo excludant, infernum tantùm volunt esse commentum eruditorum; & quo liberiùs viuant, illos Lucretij versus sæpiùs vsurpant:

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus, Lucretius.
Funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore: neque vllam
Esse voluptatem liquidam puramq́ relinquit.

De eiusmodi hominum monstris B. Iudas in canonica ait: *Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Verè bis mortui, quos à somno peccatorum, nec ipsa mortis iudicijq́ue instantis recordatio excitare, nec ad fructificandum circumfossa scrobs vegetare potest. Hoc ille à patrefamilias, cùm iussus esset sterilem ficum succidere, petebat: *Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora: & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.* Quid magis obuium in Scriptura, quàm vt per arborem homo intelligatur? fossa quæ circa illam foditur, memoria est mortis, quâ si nec peccator moueatur, & fiat frugi, excidij tempus imminet. Cùm Episcopus Laodicenus valdè perniciosâ sui ipsius ignoratione & perfidiâ laboraret, monuit illum D. Ioannes: *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas,* sumptâ metaphorâ à pharmaco oculorum, quod confectum ex saccaro, aqua rosacea, & tuzia, id est, spuma subnigra argenti, pituitam & noxium humorem impedit: vt peccatum sit instar lippitudinis, memoria mortis & iudicij instar collyrij. q. d. Consideratione futurorum bonorum & malorum expurga mentis oculum terræ infixum,

Vers. 12.
Ephes. 5.
Luc. 13.
Apoc. 3.

fixum, & per eam excæcatum & obtenebratum. ita Primasius. At persuasio hæc AVGVSTINI animum occupare numquam potuit, vt morte crederet omnia finiri. Quin etiam coarctatus & compressus spiritu, frequentissimè ingemiscebat: Vita hæc misera, mors incerta. si subitò obrepat; quomodo hinc exibimus? Vnum reuera ex ijs, quæ mortem valdè horribilem faciunt, est illius aduētus incertitudo, quòd nemini exploratum sit, quo temporis momento ex hoc corporis ergastulo sit euocandus: quo fit vt imparati plerique moriātur, atque longè aliter accidat quàm putauerant, breuisq; incuriæ numquā terminabiles pœnas luant. Pendet mors à vita, à morte æternitas; & si ceciderit
Eccles. 11. lignū ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Ab hoc salutifero metu erat quòd Iustus Lipsius D. V. Mariā, cuius eximius fuerat cultor, ardētissimâ
Aub. Miræus in Elog. Belg. prece in extrema lucta inuocaret: *O mater Dei adsis famulo tuo cum tota æternitate decertanti, nec me deseras in ista hora à qua pendet æterna animæ meæ salus.* Mortē immediatè subsequitur vniuscuiusque particulare iudicium, siue illud in ipso adhuc corpore, siue in cælo peragatur, neque minùs quàm ipsa mors est extimescendum. Peragit enim illud iudex infinitæ maiestatis, quem nec preces, nec minæ mouent, in quem solum, quidquid homines peccant, delinquitur, cuius oculis nuda & aperta sunt occulta cordium, nec latere minimum quiddam potest: nec ab hoc tribunali datur prouocatio; qui coram eo causa ceciderit, non habet quò se referat. Mihi videtur terræ motus quoddam esse iudicij vniuersalis simulachrum, quo nimirum illi calamitati
Isa. 24. *quæ vniuerso orbi superuentura est: quando confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius,* præluditur. Gētiles enim ignorabāt, quò se in horribilibus illis ter-
quæst. natur. Lib. 6. cap. 1. ræ quassationibus conuerterent? Quam enim latebram, inquit Seneca, prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet?

agitet? si hoc, quod nos tuetur & sustinet, supra quod vrbes sitæ sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit ac titubat? quid tibi esse nõ dico auxilij, sed solatij, potest, vbi timor fugam perdidit? Non perdidit tamen, & nos Christiani, (vt hoc breuiter dicam) Deum habemus, quò confugiamus. Ille qui solus immobilis habitat æternitatem, firmare nos potest. Illi solidissimæ petræ, cuius *fundamenta in montibus sanctis*, & cui omnis alia moles siue cælestis, siue terrestris incumbit, nosipsos alligemus per fidẽ, spem, & charitatem velut firmissima vincula: & quamuis omnia alia circa, aut infra nos diffluant, aut cadant, immobiles & imperterriti stabimus, & ætatem, imò æternitatem feremus. Sed *illuc, vnde abij, redeo.* Veluti, inquam, Ethnici inopes consilij & auxilij, in vehementibus illis terræ motibus non habebant cui se applicarent: ita in iudicio tam vniuersali, quò illa quæ diximus præcipuè spectant, quàm particulari, qui condemnati fuerint, non inuenient vllum, aut fugæ aut appellationis, ne quidem dilationis locum. Quapropter terribilis quædam expectatio iudicij scilicet, relinquitur obstinatis, & ignis necessitas quæ consumptura est aduersarios. Atque hic metus valdè perculit AVGVSTINI animum, non ob aliud, quàm vt ignis cælestis flammam citiùs validiusque conciperet, atque annosus ille phœnix ęstu noui feruoris absumptus renasceretur.

Isa. 57. Psal. 86.

Horat. lib 1. serm. satyr. 1.

§. II. *Quantum momenti habeat mortis & iudicij memoria, non solùm ad conuersionem peccatorum, sed etiam ad repellendas carnis tentationes.*

IN *omnibus operibus tuis*, (Græcè est, *in omnibus sermonibus tuis,*) *memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis.* Adde, etiã in cogitationibus tuis, memorare nouissima, atque inprimis mortis (in qua verè cominus res geritur, nec est velitatio, sed vtrimque summâ vi de rerum summa decernitur) necessi-

DOMINICA XV. post Pentecost.

Eccli. 7.

necessitatem & iudicij, quæ omnibus omnino accidunt.
Lucæ 7. Mors nemini omnino parcit: non docto, non nobili, non filio vnico matri suæ, verè immutabilis Atropos, id est, sine ordine, siue non seruato vllo, vel ætatis, vel dignitatis, vel meritorum ordine. Vnde Apostolus omnibus vniuersim edicit: *Statutum est hominibus semel mori.* Theophylactus legit, *destinatum*: destino autem apud nonnullos alligo significat. Apuleius: Acceptum me valido loco ad insulam destinabo. Quia scilicet moriendi necessitas ita hominibus alligata est, vt dissolui nullâ ratione possit. Mors inhumana omnibus, terribilis regibus, rigida subditis, pauperibus formidabilis, diuitibus inexorabilis, potentibus valida, pueris ineuitabilis, senibus infesta, omnibus omninò imminens. Appositè ad propositum nostrum illa corã optimo Regum perorabat: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Ioan. Reuchlinus dicere solebat, si sibi optio in deligendo iudice daretur, electurum potiùs mortem quàm Baldum, Iasonem, vel Bartholum, quòd apud illam nulla sit personarum exceptio. Euidens huius rei exemplum habes in statua visa regi Babylonio, quæ cùm diuersis materijs cõstare videretur, *contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in fauillã æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento.* Quid aurum nisi reges, argentum magnates, æs lętitiâ personantes, ferrum fortes & animosos, testa pauperes & proletarios significat? Omnes pariter in fauillam & puluerem mortualem abierunt, & abeunt. An & hoc ipsum etiam Gentiles indicatum voluerunt, quia

Heb. 9.

2. Reg. 14. Doctrinal. mortis.

Dan. 2.

Omnes metam properamus ad vnam,

Aug. lib. 4 de ciuit. cap. 23.

cùm memoriæ prodiderunt Terminum nulli deorum, nè quidem ipsi Ioui, loco cedere voluisse? Disposuerat Tarquinius Priscus ædem augustissimam illi in Tarpeia rupe ædificare, &, vt Romani impensè erant superstitiosi, cùm fundamenta foderet, consuluit per auguria aliorum deorum simulacra, an non volentes loco cederent: sed ceteris prospera

ſpera nuntiantibus Terminus cedere nolens, ius aræ ſuæ retinuit. Qua de re apud Agellium extat ænigma eiuſcemodi, cuius explanationem, ſi vacat, vide apud Politianum in Miſcellaneis: Noct. Attic. lib. 12. c. 6.

Semel minúſve, an bis minùs ſit, non ſat ſcio:
An vtrumque eorum, vt quondam audiui dicier:
Ioui ipſi regi noluit concedere.

Semel & bis minùs conficiunt Terminus, &c. Verùm ad ſacra redeamus.

Homo Hebräicè *Enos*, quaſi anus, id eſt deſperatæ ſalutis, & certò moriturus dicitur. Quò referre licet ſymbola duorum regũ, quibus Europa hactenus nihil maius vidit. Franciſcus enim primus Gallorum rex, amiſſo prælio Papienſi detinebatur Madriti captiuus. Cumq; in pariete ſcriptum legiſſet Caroli V. Imperatoris ſymbolum, *Plus vltrà*, adſcripſit, *Hodie mihi, cras tibi*: tacitè ſcilicet neceſſitatem moriendi omnibus etiam victoribus innuens. nam quaſi *Plus vltrà* ſignificaret, ad vlteriora, ad alteram vitam eſſe transmigrandum, addidit, *Hodie mihi*, qui in hoc carcere incipio mori, & paulatim plus vltrà tendere, cras tibi, victor Carole, eò eundi par incubitura ſit neceſſitas. Non ſuccenſuit Franciſco Carolus, ſed intellexiſſe ſe teſtatus ſubſcripſit: *Fateor me hominem*. Ita duo magni heroës, pariter mortalitatem lubenter & apertè profeſſi ſunt. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* Id verò, ô homo, *memorare*, ſed maturè, ſed moroſè. Heb. 9.

Memorare mortem, quemadmodum ille perditus & flagitioſus primùm adoleſcens, ſed poſtea magnæ ſanctitatis, qui ex conſilio S. Philippi Nerij, cùm alias grauiores pœnitentias auerſaretur, ſaltem quotidie ſepties recitabat antiphonam, *Salue regina*, & in fine terram deoſculando dicebat, *Cras fortaſſis ero mortuus*. Pauca verba, ſed multæ ſignificationis. Hac nocte fortè repetet Deus à me animam meam, inueniarque minùs habens, & ego infelix quò ibo? Cap. 2. vitæ §. 8. Luc. 12. Dan. 5.

quis poterit, vel audebit tam ſcelerati hominis ſuſcipere patrocinium? Hæc forſitã vltima vitæ meæ ſcena erit, claudetur cortina, & perſonam ponam? cum luce proxima exanime fœdumque cadauer in lecto inueniar. Neque ego primus, cui aliquid huiuſmodi poſſit euenire. Plures benè paſti, benè ſani cubitum conceſſerunt, ſomnuſque breuis in æternam mortem tranſijt. Hoc ſolùm & quidem breue tempus ex omni ęternitate temporum ſupereſt, quo valeam benefacere, & diuinæ opis auxilium implorare: hæc nox ſi ſine pœnitentia mihi tranſigitur, in æternum non potero quidpiam ampliùs benè operari. An non igitur vel ſemel ex corde, pro tot commiſſis flagitiis ingemiſcam? Numquid vel ſemel iudicem meum deprecabor? *Cras ero mortuus.* O breue ſpatium! ô exigua mora!

Memorare cum Saladino, qui aliquamdiu Chriſtianorum terror extitit, & Syriam, Ægyptum, Africamque perdomuit, ſed tandem morti vicinus intellexit omnia humana nihil eſſe: ideoque per exercitum ſolam interiorem tunicam pro omni pompa funebri, in haſta ſublimem ferri iuſſit cum acclamatione: Hoc vnum ex domitore Orientis reſtare. *Memorare*, quemadmodum S. Ioannes cognomento Eleëmoſynarius, Archiepiſcopus Alexandrinus: qui curauit ſibi extrui monumentum, ſed imperfectum relinqui; deinde eos qui operũ erant præfecti, cùm celebrius feſtum incidiſſet, accedere iuſſit, & omni Clero adſtante ſibi inſonare: Venerande Præſul, monumentum tuum hodieque incompletum manet: iube ergo illud perfici, cùm incertum ſit, quâ horâ fur venturus ſit. Aut etiã tibi mortis viuacem memoriam ingere, ad imitationem Maximiliani I. Imperatoris. Nam ille memor fragilitatis humanæ, triennio (alij biennio) ante mortem capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ incluſum, circumferri ſecum iuſſit: cauitque teſtamento vt exanimum corpus ſuum, rudi linteo inuolutum, ſine vlla exenteratione illi imponeretur, naribus, ore, auri-

Leont. in vita eius apud Surium.

Matth. 24.

Lipſ. in Monit. Polit. lib. 2. c. 14.

auribusque viuâ calce oppletis. Quid sibi voluit magnus ille vir, nisi monumentum illud assiduè in oculis habere, quod suggerere ei posset, *Cogita mori?* quasi nimirum diceret: Quid te diffundis & extendis? quid multa possides, plura appetis? quem tot prouinciæ & regna non capiunt, loculus iste capiet. Sed cur interim cauis illis partium calcem immersit, nisi quia hoc spectauit, vt corpus putredini natum ab ea quoque materiâ exedente & consumente citiùs consumeretur, & iret in suam terram? Maximiliane, magnus fuisti: & res tuæ dicunt, præsertim hæc circa mortem à te gesta. Et tanto auo dignus nepos Carolus V. ab eiuscemodi imitatione non abscessit: namque illius iussu in templo Hieronymiano anno 1558. 30. Augusti excitata est tumuli moles, funalibus illuminata, atrati circumsteterunt famuli, mortuale sacrum mœsto monachorum cantu peractũ est. Ipse funeri superstes suo, spectabat in illo imaginario officio veras suorum lacrymas: audiebat exequiale carmen, placidam sibi requiem beatas inter sedes implorantium: eademque ipse sibi suffragia psallentibus immistus exposcebat. Donec sacrificanti propior factus, eique tradens, quam gestabat, accensam facem, sublatis in cælum oculis, *Ego te*, inquit, *vitæ & mortis arbiter, oro quæsoq́, vt, quemadmodum oblatum hunc à me cereum sacerdos capit, sic commendatam in manus tuas hanc animam, tu, quandocumque libuerit tibi, in sinũ complexusq́ tuos suscipias.* Tunc vt erat pullâ fluxâque opertus veste, humi procubuit: renouatisque omnium qui aderant lacrymis, quasi depositus, supremâ lamentatione comploratus est. Atque hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ iam morti præludebat. Et quia hoc nimis magnæ operę fortassis tibi esset, saltem *memorare* cum quodam Religioso, qui quoties ad illicita tentaretur, vt vitiorum incentiua citiùs extingueret, flexis genibus singultiens, & illacrymans dicebat: O mors! (& fœdum aliquod cadauer, scatens vermibus, & diffluens putredine, sibi pręsentissi-

Famian Strada lib. 1. Belli Belg.

mum imaginabatur) quàm ſuauis eſt memoria tua homini tentato eiuſmodi tentationibus, quibus modò vexor vſque ad tædium etiam vitæ meæ! Aut etiam aſſiduè cum D. Hieronymo de iudicio cogita. Ille ſiue ederet, ſiue biberet, ſiue ſtuderet, ſiue aliud aliquid operis ageret, ſiue dormiret; ſemper ſibi videbatur audire illam nouiſſimam tubam horribile inſonantem: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Quod Schonæus his verſiculis illigauit:

Seu vigilo intentus ſtudijs, ſeu dormio; ſemper
Iudicis æterni noſtras tuba perſonat aures.

Vt verò hæc recordatio altiùs in animum penetret, addenda ſemper oratio, & receſſus à ſtrepitu, & commercio multitudinis, quò viuaciùs hæc animus percipiat. Atque hîc memorare mortem & iudicium: & tunc, quiſquis es, etiam inueteratus peccator, intelliges verum eſſe quod in titulo huius diſcurſus diximus, plurimum ad peccatorum conuerſionem momẽti habere duo illa nouiſſima. Gulielmus Baldeſanus ſcribit de quodam adoleſcente Italo nobili, qui omni flagitiorum genere coopertus, ita obriguerat in malo, vt, cùm à ſacerdote, viro valdè probo & zeloſo, ſæpiùs moneretur, ſi vitam illam nollet deſerere, ſaltem aliquid boni quotidie faceret, exempli causâ, ſemel in ſeptimana ad honorem D. Virginis ieiunaret, vel eleemoſynam daret, vel partem aliquam recitaret roſarij; ipſe verò ſemper reſponderet ſe vel nolle facere, ſi leuia eſſent; vel non poſſe, ſi quidpiam exigeretur durius: Hoc vnum ſaltem à te, inquiebat optimus monitor, impetrauero, vt facias quod Domitianus aliquando fecit ioci causâ. Scribit enim de illo Xiphilinus, quòd primoribus ſenatoribus, & equeſtris ordinis conuiuium fecerit in hunc modum. Apparauit ædes ex omni parte nigerrimas, erant atra laquearia, parietes ac pauimentum, in eoque ſedes nudæ eodem modo collocatæ erant: quibus paratis, eos de nocte introduci iubet abſque comitibus; ac primùm omnium iuxta vnumquemque columnam

Lib. 1. Stim. virt. cap. 19.

Xiphilinus.

lumnam ſtatuit factam inſtar ſepulchri, in qua nomen eius ſcriptum erat; pendebatque de ea lychnus paruus, vt aſſolet in monumentis: tum nudi pueri, atramentoque obliti, tamquam ſpectra quædam, ingrediuntur, eoſque horribili ſaltatione circumeunt, eoque facto ante ipſorũ pedes conſiſtunt: ad extremũ omnia quæ in exequijs mortuorum adhiberi ſolent, in vaſis, eâdem ratione appoſita fuerunt. Cœna interim peragebatur magno omnium ſilentio, vt qui timore penè exanimati eſſent, Domitiano interim ſermonem de ijs quæ ad mortes & funera pertinent, ſuper mensã ingerente. Hoc, inquam, mi adoleſcens, age, & ſimilem tragœdiam, ſed ſolus exhibe, Deo & Angelis ſpectatoribus. ſtatue in medio cubiculi tui feretrum, muros nigro panno tege, diem exclude, & tenuis candelæ flaccidum lumen, ad tantum nigrorem quaſi palpandum, infer: tum verò lectum ſcande, atque tamquam ſi capulus ille te expectaret vitâ perfunctum, ſupino iace corpore, manibus complicatis, & Crucifixi imaginem amplexantibus. Dein cogita rem illam aliquando ſeriò peractum iri. Neque hoc tantùm, ſed in extrema illa vitæ periodo, dæmones horribili ſpecie adfuturos, qui ad deſperationem moribundum inducant. Alia non addo, ſed ſcio ita iacenti vltrò occurrent. Pollicitus eſt adoleſcens, ſiue nouitate rei & curioſitate delectatus, ſiue meliora animo conſilia voluens, ſacerdoti ſe facturum, atque etiam fecit. Sed vixdum per quadrantis horæ ſpatium ita iacuerat, quin ſtatim ad optimi iſtius conſilij datorem aduolaret, atque ſeriò de confeſſione generali facienda loqueretur, & vitæ melioris ſtudio cogitaret. Nempe, vt Hieronymus ait, qui ſe recordatur quotidie moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat. Vnde quis, inquit Clemens Papa, peccare poterit, ſi ſemper ante oculos Dei iudicium poſuerit, quod in fine mundi certo certiùs peragetur? Ideoque cum Dauide homo ſalutis ſuæ auidus orat: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs* Epiſt. ad Iacob. Pſalm. 118.

enim tuis timui. q. d. Confige carnalia membra, & appetitiones meas, ne ad illicita diffluam, quemadmodum illi nec manus, nec pedes mouere possunt, qui confixi clauis pendent. *A iudicijs enim tuis timui*, id est, à iusta tua vindicta, quam iuxta legis tuæ minas in impios exercuisti, & in omnes in die iudicij exercebis. Sunt enim iudicia tua horribilia, da vt profundiùs in animum, quàm claui in corpus penetrent. Quamuis enim peccatores sint obstinatissimi, & in iniquitatibus suis voluten-tur, sicut in cinnamomo, dicantque, *Quis est Omnipotens vt seruiamus ei? Qui tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi: qui dicunt Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, &c. iamque in diem perditionis seruentur, & ad diem furoris ducantur: tamen si mortis memoriam ingerere quispiam possit, licèt alioquin talium conuersio opus sit difficillimum, adhuc spes salutis eorum superest. *Ipse*, talis peccator, *ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum euigilabit.* Causam cur peccatores non tantùm peccent, sed & peccatorum cœno implicati hæreant, assignat Dauid: *Non est respectus mortis eorum*, id est, non respiciunt, nec oculos aduertunt, vt futuram mortem attentè intueantur. Vide S.P. AVGVSTINVM serm. 101. de Tempore de serpente æneo Num. 21. quem qui intuebantur morsi ab ignitis serpentibus, sanabantur, id est, qui finem & mortem peccati, vt ita dicam, intuentur, liberantur à veneno peccati.

Iob 21.

Psalm. 72.

Mortis memoria præseruat à tentationibus.

DOMINICA XXIII. post Pentecost.

In vita S. Antonij.

QVòd autem mortis memoria non tantùm à peccando reuocet, sed præseruet, tentationes elidat, testatur S. Athanasius: Posteaquam diabolus, inquit, orationibus Antonij ad Deum per passionis fidem se intellexisset eludi, consueta aduersus omnes adolescentes arma arripiens nocturnis eum inquietabat illecebris. Nam & ille cogita-tiones

tiones sordidas conabatur ingerere, & hic eas oratu submouebat assiduo: ille titillabat sensus naturali carnis ardore; hic fide, vigilijs & ieiunijs corpus omne vallabat: ille per noctem in pulchræ mulieris vertebatur ornatum; hic vltrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. Et assignant quidem Physici causas aliquas naturales quæ libidinis æstum mitigant, vt sunt lactucæ semina in vino hausta, salicis folia contrita & pota, vrticæ folia substrata cubili, lilia alba thoro imposita: & vt Aristoteles in Problematis ait, laminæ plumbeæ lumbis superpositæ, atque ante omnia frigus pedum; sed nihil conuenientius asserit animosus ille Lutheri antagonista Ioannes Eckius, quàm mortis meditationem, quâ nihil efficacius contra faces Cupidineas inueniri aut excogitari potest. Quemadmodum enim, inquit ille, sanguisugæ carni adhærentes, admoto cinere, auelli dicuntur: ita veræ illæ sanguinis & animæ-sugæ, voluptates, titillationes venereæ, eneruantur admotâ mortis memoriâ. *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Nec enim fucata illa & externa sola mulierum species contemplanda, sed quale roseum illud corpusculum post animæ emigrationem futurum sit; etiamsi Lais aut Helena fuerit, à corrosione vermium haud immunis est. Putredo instar parentis illam gremio excipit, & in materiam vix nihilo prętantiorem resoluit. Et quid hinc nascitur, nisi fœtor & horror? Ex spina dorsi gigni serpentem aiunt, & nescio quę non monstra. Hac sanè consideratione, cuius erat gratiosissimus amplexus & oscula, horribilis, vt ait Bernardus, erit aspectus, dicentque cum stupore, quod quidem serui potentis & celeberrimæ reginæ Iesabel, visis eius à canibus corrosis ossibus: *Hæccine est illa Iesabel?* hęccine est illa potentissima & longè lateque dominans regina? hæccine venusta illa, quæ formâ suâ tot principum cor abstulit, & oculos capti-

Plinius lib. 20. cap. 7. & lib. 24. c. 2

Sect. 4. problem. 5.

Ioannes Eckius.

Serm. 4. in 4. Reg. 9.

captiuauit? vbi modò illæ oris blanditiæ, labiorum corallinus rubor, oculorum illecebræ, colli candor, genarum purpura, frontis decor? Eheu! in canum ventre hæc omnia tumulata iacent: illi carnes depasti, illi sanguinem linxerunt. Non est ampliùs qui ad eius palleat aspectum, non est qui illam cognoscat, non est qui laudet. Hæc vel his similia qui de amata sua cogitauerit, mortuamque consideret, facilè violentos illos libidinis ignes edomabit. Ideoque Elias Abbas apud Sophronium de se narrat, quòd à Religiosa femina visitatus, post eius abitum, grauem senserit libidinis tentationem, à qua victus exiuerit ad eam explendam cum illa. Cùm verò, inquit, fermè vno stadio ab eius adhuc spelæo distarē, vrente grauiter æstu libidinis, repentè factus in ecstasi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ absorptum. Aspicioque illic cadauera putrida, iacentia, resoluta, & incredibili fœtore plena, quemdamque reuerendi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri, fruere iam vt vis, & quantum libet, concupiscentiâ tuâ: huius tamen voluptatis gratiâ, vide quot labores amittere voluisti; vide propter quod peccatum vosipsos priuare vultis regno cælorum. Væ humanæ miseriæ! propter vnius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens ille vir venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me, & gratias agens Deo, reuersus sum in locum meum. Nihil enim, vt ait Gregorius, sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet, quàm vt vnusquisque, hoc quod viuum diligit, quale sit mortuum, penset. Agmen eiuscemodi historiarum claudat heroicum factum cuiusdam Eremitę in Vitis Patrum. Ille tentatus spiritu fornicationis, quamdam feminam, vbi eam mortuam audiuit, adijt, & aperuit sepulchrum eius, atque pallio suo detersit saniem putrefacti cadaue-

[Margin: Sophronius in Prato spirit.]

[Margin: Lib. 26. Moral. cap. 29.]

[Margin: Vitæ Patrũ.]

daue-

daueris: mox rediens in eremum, ingruente fœdâ ſuggeſtione, fœtorem illius infecti pallij intuitus eſt, dicens: *Ecce habes quod quærebas, ſatia te ex ea.* Et ita memoriâ mortuæ, fœdoque panno cruciabat ſe, donec libido victa recederet. Optarem ego valdè quidem conſuetudinem illam apud Chriſtianos vſurpari, quam Ortelius in Theatro orbis in fine peregrinationis ſuæ ſcribit, ſe inueniſſe apud quamdam gentem, vt pro moneta oſſibus mortuorum vterentur; quàm enim talis pecuniæ aſpectu & vſu mortis memoria refricaretur, cùm in illis oſſibus futuræ eſſent opes & diuitiæ, &, vt in Euangelio dicitur, ibi ſit cor hominis, vbi theſaurus illius eſt: & ita firmum, vnà contra tentationes erigeretur munimentum. Finio cum Hieronymo, vbi ait: Hæc tu tecum diligenter reuoluens, & breuitatem huius vitæ æternitatis contemplatione deſpiciens, ad illum diem tantùm te præpara, in quo mundi gloria ſubitò finienda eſt: hæc ſit cura, hoc ſemper ſtudium, hæc iugiter in corde voluantur, in his totius diei verſetur labor, in his nocturnus ſomnus reponatur, in hoc anima rurſus euigilet.

Ortelius.

Lucæ 12.

Epiſt. ad Demetriad.

CAPVT SEPTIMVM.

§. 1. *AVGVSTINVS aliud agens, ſingulari Dei beneficio, ex prædicatione S. Ambroſij falſitatem ſectæ Manichæorum agnouit, illamque deſeruit.*

THEMA CONCION.

Radix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit? Eccli. 1.

Matth. 4. CVm diuinus animarum piſcator, qui & diſcipulos ſuos fecit piſcatores hominum, tandem ſtatuiſſet immanem illum piſcem propter voracitatem ingenij, & auiditatē ſciendi, grandem illum delphinum propter faſtum & ſuperbiam, AVGVSTINVM inquam, in retia ſua pellicere, (tu enim clementiſſime Deus, quoties id ſaluti noſtræ expediens erit, *facies homines*
Habac 1. *quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem.*) & ſagenâ ſalutis, quæ eſt Eccleſia, concludere; ſuauiſſimam eloquentiæ Ambroſianæ eſcam illi obiecit: cui dum auidus vorator inhiat, neſciens, à Manichæorum viuario, quin potiùs mortuario, abducitur, fœtidaſque illas & putreſcentes lacunas hæreſeωn eueſtigiò damnat, & incipit ei viuacitas fontis vitæ æternæ (quæ in ſola Eccleſia Catholica conſeruatur) ſapere & arridere. ad eum modum quo nutricibus alumnos ſuos, atque non ſine bono ipſorum, fallere ſatis ſolemne eſt, cùm nimirum delicijs puerilibus diſſimulatos amari medicaminis ſuccos propinant, & vt quidam ait:

Lucret. *—— Priùs oras pocula circum*
Contingunt dulci mellis flauoq́; liquore.

Vt

Vt ſanitas, quam hoc pacto ſibi reddi non percipiunt, vel etiam reluctãtibus procuretur. Sic Damochames celebris medicus Conſidiæ mulieri nobili, quæ omnem aſperiorem medicinam exhorrebat, lac caprarum callidè propinabat: ſed quas priùs lentiſco pauerat. Lactabatur AVRELIVS vbere ſuadæ Ambroſianæ, ſed cuius pectus Deus non lentiſco, ſed fructibus arboris ſalutis antè infarſerat, de quibus Sponſa: *Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*; myſterijs, inquam, ſolidæ & inconcuſſæ veritatis, faſciculo myrrhæ, acinis vineæ Engaddi, botro cypri, quorum ſuccum ſapidiſſimum ſimul & ſaluberrimum neſcius hauriret. Neſcius, quia anguſta mens ipſius, tenebris oppleta, & ſordibus inquinata, Chriſtianæ lucis ſplendorem excipere non poterat, nec videre præſtantiam illius quod porrigebatur. Quo enim animo venerit ad audiendum conciones S. Ambroſij, atque fores amicitiæ ipſius pulſauerit, ex ipſo audiamus: Et Ambroſium, inquit, amare cœpi, primò quidem non tamquam doctorem veri, quod in Eccleſia tua prorſus deſperabam, ſed tamquam hominem benignum in me. Et quare ô infelix deſperabas? Nempe diſciplina Chriſti, vt Apoſtolus ait, ſuperbis & tumidis hominibus, qualis tu adhuc eras, inſcitiæ & abiectionis ſpecimen præbet: ſed moderatis, & diuino beneficio confirmatis oſtendit ſapientiæ cæleſtis atque diuinæ virtutis amplitudinem. Et ſtudioſè, pergit ille, audiebam diſputantem in populo, non intentione quâ debui, ſed quaſi explorans eius facundiam, vtrùm conueniret famæ ſuæ: an maior minorúe proflueret, quàm prædicabatur. Et verbis eius ſuſpendebar intentus, rerum autem incurioſus & contemptor; adſtabã, & delectabar ſuauitate ſermonis, quamquam eruditioris, minùs hilareſcentis atque mulcentis, quàm Fauſti erat, quod attinet ad dicendi modum. Ceterùm rerum ipſarum nulla comparatio. Nam ille per Manichæas fallacias aberrabat, iſte autem ſaluberrimè docebat

Lipſius lib. 2. de Conſtant.

Cant 2.

Cant. 1.

Lib. 5. Conf. cap. 13.

1. Cor. 1.

Psal. 118. salutem. Sed *longè est à peccatoribus salus*, qualis ego tunc aderam: & tamen propinquabam sensim, & nesciebam. Nempe vt illius adolescentis, Polemonis nomine, apud Valer. Max. lib. 6. cap. 9. Valerium Maximum, peregrinabatur AVGVSTINI animus in nequitia, non habitabat. Qui cùm Athenis manè ebrius ex hesterna crapula scholam Xenocratis intrasset, clarissimum eloquium, & prudentissima præcepta temulentiæ lasciuijs elusurus: Xenocrates verò vultum in eodem habitu continens, omissis de quibus disserebat, de modestia & temperantia loqui cœpisset; tantâ sermonis grauitate resipiscere coactus Polemo, primùm coronam capite detractam proiecit, paulò pòst brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit, ad vltimum totam luxuriam exuit, vniusque orationis saluberrimâ medicinâ sanatus, ex infami gnathone maximus philosophus euasit.

Lib. 5. Conf. cap. 13. Neque hoc tantùm miris & occultis modis diuina egit prouidentia, sed etiam per eos ipsos id nescientes, à quibus olim AVGVSTINVS seductus fuerat, ad salutis orbitam reducebat. Etenim postquam missus est Mediolano Romam ad Præfectum vrbis Symmachum, vt illi ciuitati Rhetoricæ magister prouideretur, impertitâ etiam electione publica: id muneris per eosdem, Manichæis vanitatibus ebrios, ambiuit AVGVSTINVS obtinuitque; quibus vt careret, Matth. 2. Mediolanum ibat, sed vtrisque nescientibus. Ita cùm Herodes recèns natum Regem Iudæorum quà fraudulentiâ, quà violentiâ extinctum cupiebat: atque Deus Pater natiuitatem filij sui vellet toti orbi quàm notissimam, crudelissimi regis pessimo consilio in hunc finem vsus est. Ille siquidem tot innocentium immanissimā stragem, quò Messiam interimeret, edidit; Deus verò huius sceleris famæ, nuntium nati Saluatoris annexuit, quò breuius ad orbis caput Serm. 2 de Epiphania. Romam, aliasque prouincias peruaderet. Et, vt S. Leo ait, Herodes huic dispensationi nesciens deseruiebat. Mirum etiam

etiam quomodo Christus ad euidentiorem resurrectionis suæ probationem, vsus sit incredulitate discipuli. Egit namque, inquit D. Gregorius, miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Quid verò à credere tergiuersantis animo remotius erat, quàm vt hoc attactu suo efficeret, fidemque per infidelitatem adipisceretur? Et tamen ita factus est discipulus dubitans & palpans, testis veræ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ virginitatis. Hom. 21. in Euang. Ioan. 20.

Deinde & sequenti capite S. Doctor de se ait, Cùm enim non satagerem discere, quæ dicebat, sed tantùm quemadmodum dicebat, audire (ea mihi quippe iam desperanti ad te viam patêre homini inanis cura remanserat) *veniebant in animum meum simul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam.* Neque enim dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad accipiendum quàm disertè diceret, pariter intrabat, & quàm verè diceret. Ælianus refert Cretensi senatus consulto statutum fuisse, vt pueri seueras patriæ leges, cum suaui quadam cantus modulatione ediscerent: quò & animi eorum musici concentus oblectamento ad discendum inuitarentur; & quæ didicissent, ea faciliùs memoriâ tenerent: tum etiam ne, si quid eorum quæ vetita essent, commisissent, ignorantiæ haberent excusationem. Sed accipe quod huic rei deseruit, Emblema. Lib. 5. Conf. cap. 14. Lib. 2. Hist. variar.

Veniebant in animum meum simul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam. Lib.5. Confess. c.14.



Cauta salutari nutricula vescitur herbâ,
Nescius hinc medicam pusio sugit opem.
Ambrosiæ pendens AVRELIVS *vbere suadæ*
Verba petit tantùm, res tamen inde bibit.

Itaque paulatim eò perductus eſt, vt à partibus Manichæorum recedere firmiter animum induceret, & nomen albo catechumenorum dare. Ipſemet inquit, Academicorum more, ſicut exiſtimantur, dubitans de omnibus, atque inter omnia fluctuans, Manichæos quidem relinquendos eſſe decreui; non arbitrans eo ipſo tempore dubitationis meæ, in illa ſecta mihi permanendum eſſe, cui iam nonnullos philoſophos præponebam: quibus tamen philoſophis, quòd ſine nomine ſalutari Chriſti eſſent, curationem languoris animæ committere omnino recuſabam. Statui ergo tam diu eſſe catechumenus in Catholica Eccleſia, mihi à parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quò curſum dirigerem. Et alibi, Figam, inquit, pedes in eo gradu, in quo à parentibus poſitus eram, donec inueniatur perſpicua veritas. Quod vtinam dubitantij in fide imitentur, neque ita facilè declinent, non ad Academicos, ſed ad politicos & atheos, qui vel ideò ſe fidei ſecuros putant, quia fidem nullam habent; & intolerabili iactant inſaniâ, vnumquemque in ſua fide poſſe ſaluari: quo quid poteſt dari vel abſurdius, vel magis impium? AVGVSTINVS verò, quod initium eſt veritatis, falſitatem ſectæ quam tuebatur, edoctus, feruentiſſimè Deum pro reuelatione veræ fidei deprecatus eſt, & cum Nicodemo in Euangelio, & Eunucho in Actibus Apoſtolorũ, veritatem edoceri ſummè exoptabat. Quod & de ſe alibi teſtatur: Diſſuebam, inquit, me magis magisque ab iſtis, quos iam deſerere propoſueram. Reſtabat autem aliud nihil in tantis periculis, quàm vt diuinam prouidentiam lachrymoſis & miſerabilibus vocibus, vt opem mihi ferret, deprecarer. quòd & impensè fecit. Moxque liquidò intellexit veteris Teſtamenti Scripturas, non, vt Manichæi valdè volebant, litteraliter, ſed ſpiritualiter intelligendas eſſe, nec in ijs quidpiam falſi cõtineri, neque Deum vllis corporeis dimenſionibus, vel ſenſibili qualitate, aut patheticâ affectione obnoxium, licèt

Lib. 5. c. 14.

Lib. 6. Conf. cap. 11.

Ioann. 3.
Act. 8.

Lib. de vtil. creden. c. 8.

&

& caput, brachia, pedes habere, & irasci, dedignari, dolere, &c. in illis sæpiùs dicatur. Rursus ex eo quòd Ecclesia Catholica doceret Deum omnino esse incorporeum, atque hoc ita se habere certò iam intelligeret, prudentissimè ex vnius articuli fortuitò oblati veritate, aliorum quæ in Ecclesia traduntur, excellentiam non malè colligebat. Nec erat cur alia Ecclesiæ dogmata alicuius falsitatis insimularentur si longiùs pergeret, in qua veritatem primo occursu inuenerat. Postremò, cùm & immortalitatem animorum, & Ecclesiæ auctoritatem secum pensiculatiùs peruolueret, ferè iam erat vt fidem nostram amplexaretur; nisi vetus libidinandi consuetudo, quæ in Ecclesia præcidenda erat, vxorumque compedes, quas subire nolebat, visæ fuissent philosophiæ studiũ impeditura, nisi hæc, inquam, consuetudo miserum illum detinuisset irretitum. Vnde sic argumentabatur, Non vacat, non est inane, quòd tam eminens culmen auctoritatis Christianæ fidei toto orbe diffunditur. Numquam tanta & talia pro nobis diuinitus agerentur, si morte corporis etiam vita animę consumeretur. Quid cunctamur igitur relictâ spe sæculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam? Iamque pleno passu ad Catholicorum castra transibat, sed, vt dixi, quia ibi in continentia viuendũ erat, quam sibi sentiebat obseruatu impossibilem: deinde ignoraret illam à Deo feruentibus precibus peti debere, atque illius gratiâ, non nostris viribus obtineri; altero anno conuersionem suam distulit. Iam enim auulsâ à latere eius priore concubinâ, aliam superinduxerat, vide librum sextũ Confessio. c. 15. Amans beatam vitam, inquit, timebã illam in sede sua, & ab ea fugiens, quærebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si feminæ priuarer amplexibus: & medicinam misericordiæ tuæ, ad eamdem infirmitatem sanandam, non cogitabam, quia expertus non eram. Et propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi

Vide lib. 6. Confess. c. 13. & 14.

Lib. 6. c. 11.

Ibidem.

hi non eram conſcius: cùm tamen ſtultus eſſem, vt neſcirē, ſicut ſcriptum eſt: *Neminem eſſe poſſe continentem, niſi tu dederis.* vtique dares, ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & ſi de ſolidâ in te iactarem curam meam. Sap. 8.

Quanta & quàm multiplex ſapientiæ diuinæ aſtutia.

AT conſiderationi ſuauiſſimæ prouidentiæ diuinæ liceat aliquantiſper immorari: haud enim ſcio an quidpiam poſſit fieri beneficentius, quàm de inſcijs & inuitis optimè mereri. Certè ſanctiſſimum fallendi genus eſt, per impoſturam dare beneficium. AVGVSTINVS venuſtos ſuauiloquentiæ flores, quibus aures demulcerentur, quærebat; Deus illi ſaluberrimos veritatis fructus ſub eloquentia abſconditos, quibus animum paſceret, obtulit: ille vmbram; Deus rem: ille lapidem imprudens poſtulabat; Deus panem dedit. Niſi comparatio foret duriuſcula, dicerem draconi Babylonico obiectam à Daniele maſſam circumlitam adipe: quâ auidè deuoratâ, crepuit ille turgidus ventoſâ philoſophiâ animus, atq; ad modeſtiam Chriſtianam ſubſidit. Verè tum accidit, quod Deus ſe facturum aliquando per Oſeam prædixerat: *Propter hoc*, vt ſcilicet, animam ab alijs amoribus abducam, *ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Lactabo*, vox eſt deducta ab antiquo verbo, *lacio*, quod eſt decipio; verbum amatorium, quo ſignificatur Deus animas piâ fallaciâ circumuenire, atque ad ſe pellicere. Et verò *radix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit?* Mulier quædam Samaritana extremâ aquæ ſiue gratiæ cæleſtis penuriâ laborabat, & ſiti ſpirituali ferè enecabatur, exuſta fœdo libidinis igne. Salutis noſtræ Aſſertor fatigatus ab itinere, ſibique ſiti naturali, labore & calore, accerſitâ, colloquium à potu exorſus eſt: *Mulier da mihi bibere*: productoque vltrò citroque ſermone de aqua, tandem eò perduxit mulierem vt ſitire ſe agnoſceret, atque indeficientem aquam peteret, quâ

DOMINICA II. Quadrageſimæ.

Dan. 14.

Oſeæ 2.

Eccli. 1.

Ioan. 4.

ſitis æternùm extingueretur: hocque pacto paulatim fidem amplexa eſt, & Meſſiam agnouit. Idem, cùm Gentes attrahendæ forent ad lumen fidei, quia inſtar ferarũ viuebant, aliæ enim ſine legitimis nuptijs volutabantur in cœno libidinis, aliæ odijs armisque inter ſe decertabant, aliæ feris ipſis immaniores immolabant *filios & filias ſuas dæmonibus*; ad ipſas Apoſtolos ſuo ſacratiſſimo corpore quaſi ſaginatos amandauit, eo fine vt feritatem illam deponerent, & Chriſtianam patientiam, modeſtiam, manſuetudinem induerent. *Ecce ego*, inquit, *mitto vos ſicut oues in medio luporum*, vt illi vos deuorent & abſumant. quod dũ crudeliter faciunt, paulatim incipit in animis illorum operari virtus corporis & ſanguinis mei, atque ad fidem adducere. Et (vt perſiſtamus in metaphora) dum illi carnem Apoſtolicam tam benè paſtam, corpore ſcilicet Chriſti, edunt, in ſuam ſubſtantiam nobiliſſimum alimentum mutant, fiuntque Apoſtolis quos abſumpſerunt, quin & ipſi Chriſto, manſuetudine, aliisque virtutibus ſimiles.

Pſal. 105.

Matth. 10.

Ne quoque ſuperbis philoſophis, Verbi diuini incarnatio nimiæ profectò dignationis, tantoque minùs idcircò humano captui appareret credibilis; quid actum eſt? Audi aſtutiam Sapientiæ increatæ. Quoniam magna quædam danda erat hominibus gratia, volens non ex gratia, ſed veluti debito illud facere, perſuaſit primùm homini, ſcilicet Abrahamo, vt filium ſuum traderet iuxta præceptum Dei: quò ſic Deus ipſe nihil magnum videretur facere, filium ſuum tradendo, ſiquidem homo antè hoc feciſſet, adeoque non ex gratia idem facere, ſed velut ex debito vel potiùs congruo compenſare.

Chryſoſt. hom. in cap. 11 epiſt. ad Hebræos.

Gen. 21.

Diabolus hominem inſtanter ad peccandum prauis ſuggeſtionibus vrget, homo aliquando liberè conſentit, libidinemque ſuam mandato diuino præfert. Sed ecce tibi aſtutiam Dei ex hoc ipſo malo ingens elicit bonum, meliusque iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe per-

Auguſtinus Enchir. c. 27.

mit-

mittere. Neque enim Deus, cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi vſque adeò eſſet omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Vnde idem S. Doctor alibi ait: Audeo dicere, ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum peccatum, vnde ſibi diſpliceant, quòd ſibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit quando fleuit, quàm ſibi placuit quando præſumpſit. Hoc dicit Pſalmus: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum.* Vis huius rei appoſitam ſimilitudinem? Enaſcuntur in venis ceruorum vermes, vt Mizaldus ait, à quibus valdè torquētur: cui malo fit medicina ſerpens, quem cerui viuum deglutiunt; ſed ab illo ipſo enecarentur niſi frigidam illicò biberent. Vermes ceruorum, id eſt, hominum iuſtorum, ſunt præſumptiones quædam, iactantiæ & inanes gloriæ, quæ non niſi per aliquem inſignem colubrum, id eſt, grande peccatum, vincuntur, dum validè humiliati ad cognitionem ſuæ fragilitatis & miſeriæ oculos coniiciunt. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* An, non ideò Dauid pœnitens clamabat, deuorato priùs colubro peccati, *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus?* Deus enim ſolus huic languori mederi poteſt, ille ſolus æſtuanti animæ refrigerium præſtat; ille *fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Et quis veret iterùm dicere, *Radix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit? Radix*, quæ etiam ſibi affuſas peccatorum ſordes in optimum ſuccum, & virtutis alimoniam conuertit.

(Lib. 14. de ciuit. c. 13.) (Pſal. 82.) (Cent. 1. n. 7.) (Eccli. 21.) (Pſal. 41.) (Zachar. 13.)

Quinam præcipuè hanc aſtutiam imitari debeant.

SVauem hanc & optabilem aſtutiam, maximè Superiores Eccleſiaſtici, & quibus animas lucrari propoſitum eſt, imitari debent, vt dyſcolos & indiſciplinatos piâ aliquâ fraude à vitijs abducant, virtutiſque guſtū inſtillent. Illuſtre huius rei ſpecimen B. Thomas Villanouanus noſter præbuit. Erat Sacerdos quidam, at ſacer & deteſtabilis ho-

(Baxius in vita eius cap. 19.)

mo, qui præter characterem nihil Sacerdotis habebat. Hunc vt ex faucibus orci liberaret, piâ & blandâ fraude sanctissimus Pontifex, duxit ad oratorium suum, vbi post acrem, vt merebatur, reprehensionem, à verbis ad verbera, non reo, sed sibi infligenda fuit progressus. Mihi sanè, inquiebat, imputabitur tua ista præfracta, & nimis obstinata malitia, in me transferetur hæc culpa, reus arguar nimiæ lenitatis, qui tam tepidè, tamque remissè tecum egerim tot sceleribus contaminato: proinde rationi consonum est, me castigari, & pœnis affici indulgentiâ tali dignis. Hoc dicto, in genua procidit coram Crucifixi imagine, quæ ibi stabat: & vt rem accuratiùs describam, laxans duos cataclysmos lacrymarum, se vestibus spoliat, & tantâ violentiâ, tantoque impetu semetipsum flagellis dilacerare cœpit, vt indumentum copioso sanguine respergeretur. Quo specimine tam eximiæ charitatis vehementer erubuit ille cacopresbyter, & magno suorum scelerum dolore concepto, vnà cum Episcopo suo abundè fleuit: ac statim humi ad modum supplicis deuólutus, obtestatus est B. Thomam per amorem Dei, vt à verberibus sibi temperaret. Ego, inquit, sum qui peccaui, ego flagella merui, & tu innocens vapulas. Sed iam coram Deo, omnia etiam cordis secreta intuente, eiusque benedicti Filij imagine, spondeo iuroque me deinceps dignè meâ sorte victurum. Non in ore nata verba fuerunt, sed in pectore: quod promisit, effecit. Ad hunc quoque modum in Belgio prudentes aliquæ matresfamilias aliquando dant famulo domus negotium, si filiolus quidpiam peccauerit, vt ob hanc noxam canem verberibus cædat loco pueri, atque eiulanti peccatum exprobret. Quo quidem ingenui pueruli ita terrentur, atque si ipsi verbera sentirent: imò sæpè dũ hoc agitur flent, supplicesque parentibus fiunt. Pressiùs quoque intuenti mihi, inquit non Batauæ auris Batauus, Non vsquequaque assentandi palpandique vitio receptum videri solet, vt antiquitus re-

Orat. de virt. amplect.

ges

ges & Imperatores panegyricis solemniter (& quidem in os) laudarentur: quin potiùs sic existimo viros cordatos, rerumque naturæ atque humani ingenij egregiè prudentes, cùm spes non esset, leoninam illam regij pectoris generositatem, & aurium delicias, vel monentis auctoritatem, vel increpantis seueritatem aliquando passuras; publicæ vtilitatis respectu vela vertisse, ac viâ quidẽ occultiore, eôdem tamen contendisse. Itaque sub laudationis specie simulachrum quoddam absoluti principis eis velut in tabula depictum repræsentasse, vt ipsi sese ad propositum exemplar exigentes, taciti secum agnoscerent, quantum ab laudati principis imagine abessent, ac citra tum pudorẽ, tum offensam discerent, quid vitij euitandum, quas virtutes præstare oporteret. Eodemque titulo non idem ageretur, videlicet, vt boni principes quæ facerent recognoscerent, mali quæ facere deberent, admonerentur Nihil igitur erat aliud ista laudatio, quàm delicatum monendi, blandumque exprobrandi genus, ac planè pharmacum, necessarium quidem illud, sed amarum, eoque melle prælitum.

Adde etiam, si libet, punctum politicum, quòd & Principi interdum sagaciter vel subtiliter rei veritas inquirenda sit. Cuius memorabile exemplum dedit sapientissimus inter mortales Solymæus Rex Salomon: coram quo cùm duæ mulieres altercarentur de prole, vtrâque cõtendente suam esse, quæ superuixerat, dixit rex: *Afferte mihi gladium. Cumq;* 3.Reg.3.
attulissent gladium coram rege; *Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri*; statim quæ vera erat mater, se prodidit, *commota sunt quippe viscera eius super filio suo*, maluitque viuum transire in alterius possessionem, quàm enecari: contrà clamante alterâ: *Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur.* Eiuscemodi quoque est quod narratur de duobus adolescentibus, quos inter exorta controuersia erat de hereditate viri, qui obierat, adeunda. Vterque se defuncti di-

cebat filium, cùm tamen antea se inuicem non nouissent. Delatâ verò re ad iudices cùm plenior planiórque cognitio haberi non posset, nisi quòd alter tantùm negaret, alter assereret; decretum est à iudicibus vt defuncti cadauer exhumaretur, quíque de duobus iaculo propiùs cor attingeret, ille filius censeretur. Acceptata fuit vtrimq; conditio; sed cùm illi, qui ex defuncto prognatus erat, iaculandum foret, corruit animo, delapsáque de manu sagitta indicium dabat arcanam naturæ vim ibi interuenire, atque illam abhorrere vel in ignaro parente quidpiam facere, quod in sciente foret nefas Itaque pro eo sententia lata est. Huc facit quod aliqui asserunt occisi hominis cadauer sanguinem stillare, si occisor propiùs accesserit. De regis Cimmeriorum filijs Diodorus refert, quòd patre defuncto de regni hereditate inter se contenderent, cumque ad litem dirimendam regem Thraciæ Ariophanem iudicem elegissent; ille mortui regis cadauer è sepulchro erui, arborique alligari iussit, arcúque illos inter se contendere, vt qui emortui patris cor transuerberasset, is in regnum succederet. Primogenitus igitur illius guttur, secundus medium pectus, corde illæso, transfixit. Supererat minimo spes regni (tres enim tantummodò fratres erant) qui ceteris iustâ sanè indignatione succensus, quòd patris cadauer sagittis ausi fuissent impetere, se potiùs regno cedere velle dixit, quàm tale facinus perpetrare. Ex quo Thrax regnum illi adiudicauit, quòd tali pietate, naturæ propensione se verum emortui regis esse filium, & virtute fratribus præstantiorem ostenderet.

Plato Dial. 9. de legibus

Lib. 24.

Non possum hoc loco astutiam sanctissimarum mulierum præterire, quæ vt pudicitiam, quam Sapientiæ increatæ deuouerant, seruarent, ingeniosæ in mortem suam fuerunt. Cuius rei dum exempla consector, vltrò se offert S. Euphrasia Antiochena, quæ à milite amasio deprehensa, cùm non posset euadere, dixit se edocturã eum artem quâ in

Nicephorus lib. 7. cap. 13.

in bellis lædi non posset, si modò sibi vellet parcere, vtque eius experimentum in se sumeret. Collum ergo suum inunxit, quod feriens ille statim amputauit: ita dolo pio castitatem suā morte redemit. Qui plures eiuscemodi historiarum desiderat, videat Eusebium lib. 8. histor cap. 17. Sophron. in Prato spirit. c. 189. Lipsium in Monitis & exemplis politicis.

§. II. *Qui prædicationem verbi Dei negligunt, quanto bono seipsos priuent.*

VTrumlibet fueris, bonus aut malus, auditionem verbi Dei non negliges, nisi teipsum haud mediocribus damnis mactare velis. Si enim in numero bonorum es, vide quia verbi diuini pia & humilis auscultatio te ad summam beatitudinem, vitæque spiritualis perfectionem manuducit. Vel ipsâ enim æternâ Veritate testante, *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Verum est, non sufficit solas aures corporeas concionatori dare, ipsa etiam mentis attentio maximè requiritur, & vt audita in opus exeant. Aduocandus erat mulieri Samaritanæ, quæ carnem designat, vir, id est mens cælestium tantùm capax, cum hoc cupit Iesus loqui & sermocinari, quia mulier tota carnalis de rebus spiritualibus differentem non intelligit. Alioquin *si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum suum in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. In speculo,* id est, obiter & in transitu, quemadmodum viri vt plurimùm solent, qui speculum intuentur, vt videant an non nimis sint hirsuti, vultuosi, decenter tonsi; an mœrorem nimium, aut iram, aut aliam animi passionem vultu præ se ferant: sed non adhærent multùm eiuscemodi contemplationibus, sicut feminæ, quæ quasi suarum formarum narcissi, assiduè vultum speculo obuertunt, & veluti venustatis propriæ idololatræ, sæpè illam adorant, adamant, & non sine admiratione contemplantur; minima quæque faciei obseruant, explorant,

Luc. 11.

Ioan. 4.

Vide Augustin. tract. 15. in Ioan.

Iacob. 1

rant, componunt, linunt, ornant. Ideoque viri ſtatim obliuiſcuntur quales fuerint, id eſt, quales ſeipſos in ſpeculo viderint; vnde nec maculas curiosè eluere ſtudent, nec anxiè ſe comunt aut fucant. Niſi quis malit hoc eò relatum ab Apoſtolo, quòd imago illa ſpecularis & vmbratica non ita ſolidas & permanſuras in animum ſpecies tranſmittat, quemadmodum facies alicuius alterius, quam in

In locum ſuprà cit. S. Iacobi.

ſeipſa intuemur. Imago, inquit Dionyſius Carthuſianus, in ſpeculo habet debile eſſe, & intentionale potiùs quàm reale; ideo debilem facit impreſſionem: quia modus agendi ſequitur modum eſſendi, ac propterea ex tali impreſſione ſequitur labilis in mente cognitio, indeque facilis obli-

Lib. I. Optic. propoſ. 46.

uio. Idem docet Aguilionius, Cur, inquit, adeò debilis figura in ſpeculo oſtenditur? *Reſp.* Quia repercuſſione langueſcit. Vnde cùm eadem ex vno ſpeculo in aliud & aliud reflectitur, ſecunda reflexio obſcurior eſt primâ, & tertia quàm ſecunda, atque eodem ordine ceteræ. Hac etiam de cauſa Apoſtolus viſionem per ſpeculum obſcuram vocat,

I. Cor. iij.

& ænigmaticam. *Videmus*, inquit, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vbi de viſione Dei per fidem agit, quæ admodum obſcura eſt, euacuabiturque aliquando per lumen gloriæ, & perfectiſſimæ viſionis eſſentiam aſſequetur.

Ita, inquam, veluti viri carptim, & quaſi aliud agentes, interdum ſpeculum conſulunt, ſtatimque obliuiſcuntur ſui, & negligunt ſe ornare; aut velut imago viſa in ſpeculo tenuiſſimas ſpecies tranſmittit, & ideo citiùs ipſa vultus forma in obliuionem abit: ita qui verbum Dei audiunt tantùm, & illicò animum ad negotia terrena reſque caducas transferunt, ſtatim obliuiſcuntur & ſpeculi, & ſui, id eſt, legis diuinæ, quam in concione, velut in ſpeculo, clarè intuebantur, atque ex illa ſuam deformitatem & neglectum in cultu animi probè intelligebant; ſed negligunt ad ſpeculi iſtius nitorem mores, componere, & animum emaculare,

culare. Voluptatis quidpiam fortè habeat, quòd aures oculosque in vana eorum quæ dicuntur cognitione & eloquentia pascant, quemadmodũ curiosulę non sine delectatione speculis suis adstant; at nihil prorsus vtilitatis, multum verò reprehēsionis hinc referunt. Sed ad propositũ: *Non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.* Iacob. 1.
Id verissimum esse fatemur; sed tamen inficias ire nemo potest, quin in ipsa auditione verbi Dei, velut fructus in flore flos in radice, summa beatitudo insit, vt breui discursu id deducit Stapletonus. Christus ideo verbum prædicatum semini comparat, quia naturam & proprietates seminis habet respectu salutis humanæ. Seminis autem proprietates, respectu fructus qui ex semine nascitur, potissimùm sunt virtus eius & necessitas: necessitas, quia sine semine iacto nullus sperari fructus potest; virtus, quia semen habet proximam virtutem ad producendum fructum, adeoque totus fructus in semine est virtute. Sic se habet verbum Dei ad animæ fructum; fructus, vt vltimus finis noster Deus est. Nam vt in arbore, planta, satis, vltimum est fructus; sic nostrum vltimum & summum bonum est Deus. Deus autem (quem vt omnium actionum nostrarum finem speramus) non impetratur sine charitate. *Deus enim charitas est; & qui manet in charitate, manet in Deo: qui autem non est in charitate, manet in morte.* Charitas autem non habetur sine fide. *Sine fide enim impossibile est placere Deo*: hoc est, diligere Deum, vel ex dilectione opus aliquod Deo gratum facere. fides autem non acquiritur sine prædicatione verbi Dei. *Quomodo enim credent quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante?* Semen ergo, seu principium salutis necessarium, est auditus verbi Dei. Atque ex his patet necessitas audiendi verbum, quæ quemlibet salutis suæ cupidum maximè stimulare debet, vt aures audiendi habeat. Sed virtus huius seminis adhuc magis stimulabit. Est enim *Euangelium*, ait Apostolus, id est prædicatio Euangelij, *virtus ad salutem*

Dominica Septuages. text. 3.

1. Ioan. 3.

Hebr. 11.

Rom. 10.

Rom. 1.

omni credenti, hoc est, potest saluare, & est vnum medium saluandi omnes credentes. Hactenus ille. Ex quo hoc velim propiùs obserues, quòd prædicatio quidem omnibus omnino sit necessaria ad salutem, veluti ad fructus producendos semen prærequiritur: iustis verò & electis potentialiter in se vim & efficaciam includat ad quosuis effectus spirituales producendos; vt nihil propemodum vtilius sit ijs qui ad sublimioris vitæ perfectionem adspirant, quàm humilis & attenta verbi Dei auditio.

Auditio verbi Dei ad perfectionem conducit.

Dominica Sexagesimæ. MIramur Mariam Magdalenam, ceteris posthabitis, tantâ sedulitate, studio, auiditate, interno mentis affectu assedisse ad pedes Domini, intentam dulcedini verbi eius. Certè hoc colloquio ardentiùs in Dei admirationem amoremque inflammabatur, quàm vllo alio pietatis exercitio. Liquefiebat præ gratiæ abundantia, & æstu interni
Cant. 5. caloris anima illius, *cùm dilectus loqueretur.* Neque etiam dubium est; quin B. Virgo MARIA, omnibus virtutibus, & præcipuè charitate, ornatissima, ex auditu eorum quæ de filiolo eius tum à pastoribus, tum ab Anna & Simeone, nec non à Magis dicebantur, aliquod & cognitionis, & dilectio-
Lucæ 2. nis incrementum fecerit. *Obseruabat* enim *omnia quæ de ipso dicebantur, conferens in corde suo.* Nulli plura de Christo, quàm illi diuinitus reuelata, nulli fuere exploratiora: tamen loquendi parcior, audiendi auidior, aliorum dicta ruminabat, secreta sua nõ effundebat. Quare monitos quosdam per digressionem velim, qui se pietatis exercitijs tradunt, vt beneficia sibi à Deo collata studeant occulere, & quamuis lumen aliquod in eiuscemodi rebus nanciscantur, non facilè ad alios docendum prosiliant, aut ansam de rebus sublimibus loquendi arripiant, Meminerint potiùs
Iacob. 1. istius S. Iacobi in canonica sua, *Sit autẽ omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Vbi S. Apostolus tres modos comparandi cælestem sapientiam præ-

præſcribit: primò, vt velox ſis ad audiendum, vt noua addiſcas, fiatque quotidiana ad veterem ſcientiam acceſſio; ſecundò, vt tardus ſis ad loquendum, ne propria effundas, nihil alieni lucrifacturus; tertiò, vt iram refrænes, ne bilis ebulliens ſerenitatem animi turbet, & philoſophiæ ſtudijs, quæ pacatiſſimum animum requirunt, ineptum reddat. Reſpicit verò ad cœtus & conuentus fideliũ in Eccleſia, in quibus doctiores magisque ardentes promiſcuè docebant, & exhortabantur alios, prout Spiritu ſancto agebantur, in quibus ſubinde audaculi dicendi & docendi locum alijs modeſtioribus præripiebant, vt ſuam oſtentarent ſapientiam & profectum in ſpiritu. Hos commonefacit Apoſtolus, vt in eiuſcemodi cœtibus potiùs humilitatis, quàm doctrinæ ſpeciem præbeant, malintque audire & diſcere, quàm loqui & alios docere. Nam vt quidam Ethnicus aiebat, ex audientia doctrina, ex loquacitate pœnitentia naſcitur. Et Plutarchus, Rectè viuendi tirocinium eſt, potiùs auſcultare. Quocirca S. Pater AVGVSTINVS ſapienter, Ego, inquit, plus amo diſcere, quàm docere, citansque ſuperiùs allegatum locum Iacobi, pergit: Vt ergo diſcamus, inuitare debet nos ſuauitas veritatis; vt autem doceamus, cogere neceſſitas charitatis. Vbi potiùs orandum eſt, vt tranſeat iſta neceſſitas, quâ hominem docet aliquid homo, vt ſimus *omnes docibiles Dei*. Quàm ecce abhorrebat S. Doctor à munere docendi, quia auditionis internæ ſuauiſſimos fructus intelligebat, atque intimè ſuſpirabat inhiabatque doctrinæ cæleſti, quæ non ſtrepitu verborum, ſed altâ mentis quiete traditur. Omnes verò ſecum optabat hac doctrinâ inſtructiſſimos, vt deſineret neceſſitas alios docendi. Idem alibi optat, explicans illud Pſalmi, *Vir linguoſus non dirigetur*: Qualis, inquit, eſſe debet ſeruus Dei? vt magis optet audire quàm dicere; ſicut ſcriptum eſt: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Et ſi fieri poteſt, hoc cupiat, non habere ne-

Epaminondas.
De offic. audit. circa finem.
Ioan. 6.
Auguſt. in Pſalm. 139.

necessitatem loquendi & docendi; sed audire illum, cui dicitur: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.* Gaudium autem taciturnitatis intus habeat in voluntate, vocem doctrinæ in necessitate. Et mox: Quare vis loqui, audire non vis? semper foras exis, intus redire detrectas. Qui enim te docet, intus est; quando tu doces, tamquam foris exis ad eos qui foris sunt. Vnde concludit: Non ergo amemus magis exteriora, sed interiora. De interioribus gaudeamus, in exterioribus autem necessitatem habeamus, non voluptatem.

Psal. 50.

Meminerat etiam, animæ Deo coniunctissimæ & doctissimæ dictum iam olim: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum.* Et alibi: *Attende & audi Israel.* Quod præceptum Iudaicus Plato pulcherrimum appellat. Et Ambrosius, Lex, inquit, dicit: *Audi Israel Deum tuum.* Non dicit, Loquere, sed Audi. Ideoque Eua lapsa est, quia locuta est viro, quæ non audierat à Domino Deo suo. Sicut & patrum nostrorum memoriâ, vna aliqua illusa in Hispaniis illusit maximo magnanimę gentis Regi, dixitque de classe illa in Angliam contra Elisabetham immissa, quæ non audierat à Domino. Quapropter sicut Apostoli, & quiuis sanctitate eminentes in S. Scriptura *cæli* vocantur, *Cæli enarrant gloriam Dei*; ita illuminatissimum quemque in spiritu decet, vt instar cælorum rarò aperiatur, & arcana cælestia foras afferat, idque non nisi ad gloriam Dei, & proximi salutem. Aperti enim leguntur cæli vix pluries, quàm quando manna pluit de cælo, & Pater de cælo vocem dedit in baptismo Christi, *Hic est filius meus dilectus*; & Stephanus martyrium subiens, *vidit cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei: stantem* ad tam insolitæ rei spectaculum, quòd in ipsa morte pro lapidantibus oraret; stantem, ad ei opitulandum porrigendamque manum; stantem denique, ad coronandum athletam suum.

Psal. 44. Deut. 27. Philo l. quis rerum diuin. heres. Lib. 1. offic. cap. 2. Psal. 18. Exod. 16. Matth. 3. Act. 7.

Effectus

Effectus verbi Dei.

REdeo ad institutum sermonem: humilem, scilicet, & attentam verbi Dei prędicationem, valere ad quoslibet virtutum effectus producendos. Primò quidem, gaudij cuiusdam spiritualis est parens: nec potest anima, quin ex recitatione bonitatis, & misericordiæ, & prouidentiæ Dei, ex commemoratione beneficiorum eius, quin inquam internâ exultatione exhilaretur, prout testatur amicus spōsi: *Qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Et Ioan.3.
Dauid ait, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* Additur ratio: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus*, vt te omni benedictione & gaudio cælesti superimpleat, & abūdare faciat. Quidni igitur sæpè sæpiùs, ô anima mea, vsurpes tu licèt nocentissima, illud innocentissimi pueri: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus?* Loquere Domine voce internâ, loquere externâ: suggere intus in anima quod placitum est maiestati tuæ: suggere per verbi tui præcones, quid me velis facere, & lætifica verbo tuo animam meam. Tu enim ore tuo sacrosancto dixisti: *Iam mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quæso, munda animam meam verbo tuo: nihil enim impedit gaudium & exultationem eius, nisi peccata, absterge illa, & gaudebo, & lætabor, & delectabor in multitudine pacis. Quanti verò æstimanda sit illa lætitia spiritualis, indicat feruidâ deprecatione, mœrens iam & afflictus, *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.*

Psal. 118. 1.Reg.3. Ioan.15. Psal.50.

Auditio deinde verbi diuini non tantùm per minas & terrores populum ad pœnitentiam, quemadmodum Niniuitas, sed etiam reges ad cor reducit. Ibi modus redimendi peccata edocetur. Quod patet ex consilio quod dedit Daniel Nabuchodonosori, neque tātùm animæ in necessarijs ad salutem erudiuntur, veluti à D. Petro Cornelius centurio in fide instructus est: sed ad sublime perfectionis Euan-

Ionæ 3. 2.Reg.12. Dan.2. Act.10.

gelicæ culmẽ inuitant. Quæ omnia paucis Apoſtolus com-
1.Tim 3: plectitur: *Omnis*, inquit, *Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia.* Ita S. Antonius audiens ex Euangelio in Eccleſia: *Si*
Athan. in vita. *vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis*; omnibus bonis abdicatis, admodùm adhuc iuuenis ad eremum confugit, cæleſtemque vitæ rationem in terra colere cœpit. Et Babylas mimus &
Moſchus in Prato ſpirit. c.13. magus, habenſque duas concubinas, Eccleſiam, adiens audienſq; Euangelium: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim*
Matth. 3. *regnum cælorum*, omnibus nuntium remiſit, factuſque eſt Monachus, atque vt idem facerent, concubinis perſuaſit.

Hoc bonum vt multi iuuenes & mulierculæ, quaſi ſine culpa ſua, euitent, & ne ſtatum Religionis amplecti cogantur, ſimiles fiunt illuſoribus mercatorum, qui aliquam officinam, putà argentariam, ingreſſi, ſimulant ſe aliquid velle emere, poſcunt diuerſi pretij, operis, & ponderis vaſa argentea, inaurata, lances, aureos ſcyphos, phialas, torques, annulos: & poſteaquam omnia viderint, & de pretio inquiſierint, mille nectunt excuſationes, hoc cauſantur nimis ponderoſum, illud non ſatis affabrè factum, iſtud non deauratum, & ita domo excedunt. Veniunt enim ad concionem, videnturque aliquid domum ad animæ ſalutem relaturi; at vbi concionator aurũ diuinæ Scripturæ, argentum SS. Patrum, æs Philoſophorum, emblemata Poëtarum, flores Rhetorum, omniaque ſua expoſuerit; quaſi nihil placeat, omnia intacta relinquunt. Aut, quod peius eſt, ſimiles
Pſal.57. fiunt *aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas*, vt non exaudiant vocem incantantium, *& venefici incantantis ſapienter*. Id vnicè metuunt, ne vocãti Deo manus dare, & triumphalem Crucifixi currum ſequi cogantur. Quorum vanitati, ſeu potiùs inſaniæ, obuians magnus ille omnis vanitatis exploſor, mo-
Eccleſ.4. net: *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias*, id eſt, tantâ attentione & circumſpectione domum

mum Dei ingredere, ad orandum, ad verbum Dei audiendum, quantâ Moyses ambulabat inter sentes calceos exutus, dum per iter carduis & vepribus consitum, moliretur ad visionē Dei apparentis in rubo. Eò enim videtur Sapiens alludere, *Custodi pedum tuū, & appropinqua vt audias.* q. d. Non satis est, si vicinum cathedræ locum occupes, aut in medio populi sedeas; sed accede hoc fine, hac intētione, vt Deum per os concionatoris loquentem audias, intelligasque quæ circa te sit voluntas Dei bona & beneplacens. Non sis instar lupi, vulpis, aut alterius feri animalis, quod vbi canum latratus, & venatorū cornua audiuit, profundiùs penetrat in siluas, & ad antra sua refugit. Venator animarum est ipse Deus, paratus cum pharetra plena sagittis sui amoris, quibus corda nostra salubriter vulneret; canes & tubæ quibus conciderunt muri Iericho, (quæ mutabilitatem & inconstantiam peccatoris designat,) sunt concionatores. Dum enim, inquit Gregorius, canum lingua vulnus lingit, curat: ita & Doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam lingunt. Tu igitur quisquis salubrem hunc latratum audieris, in profundum prauæ societatis ne redeas; noli te recipere in siluam frementium bestiarum, id est, hominum qui tantùm brutis voluptatibus deseruiunt, nec sapiunt illa quæ Dei sunt; caue ne vocatione cui ita obluctaris, excidas, vt alius accipiat coronam tuam. Quemadmodum ille qui ad Saluatorem nostrum accessit vt interrogaret ea quæ saluti suæ forent expedientissima, cumque audiuisset ex eo: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; abijt tristis, refugit in antrum suum, noluit ab optimo venatore capi ne ab illo ederetur, & in alium virum transmutaretur, qui posteà edendus erat à lupis, vel leonibus infernalibus, quando alio quocumque telo vel auaritiæ, vel ambitionis, vel libidinis saucius, alienas manus expectat in suum interitum. Opto igitur ex animo, diuinamque

Exod. 3.
Iosue 6.
Hom. 40. in Euang.
Apoc. 3
Matth. 19.

Eccli. 3. namque bonitatem deprecor, *vt auris bona audiat cum omni concupiscentia sapientiam*, & non sinat se obturari ad monita cælestia, venatorem tam diuinum non horreat.

Psalm. 118. Præterea velut ignis lucet in tenebris, ita *lucerna pedibus meis verbum tuum*: & velut omnia deuorat quantumuis nodosa & aspera, atque in suam substantiam conuertit, aut minimum calefactiuâ suâ qualitate perfundit: ita verbum Dei auditum, vt suprà diximus, non tantùm purgationem peccatorum facit, sed charitate corda inflammat.

Ibidem. *Ignitum* enim, inquit ille, *eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Id est, verbum tuum instar ignis mentem purgat, illuminat & accendit, vt sit efficax quasi ignis & ardens.

Demum non minùs cælesti hoc verbi diuini pabulo mēs, Matth. 4. quàm quotidiano pane corpus reficitur, & saginatur. *Non* enim *in solo pane viuit homo; sed in omni verbo quod procedit* Psalm. 118. *de ore Dei.* & Dauid ait: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* Verè dulcia Dei eloquia, verè suauis oratio concionatoris, in qua prædicatur peccatorum remissio, vitæ perennitas, resurrectio carnis, quæ mortis temperat acerbitatem, & plura eiuscemodi, quæ animi faucibus, non ventri, (quia fauces sapore tantùm afficiuntur, & mole cibi, quemadmodum venter, non grauantur,) sunt longè magis sapida, quàm quiuis cibus ori humano, tametsi melle sit subactus.

Atque his ita positis, nulli non perspicuum fit, quanto se bono pij etiam homines priuent, lætitiâ scilicet spirituali, studio perfectionis, inflammatione charitatis, dulci animæ refectione, qui occasiones audiendi verbum Dei fastidiunt, quasi omnia ab ipso Deo immediatè in oratione, vel in libris percepturi. Cùm Christus Saulum terræ allisum ad Act. 9. mentem reduxisset, pleniùs erudiendum in ijs quæ fieri ab eo volebat, ad Ananiam ablegauit. Mittit, inquit Cassia- Collat. 2. cap. 15. nus, Paulum ad seniorem, eumque illius potiùs doctrinâ

quàm

quàm suâ censet instrui, ne scilicet, quod rectum gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum; dum vnusquisque sibimet persuaderet, se quoque debere solius Dei magisterio ac doctrinâ potiùs, quàm seruorum institutione formari: quam præsumptionem etiam ipse Apostolus non solùm litteris, sed & opere ac exemplo docet omnimodè detestandam; ad hoc solummodo se asserens Hierosolymam concessisse, vt Euangelium, quod comitante gratiâ Spiritus sancti, cum potestate signorum & prodigiorum Gentibus prædicabat, cum suis Apostolis & antecessoribus priuatâ quodammodo & domesticâ examinatione conferret: *Et contuli*, inquiens, *cum illis Euangelium, quod prædico inter Gentes, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem*. Hæc Cassianus. Similiter nec Cornelium centurionem, (cui Deus Angelum miserat nuntiatum gratas sibi esse quas faciebat eleemosynas:) voluit per seipsum, aut cælestem spiritum edoceri viam salutis; sed eò Petrum ablegauit. Refert etiam Ioannes Euiratus, quemdam monachum fuisse tantâ vitæ sanctitate præditum, vt Angelos sibi assistentes conspiceret, quotiescumque sacrosanctum Missæ sacrificium offerret; qui ab hæreticis edoctus, quando offerebat in simplicitate & innocentia, dicebat quod non decebat. Cuius cùm à Diacono illi ministrãte admoneretur vix adduci potuit vt crederet se errare potuisse, cùm Angelorum præsentiâ honoraretur. Qua de re & eosdem inter sacrificandum rogauit, num vera Diaconus nuntiasset; responderuntque: Ausculta ei, nam vera loquitur. quos cùm iterũ requisiuisset senex, cur ipsi illum de re tam grandi non docuissent, dixerunt: Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur. Quibus rationibus & exemplis, inquit Fab. Iustinianus, satis apparet; nolle Deum illos nec per se, nec per Angelos informari, qui homines magistros habere possunt.

Galat. 2.

Act. 9. & 10.

Prat. spirit. cap. 199.

In Tob. c. 4 vers. 19.

Et nescio quid sermo viuus præ mortuo illo librorum,

energiæ habeat. Fatebantur illi, qui ipso die resurrectionis Dominicæ, in Emmauntem pergebant: *Nónne*, aiunt, *cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas*? Est enim verbum Dei prædicatum *omni gladio ancipiti penetrabilius*, quia ipsa viscera inuadit, intimum cordis afficit, internos affectus mouet ac mutat. Vnde nec Theologos, nec Iurisperitos ab auditione verbi Dei scientia excusat, nec quosdam à culpa immunes facit. Potest enim aliquando mediocris concionator id viuâ voce efficere, ad quod se frustrà aliâ quacumque lectione studebunt disponere. Mirabiles namque, vt diximus, effectus producit sermo Dei cum humilitate auditus, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & veritatis*. Libri similes sunt Cassandræ, vera quidem & solida denuntiantis; sed quia Apollo harmoniæ temperator, & qui cum voce in animam rem ipsam suauissimè per aures transmittit, aberat, illique infensus erat, non persuadebat. Quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis angustias tractum, patentiore tandem exitu effundit; ita ipsa veritas intus in animo concionatoris videtur quasi condensari, maioresque spiritus colligere, quo & suauior, & penetrantior in aures adstantium se penetret. Quæ altiùs ponderans S. Eusebius Anachoreta seipsum grauissimâ & diuturnâ pœnâ, ob leuem in audiendo Dei verbo commissam culpam, multauit. Sedebant super quamdam petram Eusebius & Ammianus admirabilis, & diuinorum Euangeliorum historiam alter quidem legebat, alter eorum, quæ erant obscuriora, explicabat sententiam. Cùm verò agricolæ in subiecto campo terram colerent, ad hanc contemplationem mente distractus est Eusebius: cumque diuinus Ammianus locum quemdam legisset Euangelicum, & scisditaretur interpretationem eius, iussit Eusebius repetere lectionem. Tum dicente Ammiano, Iis fortè qui arant, delectatus, minimè exau-

Luc. 24. Hebr. 4. 1. Cor. 2. Theodoret. in hist. SS. Patrum c. 4.

exaudisti; suis deinceps oculis legem tulit, vt ne campum illum vnquam intuerentur, neque cælesti pulchritudine, & chori astrorum aspectu fruerentur. Rogatus verò cur tam exiguæ culpæ tam grandis pœna reponeretur, sapientissimè respondit, quo & nos confirmari oportet etiam in minutissimæ rei accurata obseruantia: Ne malignus dæmon de magnis bellum gerat, conatus auferre temperantiam & iustitiam; conor hostem ad hæc parua traducere, in quibus etiamsi vicerit, non magnum affert detrimentum; & si victus fuerit, euadit magis ridiculus, vt qui ne in paruis quidem possit euadere superior. Sanum consilium, dignam tãto viro sententiam! Quis verò etiã minuta in rebus spiritualibus negligat, cùm tantum ad rem momentũ afferant? Ecce, vt ille consultò monet, si te paruis seriò occupaueris, in alijs non facilè delinques. Si v. g. oculis tuis imperaueris, vt ne quidem pulchras picturas in ecclesia, vel cæli serenitatem, foris videant, idque omni studio adnitaris obseruare; non facilè ad illicita videnda pertraheris.

Auditio verbi Dei neglecta peccatoribus & fastidita, signum reprobationis.

HÆc sanè damna, si melioris notæ homines spectemus, magna sunt; sed eorum comparatione exigua, quæ peccatores ob neglectum verbi Dei manent. Ecquæ enim spes depauperato alicui opifici superest emergendi, si non facultates modò omnes amiserit, sed instrumenta à se abdicet, quibus operari & lucrum facere possit? Etiamsi quis gratiâ Dei exciderit, atque insuper debitum decem milliũ talentorum contraxerit, superest tamen aliqua salutis consequendæ spes, si instrumenta artis suæ retineat, id est, verbum Dei cum debita animi dispositione audiat, quò & delicta sua clariùs intelligat, de intellectis doleat, procidatque coram magno Rege. Quantumuis enim aliqui sint obstinati in peccato; tamen vehementi & aptâ concionatoris Matth 18.

Ierem.23. voce aliquando compunguntur. *Verbum Dei malleus conterens petras*, id est, homines obduratos in peccato, qualis olim S. Guilielmus Dux Aquitaniȩ, qui ad orationem S. Bernardi pronus in terram corruit, atque deinceps vitæ sanctissimæ specimen illustre dedit. (Vide Surium in Februar.) Illíque qui missi erant vt comprehenderent Iesum, cùm venissent tempore concionis, quam ille ad populum habebat, ita diuinâ & viuificante voce permoti sunt, vt nullo pacto potuerint in illum manus mittere, verùm dicerent se numquam audiuisse hominem ita loquentem. (Ioan.7.) Et, quia non poterant apprehendere nolentem, missi sunt vt audirent docentem. (August. in cap.7. Ioan.) Sed bene erat quòd auribus adhuc essent sanis, & benè valentibus, quibus verbum Dei in animũ transmitterent: alioquin pisces, quibus homines varijs Scripturæ locis comparantur, qui suâ morte obierunt, vel corrupti sunt, pallent auribus, fœtorémque indicant, nec illorum est vsus, nisi quòd hinc cognosci possint quales sint, integri, an corrupti. (Habac.1.) Necdum omnino in illos quadrabat quod Christus aliquando dixit: *Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* (Ioan.8.)

Hinc quemadmodũ fures illi suspenduntur, quos Prætor capit & inuenit sine auribus, quòd ijs alibi ob præcedentia crimina mulctati sunt: ita illos diuina damnat Nemesis, qui nullas ad audiendum verbum Dei habent aures, idque in se exprimunt, quod de hominibus desperatis Sapiens ait, *Impius cùm in profundum venerit, contemnit.* (Prouerb.18.) Talem autem contemptum verbi Dei, quid nisi extrema damnatio consequitur? In veteri lege prohibetur, ne quis vel ouem vel bouem ex voto offerat, aure & caudâ amputatis. (Leuit.22.) Animal auribus amputatis offerri noluit Deus, quia qui auribus priuatur, præcipuo ad salutẽ medio destituitur; *fides* namque *ex auditu*. (Rom.10.) Et proprius cuiusuis disciplinæ sensus est auditus. Iudicialis quoq; in veteri populo lex erat, vt seruus emptitius, qui septimo remissionis anno libertate datâ vti nollet,

sed

sed diligens dominum suum, ei adhuc seruire vellet, applicaretur ad ostium & postes domus domini sui: *perforabitq́ dominus aurem eius subulâ, eritq́ ei seruus sempiternus.* Peccator seruiens peccato, diaboli mancipiū est: sed si oblatā illi in prædicatione Euangelica libertatem acceptare nolit, vt per baptismum, si Ethnicus; vel per pœnitentiam, si Christianus fuerit, emancipetur, vt non ampliùs diabolo, sed Deo seruiat; diligatq́ue magis priorem dominum, scilicet peccatum; iam illi aures perforantur, in signum externæ seruitutis, sibiq́ue spem euadendi incidit: quia aures obstrui siuit, vt non audiat verba salutis, illasq́ue ostio peccati dulcè canentis applicuit, & blandientium in perniciem suam sirenûm cantum admisit. Exod. 21.

CAPVT OCTAVVM.

§. 1. AVGVSTINVS de amplectenda fide Catholica maturè deliberans, ex quorumdam Catholicorum vita sanctissimè acta suam turpitudinem agnoscit.

THEMA CONCION.

Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Ierem. 31.

QVI basiliscum venantur, atque illi exitium moliuntur, vt scribit Ludou. Viues, specula sibi vndequaque circumponunt, atque vitreis his armis veluti Medusæ capite protecti, hostem suum, lethale virus oculis gerentem, vt Bernardus ait, & eiaculantem, inuadunt: dumq́ue ille sese defensurus in specula inspicit, atque seipsum per reflexionem intuetur, vene-

Dominica Passionis.

Comment in l. 18. de ciuit. cap. 13.

Serm. 13. in Psal. 90.

nati ſpecierum viſualium radij ex oculo egreſſi, ad ipſum ſpeculo repercuſſi deferuntur, eumque inficiunt enecantque. Quod ſi verum eſt, valdè ad illius ſententiæ probationem facit, quæ adſtruit non ſimplicem imaginem à nobis in ſpeculo, ſed proprium vultum noſtrum, per reflexionem

1. Opt. propoſit. 46.

videri. Quod hoc argumento probat Aguilionius: Quia, inquit, phantaſia in profunditate ſpeculi immerſa apparet; ſi autem ſpecies eſſet, ea in ſpeculi ſuperficie vbi terminatur, neceſſariò videretur. Non eſt ergo ſpecies, ſed res ipſa, quam in ſpeculo cernimus. At quomodo res intra ſpeculum videtur, cùm ibi non ſit? Reſpondeo, in omni ſpecierum reflexione rem alio loco, quàm reuera ſit, apparere. Idem eſt in imagine quam in alterius pupilla cernimus. Eſt enim illa, velut à conuexo ſpeculo repercuſſa, intuentis ſimulacrum: cornea enim tunica propter læuorem formas rerum obiectarum remittit, at rebus ipſis minores propter ſphæricam conuexitatem. Hæc ille.

Non abſimili modo fatetur AVGVSTINVS ſe captum à Deo, magnamque hoc pacto feciſſe progreſſionem, quòd turpitudinem prioris vitæ agnoſceret, atque planiùs intelligeret quàm ſordidus & abominabilis eſſet. Initium enim ſalutis peccatoris eſt, ſeipſum & vitia ſua cognoſcere, illorum grauitatem intelligere, quia his cognitis remedia

Auct. Incognitus in Pſal. 50.

quærit. Vnde AVGVSTINVS, citatus ab Auctore incognito ait, O homo, ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres: ſed quia te non vides, mihi diſplices, & tibi places. Quaſi ex compoſito obiecit illi vitas Victorini & Antonij, duorum aulicorum tamquam pellucida ſpecula, in quibus dum ex illorum humilitate ſuam ſuperbiam & obſtinationem; ex illorum laudata continentia, ſuarum libidinum fœditatem; ex illorum flagranti charitate, ſuum frigus & torporem; ex illorum erudita & laudabili ignorantia, ſuæ doctrinæ inanitatem, attentiùs contemplaretur; ſerò & ſeriò intellexit, quot maculis totâ animâ ſcateret. Quemadmodum

modum enim specula tales monstrant vultuum apparẽtias, qualia ipsa sunt archetypa, nitida videlicet nitentium, tristia tristantium: ita si virtutibus ornatus fueris, in Sanctorum vitis ornatus decorusque apparebis; si autem inquinatus peccatorum sordibus, Sanctorum integritas & pulchritudo sordes tuas exhibebunt. Vidit igitur AVGVSTINVS deformitatem suam, &, vt vetus Poëta ait, quot intus scateret belluis; Agapetus Diac. ad Imp. Iustin.

Seq; reformidat speculo damnante. Claud. lib. 1. in Eutrop.

Quanta enim sit peccati fœditas, Christus ad viuum in cruce exhibuit, vbi *non erat ei aspectus, sed quasi absconditus vultus eius*, aut, *absconsio vultus ab eo*, ita vt præ horrore non esset, qui figere in eum oculos posset; sed si fortè videret, confestim os auerteret, faciem oculosque admotâ manu contegeret. Vt nihil mirum fuerit AVGVSTINVM ad visam animæ suæ vitijs inquinatæ imaginem obriguisse, atque instar basilisci vitam peccati cum morte commutasse, renouatamque vt aquilæ spiritus eius iuuentutem. Non absimile exemplum præcessit in Dauide, qui cùm homo adhuc bellulus, nec vlli affinis culpæ, licèt adulterium & homicidium perpetrasset, sibi videretur, ideoque quasi conscientiæ securus ne vel peccata sua recogitaret; adfuit iussu diuino Nathan Propheta, atque parabolam de diuite ouem pauperis rapiente, tamquam speculum opposuit, in quo turpitudinem suam sub aliena persona agnouit, atque detestatus est, nec se illum deformem esse, nisi à Propheta monitus, sciuit, quia hactenus numquam solitus erat se cum ista deformitate aspicere. Isa. 53. 2. Reg. 12.

Non secùs etiam AVGVSTINO accidit, atque Pharisæis adulteram coram Christo accusantibus. Erant illi omni flagitiorum genere contaminatissimi, & tamen vt probitatis & zeli laruam induerent, ex mulierculæ accusatione suam studebant innocentiam adstruere: Christus verò inclinauit se, & in terra scripsit notas, quæ instar speculi forent, Ioan. 8.

rent, & vnicuique eorum conſcientiæ ſecreta repræſentarent; è quibus deinde conſpexerunt, ſe æquè ac mulierem culpabiles, & proprijs potiùs quàm alienis criminibus debere indignari. Et hæc confuſio vnum poſt alium excedere iuſſit, vt tandẽ Chriſtus ſolus cum muliere relinqueretur. Quod iam olim eiuſcemodi hominibus ſuperbis minitatus fuit Deus: *Exiſtimaſti iniquè quòd ero tui ſimilis; arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* id eſt, iniquè iudicaſti me tui ſimilem, quòd veluti tu tua peccata latere, & impunita fore tibi falsò perſuades, ego ſimiliter non ſim protracturus illa in lucem, & caſtigaturus; quin potiùs conuincam te mendacij, & vltionem ſumam, & peccatum quod poſt tergum proijcis, ne illud videas, ingeram tibi in faciem, vt claram operum tuorum notitiam habeas, & diſcas erubeſcere, veluti ſi faciem maculoſam in ſpeculo contemplareris. Similes nempe plerique ſumus ijs qui humero manticam gerunt, & aliena peccata anteriori parti imponimus, & curiosè obſeruamus; at propria in tergum reijcimus, & quamuis longè ſint grauiſſima, non intuemur, iuxta illud Catullianum:

Pſalm. 49.

—— Suus cuique adtributus eſt error:
Sed non videmus, manticæ quod in tergo eſt.

Ad Varrum epig. 22.

Vide apud Stobæum commentum Æſopicum, vnde hæc de mantica parœmia nata ſit. Factus eſt aliquando conuentus in Scythi, & loquebantur Patres de quodam fratre culpabili. Abbas autem Pior tacebat: ſed poſtea ſurgens egreſſus eſt, & tollens ſaccum impleuit eum arenâ, & portabat eum in humeris ſuis, & mittens in ſportella modica de eadem arena, portabat etiam ipſam in antè. Interrogatus autem à Patribus quid hoc eſſet? Ille reſpondit: Saccus iſte qui multum habet arenæ, mea peccata ſunt, & quoniam multa ſunt, poſui ea ſupra dorſum, ne doleam pro ipſis, & plorem: iſta autem arena modica peccata ſunt iſtius fratris, & ſunt ante faciem meam, & in ipſis exerceor iudicans fra-

Lib. 5 de vitis Patrum libello 9.

fratrem: quod non oportet fieri, sed mea magis peccata ante me esse, & de ipsis cogitare, & rogare Deum vt ignoscat mihi. Audientes autem Patres dixerunt: Verè hæc est via salutis, ideoque Deus pondus peccatorum dorso eximit, & statuit nobis contra faciem, siue obuiam, vt non possimus illud non intueri. Id se peccatoribus facturum prædixit apud Ezechielem: *Iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te abominationes,* &c. *vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt.* q. d. Manticam scelerum, quam dorso gestas, reducam ante oculos tuos, vt cumulum eorum enormitatemque videas. Ezech. 7.

Quanto consultiùs ille iudicium Domini præueniebat, qui punitionis diuinæ memor dicebat: *Et peccatum meũ contra me est semper,* id est, in oculis meis, vt illud assiduè contempler, & lacrymis diluam? Ita egit Thaisis meretrix conuersa, Paphnutioque qui illam cellulæ triennio incluserat, dixit; Testor Deum, quia ex quo hîc ingressa sum, omnia peccata mea, velut sarcinã, statui ante oculos meos, & non recesserunt ab oculis meis, sed flebam semper illa conspiciens. Cui Abbas Paphuntius ait: Non propter pœnitentiam tuam remisit tibi Deus, sed quia horum cogitationẽ semper habuisti in animo. Iure igitur merito verba illa Them. AVGVSTINVS vsurpauerit: *Postquam ostendisti mihi,* scilicet vitas Sanctorum, *percussi femur meum* (In femore, inquit Gregorius, voluptas carnis accipitur,) q. d. Postquam superna spiritualiter vidi, omne quod in me inferiùs carnaliter viuebat, extinxi. Iulius Cæsar numquam meliùs intellexit parum vel nihil esse, quod totius propemodum vitę decursu fecisset, quàm comparatione eorum, quę paucorum annorum spatio ab Alexandro gesta erant. Sunt qui Cæsarem hac de causa lacrymas fudisse ferant: quam rem olim Epigrammate alligauimus, atque huc ad mores transferimus.

Psalm. 50.

Lib. 1. de Vitis Patrum.

Ierem 31.

Lib. 24. moral. c. 26.

Cæsar Alexandri admirans in marmore vultus,
Quantum, ait, à factis vincimur vsque tuis?
Sic quisquis Diuos spectas in imagine, dices:
Heu! quàm dissimilis sum tibi, tuq; mihi?

Et quàm alto & arcano consilio diuina benignitas AVGVSTINO, vitas potiùs seruorũ suorum, hominum per omnia similium, quàm Domini & Saluatoris nostri obiecit? licèt is perfectissimum viuendi sit exemplar, nec ex alterius cuiuscumque Beati moribus meliùs elucere potuerit, qualis & quàm sordidus esset: est enim *speculum sine macula*, in quo lucidissimè apparet quid Christiano desit virtutis, adsit sordium. Ideoque D. Cæcilia, veluti mundanæ domicellæ specula vel in libellis precum, vel ad zonam gestant, semper Euangelium Christi gerebat in pectore, & non diebus, neque noctibus, vacabat à colloquijs diuinis & oratione, vt in illo vitam Christi inspiceret, & ad illam mores vitamque componeret. Et Apostolus etiam se plurimum ex inspectione huius speculi profecisse ait: *Nos verò omnes reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem trãsformamur*, per imitationem scilicet operum eius, efficimusq; vt in nobis quasi quædam diuinitatis forma resplendeat. Attamen, quanto AVGVSTINVS ingenium habebat perspicacius, tanto difficiliùs tergiuersandi occasiones amputabat. Occurrebat enim euestigiò, vt diceret, Christum fuisse Deum, nec esse humanarum virium illum sequi: quî enim possit homo vilis vermiculus, & infirma caro, factorem suum? Hac ergo de causa exempla seruorum Dei illi ob oculos posita sunt, ne sibi putaret impossibile, quod illi feliciter erant assecuti. Vidit nempe magnam illam concham æneam, capacissimam aquæ, quâ ministri tabernaculi manus pedesque lauabant, sustineri basi vitreâ. Etenim Moyses, iussu Dei, *fecit & labrum æneum cum basi sua, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Labrum istud legem Dei, continentem cælestis do-

Sap. 7.
Breuiat. Rom.
2. Cor. 3.
Exodi 38.

ctrinæ aquam, significat, quæ quidem grauis videtur tamquam vas ponderosum; sed reuerâ non est, vtpote quam res tam fragilis, qualis est speculum vitreum mulierum, sustentare potest, id est, quam homines, verè lutea vasa figuli, obseruarunt; nihilque inuenerunt tam graue, quod adiuuante Dei gratiâ superare non potuerint. Nempe hoc ipso Moyses insinuare volebat, illos qui studiosè exquirerẽt quo modo lex Dei foret obseruanda; Sanctorum vitas & exempla, qui illam veluti iugum aliquod tulerint, considerare debere. Sunt illorum acta & opera tamquam speculum clarissimum, quod præ oculis habeas, iuxtaque quod te componas. Hoc moneo rogoque vt frequenter consulas, iuxta illud Æneæ apud Virgilium:

Sis memor, & te animo voluentem exempla tuorum Æneid. 12.
Et pater Aeneas & auunculus excitet Hector.

Quemadmodum Socrates discipulos suos hortabatur, vt specula frequenter adirent & inspicerent, non crispandi aut vellicandi crinis causâ, vt molles solent; sed vt adlaborarent vt tam pulchri intus in animo essent, quàm venustâ foris facie apparerent.

Postquam igitur Simplicianus vir Dei (quem vt patrem, Ambrosius deligebat) mirabilem Victorini, ætate iam vergente, conuersionem, & Potitianus D. Antonij, & duorum aulicorum, vitam, tamquam specula, AVGVSTINO exhibuissent; vidit & ingemuit fœditati suæ: multum enim animis nostris & fiduciæ adijcere, & solicitudinis detrahere potest morum & fidei in claris viris mutatio: atque ad Deum ait: Tu autem Domine inter verba Potitiani retorquebas me ad meipsum, auferens me à dorso meo, vbi me posueram (alludit ad Æsopi manticam) dum nollem me attendere: & constituebas me ante faciem meam, vt viderem quàm turpis essem, & quàm distortus, sordidus, & maculosus, & vlcerosus. Et videbam, & horrebam, & quò à me fugerem, non erat. Etsi conabar à me auertere aspectum,

[Margin: Vide lib. 8. Confess. c. 5. & 6.]
[Margin: Lib 8. Conf. cap. 7.]

narrabat ille quod narrabat. Et tu me rursus ponebas & impingebas in oculos meos, vt inuenirem iniquitatem meã, & odissem. Noueram eam, sed dissimulabam, & conniuebam, & obliuiscebar. Tũc verò quanto ardentiùs amabam illos, de quibus audiebam salubres affectus, quòd se totos tibi sanandos dederant, tanto execrabiliùs me comparatum eis oderam. Et alibi: Exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, cõgessisti in sinum cogitationis nostræ, vrebant & absumebant grauem torporem, ne in ima vergeremus. Et accendebant nos validè, vt omnis ex lingua subdola contradictionis flatus inflãmare nos acriùs posset, non extinguere. Hactenus ille. Verè ergo tunc accidit, quod quibusdam vetulis quæ aliquando formâ excelluerunt: nam cùm seipsas iam rugosas & deturpatas in speculo non agnoscunt; contristantur, & pristinę formæ amissum florem deplorant. Quod de Helena testatur Ouidius:

Lib. 9. cap. 2.

Ouidius in Trist.

Flet quoque vt in speculo rugas aspexit aniles
Tyndaris.

Quæ paulò fusiùs tractata in compendium ecce conferimus.

Et

Et constituebas me ante faciem meam, vt viderem quàm turpis essem. Lib. 8. Confess. cap. 7.



Sæpè priùs pulcher, & vincere Nerea visus,
Dum speculum spectat, displicet ipse sibi:
Tu quoque sanctorum cernens exempla virorum,
AVRELI, *sordes aspicis vsque tuas.*

Neque tantùm vitæ Sanctorũ, ſed & ipſa mors, & quorumcumque hominum cadauera, vicem ſpeculi ſpiritualis obire poſſunt, vt Iezabelis cranium cum arroſis oſſibus, Abſalomi pendentis ex quercu luror, & Saulis ſine nomine truncus. In eiuſcemodi ſpeculo ſe intuebatur S. Silueſter natus Auximi in Piceno. Fortè enim veſpillones ſepulchrum adoleſcentis nobilis, & diuitijs inclyti, & formâ præſtãtis dum viueret, aperuerant: cumq́ue ille huius ſpectaculi arbiter, occidiſſe oculorum tam lucidas ſtellas, defluxiſſe turpiter aureos illos capillos, turbatam putore illam frontis ſerenitatem, expiraſſe illam oris ambroſiam, illum genarum dulciſſimũ riſum, illum denique, quo tota vrbs ardebat, ignem omnem, in pauculos ſubſediſſe cineres vidiſſet; Heu mihi! exclamauit, niſi cum ſana mente oculos etiam abſtulit Venus, in hoc ſpeculo meum video vultum. Video planiſſimè. Sum hoc, quod fuit: & verò ero non multò pòſt, quod hic eſt. Verba hæc gemitus interruperunt, lacrymis deinceps loquentibus. Iamq́ue patriâ relictâ ſolus deflere incepit, quod cum multis libidinando peccauerat. Rectè viuere è mortuo didicit. Qualiter etiam olim Canonicis Monaſterienſibus caput ſuillum, veluti guloſæ & inertis vitæ ſpeculum, ante oculos poni conſueuerit; vt in illo conſpectâ ſuâ turpitudine, inciperent ſibi vel tum diſplicere, cùm ne ampliùs quidẽ viuere poſſent, ſcribit Goropius Becanus. quæ, quia non diſputo verane ſint, an fabuloſa, totidem verbis adſcribam. Moris, inquit, eſſe audio, & vetuſto ritu apud Canonicos Monaſterienſes obſeruatum, vt iamiam morituro, & animam modò agenti caput ſuillum oſtendatur, quo agnoſcat ſe non humanam, ſed porcinam vitam egiſſe; eoq́ue moueatur ad veram pœnitentiam, & diuinam miſericordiam in poſtremo vitæ articulo implorandam. Non equidem ſuilli capitis concionem derideo; ſed mallem, mox in principio, dum in Canonicorum collegiũ cooptantur, cum porcis ipſis prandium parari, vt diligenter cauerent,

[Margin notes: 4.Reg.9. — 2.Reg.18. — 1.Reg.31. — Faſti Mariani 26. Nouemb. — Lib. 8. Hermath.]

rent, ne tam lutulento & immundo animali perpetuò comparandi viderentur.

§. II. *Peccatorum suorum turpitudinem non nimis intueri debent, qui recenter conuertuntur; sed potiùs pulchritudinem misericordiæ Dei, quâ ad fiduciam excitentur.*

Dominica III. post Pentecost.

RAtio cur recenter conuersi non nimiùm considerationi peccatorum suorum immorari debeant, est duplex. Prima quidem, quia veluti candela extincta facilè reaccenditur, vbi flatum vel leuiter admoueris; ita animus extincto per pœnitentiam peccandi ardore, citiùs veteris concupiscentiæ ignem concipit, si peccatis indiscretâ cogitandi libertate diutiùs adhærescat. Dum vxor Lot ad Sodomam, quam fugâ deseruerat, oculos reflectit, fuit in quo sibi placeret, Deo displiceret, atque in sapidum lapidem insipida mulier commutaretur.

Gen. 19.

Consideranda sunt duo in quolibet peccato: offensa Dei, siue recessus ab æquitate & recti regula; & actus ipse physicus, qui aliquam boni delectabilis admixtionem habet, cuius consideratione homo ad peccandum pertrahitur. Et quia hæc seiungere non est omnium, & sunt non pauca peccata, putà vindictæ, superbiæ, libidinis, quorum memoria facilè in delectationem abripit; nimis procliue est vt animus, necdum virtutum austeritate obduratus, etiam reluctans, sensualitati succumbat. Libido, inquit Hieronymus, etiam in ipso tempore pœnitendi, præteritos stimulos patitur, & titillationem carnis, & incentiua peccati, vt per hæc quæ corrigi cupimus cogitantes, rursum sit materia peccandi. Recogitandi igitur cum Ezechia *in amaritudine animæ* integri anni, non stati temporis, & locorum, & personarum, & modi circumstantiæ, quæ violentiùs animum quatiunt, quàm si vniuersim de omnibus tantùm doleamus; hocque solùm semper cum gemitu meminerimus, nos homines vilissimos incomparabiliter deliquisse, & maiestati infinitæ

Epist. 22. ad Eustochium.

Isa. 38.

infinitæ iniuriam irrogasse. Neque enim illa commemoratio aut memoria, nisi in ordine ad integram confessionem, peccatorum in particulari est necessaria; sed sufficit, vt probabilior sententia Scholasticorum habet, ex vi præcepti contritionis, conteri de omnibus peccatis confusè conceptis: quamquam tamen eiuscemodi particularis recognitio, & contritio de singulis peccatis exercitatioribus vtilissima sit.

Nauarr. c. 1. num. 23.

Ad quid contritio de peccatis in particulari sit vtilis.

PRimò quidem, vt perfectiùs & certiùs omnia detestemur: sæpè enim aliàs accidit, vt nobis falsò persuadeamus, nos omnia seriò auersari, si tantùm in confuso detestemur, cùm circa quædam maneat in nobis occultus aliquis affectus, qui multum de perfecta contritione detrahit. Deinde vt pro temporali pœna, alioquin nobis certò infligenda, satisfaciamus, diuinæq; iræ flagella à nobis auertamus: nam singularis peccatorum, omniumque circumstantiarum perpensio, multum animi addit, vt ea homo hîc in se grauiter castiget, quæ aliàs Deus aut in hac vita, aut in alia esset seuerissimè puniturus. Demum vt animum obfirmet, ad constanter ea in posterum vitanda. Longè enim magis confirmat propositum expressum & particulare, quàm generale & confusum. Et huc spectant illa Chrysostomi verba: Si autem dicat, Peccator sum, non autem ad peccatorum suorum species descendat, dicens: Quia hoc & hoc peccaui: numquam cessabit. Quia, scilicet, animus haud difficulter à succedente tentatione vincitur, contra quam non est singulari proposito armatus. Vix enim est vt sagitta in incertum emissa quempiam feriat, nisi in vnum aliquem fuerit contorta: enerue quoque est illud propositum, quod certam peccati speciem non impetit.

In cap. 6. ad Hebr. hom. 9

Aliquando peccata in particulari non sunt recogitanda.

NEc altera doctrina suo pondere destituitur: in primis, quia hæ cogitationes ianuam desperationi nonnumquam patefaciunt, dum grauitas delictorum nimis curiosè attenditur, & nulla vel admodum parua & debilis diuinæ misericordiæ fit ponderatio. Hoc enim Iudam proditorem, pœnitentiâ ductum, peccatum suum confitentem, & pecunias proditionis pretium referentem, ad restim ade-
Matth. 27. git; quod ex eo patet vbi dixit, *Peccaui tradens sanguinem iustum:* hoc idem Cainum anchoram spei fecit abiicere, dum
Gen. 4. ait, *Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear.* Instar muscarum aliorumque insectorum læuia & plana diuinæ misericordiæ loca declinabant, & asperitatibus & scrupulis suorum facinorum insidebant. Prudentissimè igitur Iob in extrema illa calamitate, oculos ad fontem misericordiæ Dei potiùs quàm ad originale peccatum reflexit, cuius oc-
Iob 6. casione tam grauia, tam infanda patiebatur. *Vtinã,* inquit, *appenderẽtur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas quam patior, in statera! Quasi arena maris hæc grauior appareret.* Videtur namque sanctissimus Propheta antithesim facere inter peccata sua, tum originale, tum actualia, & calamitatem siue mortem quam Christus passurus erat, (gerebat enim typum Saluatoris nostri) asseritque longè maioris illam esse momenti, & meritò omnibus omnino licèt grauissimis peccatis præponderare. alioquin verba illa prolata ex persona ipsius Iob, viderentur aliquid vanitatis & inanis iactantiæ præ se ferre. Nisi dicamus id innocentissimo viro licuisse, vt mœrore oppressum animum, atque iam sub onere fatiscentem, commemoratione integritatis suę erigeret. Quod absque dubio licitum & laudabile est cuicumque probo: quamuis consuetudinis humanæ sit hoc secùs interpretari.

Nempe sicut illi, qui amnem vado superare contendunt,

ne

ne rapido aquarum cursu perturbētur, oculos ab illo auertentes, aliò deflectunt; ita qui ad portum quietis conscientiæ tendunt, intensiusque Deo & orationi vacare disponunt, oculos à peccatorum fœditate & lubricitate auertere, & ad serenum misericordiæ cælum debent attollere, ac fulgorem crucis, meritorumque Christi contemplari. Quæ quidem tanta sunt, vt nullis largitionibus imminui, nullâ debitorum cōdonatione deteri queant. Tu verò Domine, inquit S. P. AVGVSTINVS, bonus es, & misericors, & dextera tua respiciens profunditatem mortis meæ, & à fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Rursus, obserua quid apud Isaiam Dominus dicat: *Holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo.* Per altare Christus intelligitur. *Vidi*, inquit Ioannes, *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei. Subtus altare*, id est, animas fruentes conspectu humanitatis Christi. quia velut in templo Salomonis, altare thymiamatis stabat ante cortinam, quæ Sanctum sanctorum abscondebat, atque ab illo erat ad arcam testamenti transitus: ita humanitas Christi viam ad diuinitatem aperit, nec quis venit ad Patrem nisi per Filium, atque sub hoc humanitatis eius altari iacuerit, id est, submiserit intellectum suum mysteriis fidei nostræ. Victimæ verò & holocausta, quibus altare hoc oneramus, sunt lacrymæ, preces, confessiones, & mortificationes nostræ, quas in nomine Domini Iesu Christi facimus, & quamuis delicta non adæquent, non possunt tamen non esse Deo gratę propter altare cui innituntur. Hoc de se testatur Saluator noster: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non ergo ad exigua nostra munera attendamus, neque cruor victimarum (*Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ*) quas super altari hoc occidimus (peccata intelligo) nos perterreat: sed præstantia illius lapidis, vt vocant, Philosophici excitet, qui omnia argenti viui quæ attigerit, in aurum conuertit,

Lib. 9. Conf. cap. 1.

Isa. 56.

Apoc. 6.

Vide Bern. serm. 4. in festo omniū Sanctorum.

Ioan. 16.

Psalm. 50.

Peccatum duplicem, vt ita dicam, faciem habet; quemadmodum videre eſt aliquas efformatas picturas, quas dũ à ſiniſtro latere inſpicis, apparet iuuenis formoſus, & benè ornatus; ſi verò à dextro, craniũ videbis & mortis effigiem. Alteram iniquitatis, malitiæ, offenſæ diuinæ, necnon reatus infiniti, quam non niſi cum horrore aſpicere poſſumus, ſufficitque vt infirmos animos in metum inordinatum & deſperationis præcipitium conijciat. Hanc peccatoribus, dum volunt reſipiſcere, diabolus ſæpiùs ingerit, peſſimaque conſilia ſuppeditat. Alteram miſeriæ & calamitatis, cum qua nulla alia comparari ex æquo poteſt, & peccantem excipit. Hanc tamẽ ſi penſiculatiùs attendamus, quia
Pſal.41. *abyſſus* miſeriæ *abyſſum* miſericordiæ *inuocat*, non malè ad ſpem veniæ conſequendæ excitamur. Ideò namque Dauid certiorem ſibi propitiationem de peccatis proponebat,
Pſal.24. quòd illa multa forent & grauia: *Propter*, inquit, *nomen tuum, propitiaberis peccato meo, multum eſt enim*. q. d. Quia hoc ad laudem & celebritatem ſanctiſſimi nominis tui facit, quòd quanto peccata fuerint plura & grauiora, tanto
2.Reg.14. libentiùs ignoſcas (*Retractat enim Deus cogitans ne penitus pereat qui abiectus eſt*) idque artem tuã ſummè commendat, quòd deſperatos ægrotos curare noueris, & velut optimus pater filio phreneſi laboranti, atque in parentẽ inſurgenti, non indigneris, ſed compatiaris; ideo confido te peccatis meis fore propitium, quia multa ſunt, idque tantùm propter nomen tuum, quod à bonitate & miſericordia poſſi-
Pſal.30. des. Verè *magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te*. id eſt, dulcis & benignus es ijs, qui à facie arcus tui timent, iudicijsque tuis percelluntur, quia
Eccli.1. *initium ſapientiæ timor Domini*. Sed tamen conſolationis menſuram plenam, coagmentatam, & ſupereffluentem impertis iis, *qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum*, id eſt, peccatorum qui firmam de miſericordia tua ſpem concipiunt, atque ad implorandam miſericordiám tuam incitantur.

Dupli-

Duplicem hanc faciem in peccatoribus iam olim obseruasse videtur ipse Deus. Priusquam enim humanum genus aquis diluuij perderet, vidit *quòd multa malitia hominum eßet in terra.* id est, ea parte aspexit, quâ ab æquitate & recto homines recedebant, factoremque suum contemnere videbantur. At postea transfacto diluuio, *Nequaquam*, inquit, *vltrà maledicam terræ, propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescẽtia sua.* Nam quo pacto hæc cohærent cum priore S. Scripturæ sententia? Si tu Domine hanc ob causam mundum obruisti, quòd homines multum peccarent, cur te dicis non vltrà exacturum ab eis pœnas, quia ad malum proni sunt? Vel ideo maximè puniendi forent, quòd malitiâ suâ in peccata ruunt. Sed Deus, vt dictum est, hanc duplicem peccatorum faciem agnoscit, ob malitiam quidem puniuit, ob fragilitatem & calamitatem miserendi occasionem accepit. Gen.6. Gen.8.

Tu igitur quisquis es, oculos paulisper à peccatis tuis, quæ nimij sunt causâ mœroris & afflictionis, auerte: conuerte ad opera diuinæ misericordiæ, illius prõptitudinem & abundantiam admirare. Vide vt ille nullum fastidiat, etiam tertiò aut pluries relapsum, semper viscera hæc materna pateant, nec multitudine, aut peccatorum grauitate hic fons obstruatur. Dauid, Manasses, Magdalena, Latro, Paulus, AVGVSTINVS, & sexcenti alij, quamuis peccauerint, illisque Deus ignouerit, necdum tamen indulgentiæ eius largitatem exhauserunt. Hæc sola nullis limitibus concluditur: ad omnem ætatem, sexum, conditionem se diffundit. Dic igitur cum Dauide: *Esto mihi Domine in Deum protectorem, & in domum refugij,* vt tempore procellarum & tempestatis, tempore desperationis, confugiam ad te, quia in te omnis spes vitæ, & animæ afflictæ consolatio. Sis tu mihi domus refugij; aperi mihi latus tuum lanceâ perforatum, & ingrediar pectus tantæ pietatis, in quo saluus sim *à pusillanimitate spiritus & tempestate, in die malorum protege* Psal.30. Psalm.54.

me in abſcondito tabernaculi tui: ſit domus refugij mei ineffabilis pietas tua, *vt ſaluum me facias.*

CAPVT NONVM.

§. 1. Cùm priſtinas ſordes AVGVSTINVS ſeriò pararet eluere, malâ conſuetudine, veluti graui ſomno oppreſſus, ſe ſenſit impediri.

THEMA CONCION.

Surge qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Epheſ. 5.

DOMINICA XVIII. poſt Pentecoſt.

EOVSQVE commemoratione conuerſionis Victorini, & vitæ S. Antonij AVGVSTINVS peruenerat; vt turpitudinẽ ſuam agnoſceret, atque de abrumpendo priſtinæ conuerſationis filo cogitaret. Ait enim: Sed vbi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino iſta narrauit, exarſi ad imitandum. Et alibi: Poſteaquam Potitianus vitam S. Antonij, & conuerſionem duorum aulicorum recitaſſet; Tum, inquit, in illa grandi rixa interioris domus meę, quam fortiter excitaueram, cum anima mea, in cubiculo noſtro, corde meo: tam vultu quàm mente turbatus, inuado Alipium, & exclamo: Quid patimur? Quid eſt hoc? Quid audiſti? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce vbi volutamur, in carne & ſanguine. An quia præceſſerunt, pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi? Sed inueterata conſuetudo adeò reclamabat, vt illam compeſcere, aut illius violentiæ frænum aliquod inijcere, non exiguæ operæ, imò inhumanæ videretur. Ab auctoritate Iobi auſpicor; ille de homine impio ait: *Oſſa eius implebuntur vitijs* ado-

Lib. 8. Conf. cap. 5. 6. 7.

Ibidem.

Iob 20.

adolescentia eius. q d. Quæ semel quispiam primis annis didicerit, & quasi imbiberit, vix vmquam dediscit: est enim tota vita eius imposita & sustentata prauis moribus, tamquã ossibus quibusdã, quæ indies difficiliora & duriora euadunt. *Si mutare potest Aethiops pellẽ suã, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum*, id est, cũ prauâ consuetudine cõfirmaueritis peccata vestra, tum eritis immutabiles; quia iuxta vetus prouerbiũ, Consuetudo est altera natura: quasi quæ multis actibus seu continuo vsu animus comparauerit, pariter cum naturalibus censeantur. Certissimum tamen est hyperbolicam esse locutionem, quemadmodum & illa: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem intrare regnum cælorum.* Neque enim Deo huiuscemodi res est impossibilis, sed difficultas aliqua innuitur: nam & Saluator noster Lazarum quatriduanum suscitauit, per quem longâ consuetudine inueteratus peccator intelligitur. Aliud enim est peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat, & continuò corrigitur, reuiuiscit, quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus: qui autem peccare consueuit, sepultus est, & idcirco vt sepultum resuscitaret Christus, priùs lacrymatus est, seipsum turbauit, & infremuit spiritu; nec tandem nisi clamore, id est, ingenti gratiâ, excitus è sepulchro exiuit Lazarus. Quàm difficilè, inquit S. Pater, surgit, quem moles consuetudinis premit! Non absimili, nec minori difficultate, quàm illi, qui lapide veteris testamenti (lex enim vetus scripta fuit in tabulis lapideis) grauabantur, de qua D. Petrus ait: *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Alludit ibi S. Doctor ad legem veterem, atque illam per lapidem, qui Lazari sepulchro impositus erat, intelligit. *Remouete lapidem*, id est, remouete onus legis, gratiam prædicate. Atque hinc licet non malè similitudinem quamdam, inter veterem legem & gratiam, & inter

Ierem. 13. Matth. 9. Ioan. 11. Trac. 49. in Ioan. Exod. 31. Act. 15. Ioan. 11.

ter lapidem & asserem, necnon inter consuetudinem peccandi, & simplicem vnum peccati actum, concipiatis. Pulchrè deinde moribus id ipsum adtemperat. Magnus reus est, quem mortis quatriduum, & illa significat sepultura. Quid est ergo, quòd turbat semetipsum Christus, nisi vt significet tibi, quomodo turbari debeas, cùm tantâ mole peccati grauaris & premeris? & vt violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi?

Hom.7.in 1.ad Cor. Vt discas, inquit Chrysostomus, quanta sit consuetudinis vis, ea sæpè vicit iussa Dei. Et quid dico iussa? ipsa Dei beneficia vicit. Iudæi enim manna habentes quærebant allia Ægypti, & fruentes libertate meminerant seruitutis, & assiduè quærebant Ægyptum propter consuetudinẽ. adeò tyrannica res consuetudo est. Dic sodes, quæ maior seruitus seruiri potest, quæ vita miserior, & magis sit lamentabilis, quàm eorum qui ad triremes damnantur? Tamen videre est inter eos, qui transacto aliquot annorum curriculo, se vltrò rursus vendant, & paucis nummis libertatem ceteraque vitæ commoda commutent. Si vis autem, pergit Chrysostomus, etiam ex externis ipsam discere, dicitur Plato, etiamsi sciret res deorum errorem esse, ad celebrandos tamen eorum dies festos, & ad alia omnia se demisisse, vt qui non posset consuetudini repugnare. Similiter narrant historiæ Alexandrum Magnum numquam corruptos abiecisse mores, quos in pueritia à Leonida præceptore didicerat, licet magnoperè illi curæ esset honestissimi & clarissimi viri nomen. Nam, In Regul. disp.6. vt inquit Basilius, patriam linguam, quam ab infantia didicimus, amittere, aliamque addiscere difficile est: sic assuetum opus omittere, & aliud contrarium illi operari, difficillimum. Sed multò magis peccati consuetudo semina Seneca ep. 124. in animo relinquit, sequiturque nos, etiam cùm ab illa meditamur discessionem. Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem, quæ ad

ad dulcedinem cantumque cogit, actiones impedit, nec ad seria patitur intendi: ita praui in animo habitus diutiùs hærent, etiamsi ab actibus illicitis manus contineas, nec blandiens illa animumque titillans suauitas facilè excutitur; durat, & ex interuallo recurrit. Quemadmodum & languor aliquis plerumque remanet post febrim; & qui in vinculis diu fuerunt, etiam soluti claudicant. Vt mirum non fuerit, AVGVSTINVM summam à mala consuetudine vim sustinuisse. Verùm ipsum loquẽtem audiamus: Ita rodebar intus, inquit, & confundebar pudore horribili vehementer. Terminato autem sermone & causâ, quâ venerat, abijt ille. Et ego ad me: quæ non in me dixi? quibus sententiarum verberibus non flagellaui animam meam, vt sequeretur me conantem post te ire? Et renitebar, recusabat, & se non excusabat. Consumpta erant & conuicta argumenta omnia. Remanserat muta trepidatio, *& quasi mortem reformidabat restringi à fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem.* Videbantur quidem exempla viuendi sanctorum hominũ, quos commemorauimus, rara & admiranda, satis superque AVGVSTINI mentem commouisse, vt quàm primùm in melius emendaret, quæ inhonestè peccauerat; nisi illa peccandi consuetudo adeò tyrannicè obstitisset. Hæc enim mentis libertatem misero eripiebat, & quasi catenâ ferreâ constrictum, vel morbo impeditum, non sinebat ire quò vellet. quapropter etiam se puero comparat: prauam consuetudinem, graui sopori: gratiam Dei, solicitæ parenti, quæ identidem puerum somnolentiâ oppressum excitare conatur; sed ille bis terúe excitatus, iterùm iterumque in lectum & somnum relabitur. Sarcina sæculi, inquit, velut somno assolet, dulciter premebar: & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium: qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est, qui dormire semper velit, omniumque sano iudicio vigilare præstat; differt tamen plerumque homo som-

Lib. 8. Conf. cap. 7.

Ibid. cap. 5.

num excutere, cùm grauis torpor in membris eſt, eumque iam diſplicentem carpit libentiùs, quamuis ſurgendi tempus aduenerit: ita certum habebã, eſſe melius tuæ charitati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat. Non enim erat quod tibi reſponderem dicenti mihi: *Surge qui dormis, & exſurge à mortuis; & illuminabit te Chriſtus*, & vndique oſtendenti vera te dicere, non erat omnino quid reſponderem veritate conuictus, niſi tantùm verba lenta & ſomnolenta: Modò, ecce modò, ſine paululùm. Sed modò, & modò, non habebant modum: & ſine paululùm, in longum ibat. fruſtra condelectabar legi tuæ ſecundùm interiorem hominem, cùm lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captiuum me duceret in legem peccati, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati, eſt violentia conſuetudinis; quâ trahitur & tenetur etiam inuitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. Hactenus ille.


Epheſ. 5.

Rom. 7.

Obſerua tamen, etiamſi grandis lucta concupiſcentiæ in eo exſurgat qui peccandi conſuetudinem nititur vincere; tamen à peccato non excuſari, quia volens plerumque ſe in hanc difficultatem coniecit, & ex ipſo contra ipſum pugnacior facta eſt conſuetudo. Nec abſolutè inuitus eſt, ſed quadamtenus ſolùm, quia ſcilicet nollet peccare, inebriari, fornicari, vindicare, niſi illum traheret conſuetudo, occaſio, &c. Quæ vide ſequenti Emblemate expreſſa.

Ita

Ita ſarcinâ ſæculi, velut ſomno aſſolet, dulciter premebar.
Lib. 8. Confeſſ. c. 5.



AVRELI *retinent antiqui pectus amores:*
Et vult, & non vult: hoc probat, illud agit.
Sic puer è molli cunctatur ſurgere lecto,
Inter ſe certant dum metus, atque ſopor.

Vnde peccandi consuetudo fiat?

OBserua etiam quibus accessionibus necessitas peccandi fiat, quibusque annulis adamantina hæc & dira catena coëat. Primò, ex praua volũtate, sed remissiore, cùm scilicet primus actus peccati, v.g. luxuriæ, perpetratur, fit annulus vnus; cui secundus, altera scilicet libido, siue pruritus concupiscentiæ, innectitur, quæ post experientiam voluptatis ad iterandum peccatum stimulat. Nam, vt ait S. Thomas, maximæ est adhærentiæ, & difficilè ab ea potest homo eripi propter insaturabilitatem appetitus delectabilis. Inde tertiò nascitur consuetudo, quà animus inclinatur ad vitiũ, quod frequentat. Denique insurgit necessitas, siue tanta consuetudinis violentia, vt inducat resistendi desperationem: quæ multos retinet in grauibus peccatis luxuriæ, ebrietatis, odij, acediæ. Quemadmodum, inquit Eusebius Emissenus, quando humore & scabie cutis corporis vitiatur, ex vitio cutis corruptio carnem exulcerat, ab exulceratione verò carnis prurigo titillat: ita per oblectationem malorum de negligentia proficit culpa, & de luxuria crescit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat, quia voluptas transacta non satiat, sed suo vsu magis exercetur vitiorum cupiditas, quàm finitur; & sectatorem suum, numquam consumenda, consumit.

1.2. q.75. a.5.

Homil. de Epiphan.

Et hoc est illud profundum, in quod cùm venerit peccator, contemnit Deum & homines, aut saltem frustra meliora probat, cùm deteriora sequatur. Sed malit fortasse quispiam verba S. Patris: Ex voluntate, inquit, peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (vnde catenam appellaui) tenebat me obstrictum dira seruitus. Voluntas autem noua, quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem Deus, sola certa iucunditas, non-

Prou. 18.

dum erat idonea ad ſuperandam priorem, vetuſtate roboratam.

Paradigma huius en tibi filium prodigum: primò, ad parentem optimum, non ſine faſtu quodam & excuſſione obſeruantiæ debitæ, neque ſine præſumptione, quaſi deinceps futurus ſui iuris, paternæ opis & conſilij non ampliùs
Luc. 15. indigens: *Pater*, inquit, *da mihi portionem ſubſtantiæ meæ, quæ me cõtingit*. Et hic primus peccati gradus ſit. Deinde iteratis alijs atque alijs peccatis, communicato ſcilicet peſſimo conſilio cum æqualibus, aut magis vel æquè dyſcolis, hauſto largiore calicis Babylonij guſtu, repetitis choreis, conuiuijs, ludis, alijsque. Tertiò, *& non poſt multos dies*, cùm pruritus per primum peccati actum ſuſcitati inquietudinem perſentiſceret, *congregatis omnibus peregrè profectus eſt in regionem longinquam*; id eſt, peccandi conſuetudinem, quâ homo quaſi à ſeipſo abit, atque eò proficiſcitur vnde non facilis eſt reditus; ibique poſtremò infelix permanſit, *& diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè*, id eſt, omnes ſibi diuinitùs datas gratias malitiâ ſuâ reſtrinxit compeſcuitque. Tum verò, quæ Dei inſcrutabilis eſt miſericordia, *poſtquam omnia conſummaßet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere.* Validè illum Deus concuſſit, atque acerbiſſimâ caſtigatione exercuit; pudore & pædore miſerum torſit, atque ad porcorum cuſtodiam ablegauit, quin & ſiliquarum, quibus veſceretur, menſuram conſtituit. Neque aliter conſuetudo expugnatur, nec induratus Pharao obrui niſi integro aduerſitatum mari poteſt. & nullibi fortaſſe meliùs vetus parœmia locum habet: *Malo nodo malus quærendus eſt cuneus*. Vnde duplicatis ieiunijs, profuſis eleëmoſynis, geſtatione cilicij, vigilijs atque internis præcipuè gemitibus orationibusque hæc inuadenda.
Lib. 7. in Iſa. Lex enim, inquit Hieronymus, dicit: *Cùm quæſieris tibi Dominum Deum tuum, inuenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ*. quæ poſteriora verba, *& totâ tribu-*

la-

latione animæ, velim ponderes. q. d. Inuenies Deum, ſi ita quæras, vt omnes animæ potentiæ interiores exterioresq́ue afficiantur; ſi patiaris in ſenſibus omnibus externis & internis. Contra prauam conſuetudinem, omnis ſpiritualium armorum vis eſt exercenda, omnes conuehendæ machinæ, impetus acres faciendi. Iſaias ex perſona annoſi peccatoris, de ſe ait: *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum.* Iſa. 6.
Virum ſe, non puerum nominat, quaſi qui malitiâ adoleuiſſet per conſuetudinem: ideoq́ue nec potuit mundari ſimplici manus ad os attactu, quemadmodum Ieremias Ierem. 1.
mundatus eſt, infantiamq́ue exuit, ſed ignito opus fuit calculo ad vrendum, quem Angelus forcipe tulerat de altari.

Remedia contra prauam peccandi conſuetudinem.

PRimò, clauis timoris Domini configenda eſt eiuſcemodi cauteriata caro, vt, etiamſi velit malè deinceps agere, non poſſit: nam *timor Domini expellit peccatum*, id eſt, peccandi conſuetudinem. Et Iſaias ait, *A timore tuo concepimus*, nos ſcilicet, qui omnis boni propoſiti & emendationis ſteriles eramus, *& peperimus ſpiritum ſalutis*. Quemadmodum dicitur, inquit Chryſoſtomus, quòd quidam externorum Oratorum, præ irrationabili conſuetudine, dexterum eundo humerum continuò mouebat; ſed tamen conſuetudinem vicit, & gladios acutos vtrimque humeris impoſuit, vt vulneris timore membrum ineptè ſe mouens corrigeret: hoc nobis circa pedes, dum feſtinant ad effundendum ſanguinem; hoc circa manus, dum pruriunt ad tactum illicitum; hoc circa os, oculos, linguam, aliaq́ue membra faciendum eſt, vt in aduerſa animæ parte grauiſſimas diuinæ vltionis imminentis minas; in auerſa, exempla peractæ caſtigationis conſtituamus, atque ita inter illa medij timeamus continenter in alterutrū impingere. Hoc ſe egiſſe teſtatur S. AVGVSTINVS, vt habitum iurandi exſcinderet.

Dominica IV. Aduent. Pſalm. 118. Eccli. 1. Iſa. 26. ex tranſlát. LXX. Hom. 7. ad pop. Antioc.

Serm. 30. de verb. Apost. ſcinderet. Iurauimus, inquit, etiam nos paſſim, habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem & mortiferam: ex quo Deo ſeruire cœpimus, & quantum mali ſit in periurio vidimus, timuimus vehementer, & venenoſiſſimam conſuetudinem timore frænauimus: frænata reſtringitur, reſtricta langueſcit, languens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit. Et alibi fatetur ſe filum vitæ priſtinæ nimis intortum abrumpere non potuiſſe, donec timore & pudore, vel-

Lib. 8. Conf. cap. 11. ut gemino flagello, acriter à Deo cæderetur. Et inſtabas, inquit, tu in oculis meis Domine, ſeuerâ miſericordiâ, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rurſus ceſſarem, & non abrumperetur idipſum exiguum & tenue, quod remanſerat, & reualeſceret iterum, & me robuſtiùs alligaret. Namque

Virga quod eſt puero ceſſanti, loraq; ſeruo;
Ingenuo metus eſt, & pudor hocce viro.
His Patritiadem Nemeſis dum fortiter vrget,
Virtutis rigidam fecit inire viam.

De timore quidem alibi egimus, hîc pauca de acri increpatione pudoris dicamus. Ille tam valido ictu generoſum animum verberat, vt maluerint plures in ipſam mortem incurrere, quàm probroſâ hac purpurâ perfundi. Et Cicero

Lib. 2. Tuſc. quæſt. ait fractos pudore, qui nullâ aliâ ratione vinci poterant. Inter illos Ioannes XXII. qui abdicato ad inſtãtiam Concilij Conſtantienſis Pontificatu, quò paci Eccleſiæ conſuleret, cùm priuatus ex fuga retraheretur, atque ſummum illum totius orbis honorem & venerationem, omniaque in deſpectum verſa cerneret; dicebat ſe ſaluâ animæ ſuæ ſalute maluiſſe mori, quàm coram Imperatore totoque Concilio ita pudere. Enimuero inter maxima Saluatoris noſtri tormenta, non poſtremo loco recenſendus eſt pudor, quo illum peccata noſtra affecerunt. Quibus, veluti Iacob hœdinis pellibus, circumdatus, cùm in horto coram Patre appareret, non fuit auſus vocem vel oculos ad cælum tollere

præ

præ confusione, sed pronus in terrã corruens faciem abscõdit, factusque in agonia, toto corpore sanguinem sudauit. Luc. 22.

Primum quod in Adam, violato Dei mandato, incurrit, fuit pudor, vt quantociùs resipisceret, & veniam facti deprecaretur. Nam *aperti sunt oculi amborum, cumq́; cognouissent se esse nudos*, indumento scilicet gratiæ & innocentiæ, *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, & cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam* præ pudore, *& vxor eius à facie Domini in medio ligni paradisi.* Gen. 3. Vix admissam culpam flagellauit Deus pudore veluti quodam stimulo, vt refractarium in orbitam reduceret. Milesias quandoque virgines, vt refert Plutarchus, mirabilis quidam furor inuaserat, quo illarum mentes ad insaniam conuersæ, tantâ repentinæ mortis cupiditate corripiebantur, vt se ipsæ strangularent. Lib. de clar. mulier. c. 7. Cui infortunio cùm nec parentum lacrymæ, nec amicorum monita, nec vllæ suasiones mederi possent, solus pudor adiumento fuit, ille vi & efficaciâ suâ omnia alia media superauit: nam quodam spectatæ prudentiæ viro præcipiente, vt virginum, quæ sibiipsis mortem consciuissent, per medium forum nuda cadauera raptarentur; tanto fuerunt huius rei pudore suffusæ, vt nulla ampliùs earum fuerit suæ mortis rea: sicque non modò virginum furorem cõpescuit pudor, sed etiam illum omnino sedauit & extinxit. Hoc ipsum erat, quòd Angelus in exercitu Sennacherib vnâ nocte occidens centum octoginta quinque millia, Regi pepercerit, vt infami fugâ in suum se regnum reciperet, potiusque pudoris, quàm mortis tormentum experiretur. *Cúmque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abijt, & reuersus est Sennacherib rex Assyriorum, & mansit in Niniue.* 4. Regum 19. Et quot putas saluberrimo hoc rubore adduci ad nauseam peccati, culpamque suam in hac pœna agnoscere? Ionam, vt alios omittam, ita suæ puduit inobedientiæ, vt *à facie Domini in Tharsis* fugeret. Ionæ 1.

Non quòd illic Deum non esse sibi persuaderet, qui sciebat eum vbique præsentissimum, etiam in ipsius piscis obscuris latibulis; sed quia vel saltem ibi à Palæstinæ finibus, & à terra promissionis, in qua Deus propter populum suum euidentiùs agebat, tam remotũ se futurum existimabat, vt liberum à diuinis pręceptis & reuelationibus viuere se posse existimaret. Ideoque non vereor asserere, AVGVSTINVM grauissimè hoc telo diuinitùs misso fuisse percussum, vt quamuis alia multa, pudorem tamen scelerum suorum diutiùs sustinere non potuerit. Sed ad medicamina prauæ consuetudinis reuertamur.

Secundò, maximum quidem austeritates, & extraordinariæ pœnitentiæ momentum huc conferunt; attamen ante omnia necessaria est deliberata, seria, constansque voluntas, quam S. Doctor non veretur cum ipso opere conferre: Peruenire siquidem illuc, inquit, nihil est aliud, quàm velle ire; sed velle fortiter & integrè, non semisauciam hac atque hac versare & iactare voluntatem. Vera hæc & integra desideria, vt obseruat Origenes, gressus in Scriptura vocantur, quibus ad Deum veluti pedibus aditur. Hinc sponsus dilectæ suæ optimam voluntatem, ardensque desiderium dilaudans ait, *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis*! id est, veluti filiæ Regum magnum aliquem decorem & venustatem constituunt in calceamentis suis, ideoque Momus dicitur carpsisse sandalium Veneris; ita te piæ istæ & constantes affectiones ornant. Huc pertinet breue responsum S. Thomæ Aquinatis, qui rogatus à sorore sua quomodo saluare se posset, dixit, *Optando*, sed sincerè & efficaciter; ex quo totus salutis nostræ cardo dependet. Nihil enim aliud videtur à nobis Deus requirere, quàm, *dilata os tuum, & implebo illud.* Os cordis, inquit S.P. AVGVSTINVS, non est aliud quàm desiderium cordis: quare aperiendum illud est, vt vitâ (scilicet virtute) quâ spiritualiter viuimus, quâ ad æternam vitam tendimus, impleatur.

Lib. 8. Conf. cap. 8.

Cant. 7.

Psal. 80.

pleatur. Quod etiam præcinere voluisse beatissima Virgo Lucæ I.
videtur, dum ait: *Esurientes impleuit bonis.* Et ante illam Psaltes, dicens, *Quia satiauit animam inanem*, id est, sitibundam, Psal. 106.
auidam suæ salutis, *& animam esurientem satiauit bonis.* At qui desideria tantùm conditionata fouent, vellentque non ampliùs peccare, si per socios, consuetudinem, aliosque respectus non prohiberentur, assidueque illud vsurpant: *Velle* Rom. 7.
adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio; similes sunt militibus pictis, qui videntur in acie stantes, tormenta explodere, gladios vibrare, mortem præsentem hosti intentare; neque tamen vmquam pedes vel manus mouent. Non sunt etiam ijs dissimiles, qui somniant se lautè cœnare, nec cœnant tamen, sed ieiuni surgunt. *Sicut*, inquit Propheta, Isa. 29.
somniat esuriens, & comedit; cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: ita isti videntur gratiæ cælestis rorem intra se dimittere, videntur cælesti cibo, quo mox distenta appareant vbera, largiter refici; sed *venerunt filij vsque ad* Isa. 37.
partum, & virtus non est pariendi. Ex quo Hieronymus super verba illa Euangelica, *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus* Matth. 24.
in illis diebus, Væ, ait, animabus, quæ non produxerunt sua genimina in virum perfectum, quæ scilicet sanctis desiderijs ita exitum intercludunt, vt illa antequam edant, in seipsis veluti in ventre matris occidant. Pulchrè de his dixit Sapiens: *Vult, & non vult piger.* Vult quidem conuerti, vi Prou. 13.
tamque deinceps mutare in melius, vult *viam arctam*, quæ Matth. 7.
ducit ad cælum, ingredi; non vult, vbi labores & difficultatem operis considerat, quàm amarum sit veteri sodalitio nuntium remittere, voluptatibus pristinis valedicere, & consuetudinibus pessimis continuò & efficaciter resistere. Enimuerò his idem accidit, quod Hebræis in deserto, qui Num. 13.
quidem ostensione vuæ quam exploratores attulerant, & oratione Caleb animati, quòd terra illa melle manaret, iam parabant se ad iter; at vbi audiuerunt ex alijs difficultates itinerum, robur & staturam incolarum, munitionem

vrbium, aliaque quibus arcerentur impedimenta; resilierunt à proposito, malueruntque reuerti in veterem Ægypti, siue peccati, seruitutem, aut mori in solitudine, id est, in medio resurgendi conatu deficere. Confer etiam, si libet, cum Zara; qui licèt prior quàm Phares, manum ex
Gen. 38. vtero matris protulisset, debitaque illi iam viderentur primogenita; tamen quasi eluctandi difficultate perterritus resilijt, germanoque primas nascendi cessit: ita & hi extra mundi vterum aliquâ sui parte egrediuntur, atque obstetricans tam difficili partui Confessarius, vittam coccineam brachio alligat, id est, communionem meritorum Christi per Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ applicat; sed mox brachium retrahunt, & quasi priorum pœniteat, voluntatis suæ inefficaciam ostendunt.

Demum quia ad consuetudinem vincendam singulari Dei gratiâ opus est, debet tum ipse peccator, tum ij qui in illo corrigendo adlaborant, non remissè & vulgariter, sed intensè & feruenter orationibus incumbere: his etenim singularis illa gratia impetratur, quæ flaccidis & ordinarijs precibus non datur. Non abs re erit, si illud Psalmistæ pec-
Psal. 126. catoribus malâ consuetudine laborantibus applicem: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Quæ primariò de templo Salomonis prædicta sunt; quòd frustra sit omnis conatus humanus in illo vel
2. Paral. 6. primùm ædificando, vel denuo restituendo. *Quis enim*, inquit Salomon, *praualere poterit vt ædificet ei domum dignam?*
2. Reg. 7. Quod vel maximè patuit in Dauide, qui domum Domini exstruere est prohibitus: atque etiam in posterioribus Iudæis, quibus Iulianus Apostata in odium Christianæ reli-
Chrysost. hom. adu. Iudæos. gionis facultatem dedit ædificandi: nam cùm fundamenta foderent, erumpentibus è terra flammis prohibiti sunt. Nec feliciori successu id Haumar Saracenorum princeps aggressus est. Verùm & ipse homo non semel in sacra Scri-
1. Cor. 3. ptura domus siue templum vocatur. *Dei*, inquit Apostolus,

ædi-

ædificatio ſumus, & templum. & alibi dicimur *ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Vt vnuſquiſque intelligat, ſe *coædificari vt lapides viuos*, non poſſe in hanc domum, quæ funditur credendo, ſperando erigitur, perficitur diligendo, abſque eo qui ædificat principaliter Eccleſiam, & columnas ex montibus ſuperbiæ excîdit, ſacroque ædificio adaptat & perpolit. Si quis ſtructuram hanc molitus fuerit, neque cogitationes ſuas ad ſingulare Dei auxilium conuerterit; ſimilis illis euadet, qui ad faciendum ſibi nomen, turrim Babel erigere aggreſſi, diſſipati illuſique ſunt à Deo.

Eph 2.
1. Pet. 2.
S. Aug. ſerm. 22. de verb. Apoſt.
Gen. 11.

Adhæc, quia illi deuenerunt *in profundum; de profundis* quoque animi ad Deum clamandum eſt, & de barathro infeliciſſimi ſtatus: ductâ ſimilitudine ab ijs, qui vbi in altum puteum deſcenderint, neceſſe habent vocem, quantum valent, intendere, ſi à quoquam exaudiri fortaſſe velint. Quemadmodum clamauerunt Ionas de mari ac ventre ceti; Petrus, cùm cœpit mergi; & cæcus flagitans viſum. Clamandum, inquam, eſt ad Deum de profundis afflictæ conſcientiæ, damnabilis culpæ, ſæcularis miſeriæ, *ne abſorbeat nos profundum, neque vrgeat ſuper nos puteus os ſuum.* Ad quem locum ſcribit S. P. Noſter, magnum puteum eſſe profunditatem iniquitatis humanæ, illuc quiſque ſi cadat, in altum cadere: ſed tamen ibi poſitus, ſi confiteatur peccata ſua Deo, non ſuper eum claudere puteum os ſuum, ſed validè clamantem exaudiri. Clauditur ſuper peccatorem os putei, ſi ipſe deſperet, nec vel Deum in adiutorem aduocare velit. Ille ipſe expertus quàm de profundo clamandum ſit, dicebat, Attende animam meam & audi clamantem de profundo. Nam niſi adſint & in profundo aures tuæ, quò ibimus? quò clamabimus? Atque etiam aſſiduis & flagrantibus precatiunculis Deum tantùm-non fatigabat: *Quamdiu, quamdiu, Cras & cras? Quare non modò? Quare non*

Prou. 18.
Pſal. 129.
Ionæ 2.
Matth 14.
Lucæ 18.
Pſal 68.
Lib. 11. Conf. cap. 2.

hac horâ finis turpitudinis meæ? Defluxi abs te ergo, & erraui Deus meus, nimis deuius à stabilitate tua, in adolescentia, & factus sum mihi regio egestatis. Atque sic tandem fit etiam cum
Lib.3.cap.8. pessimo & indurato peccatore, quod idem S. Doctor ait, Pietate humili reditur ad Deum, & purgat ille inueteratos à consuetudine mala, fitque propitius peccatis confitentium sibi, & exaudit gemitus compeditorum, & soluit à vinculis quæ nobis fecimus.

§.II. *Quo quis feruentiùs ad emendationem vitæ se accingit, eo plura subnasci plerumque videntur obstacula & tentationes.*

Dominica Resurrectionis. TAntus est mundi erga improbitatem fauor, tam se officiosum peccare volentibus præbet, vt omnia illis ad nutum fluere, ipsa elementa ministerio eorum, præter innumeram hominum multitudinem, deputata videantur. Insurgat & furat contra recenter in lucem editum infan-
Matth.2. tulum aliquis Herodes, innocenti necem intentet; totæ ciuitates & prouinciæ turbantur cum illo, lex consulitur, libri euoluuntur, cogitur senatus non in defensionem innocentis, sed in solatium illius qui timendo magis quàm
August. Tract.115. in Ioan. irascendo crudelior est. Pharisæi Christo vitam inuideant; sunt qui cum Herodianis studeant illum capere in sermo-
Matth.22. Ioan 7. Matth.26. ne, sunt qui in tẽplo sermocinanti vincula parent, sunt qui liceãtur, sunt qui vendant, abnegent, vinctum sistant. Quin ipse Pater, licet filij amantissimus, mortem quoque illius, ad salutem generis humani, non tamen scelus Iudæorum,
Act.4. decernit. *Conuenerunt*, inquit D. Petrus, *verè in ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.* Nec Spiritus sanctus abnuit, qui pectus impij pontificis quatiens suggessit: *Quia*
Ioan.11. *expedit vobis, vt vnus moriatur homo, & non tota gens pereat.*

De-

Denique nox & tenebræ, ſolituſque, quò meliùs deprehenderetur, orationis fauet locus.

Impius & rebellis, etiam inter ipſa ſacra, contra benignissimum parentem conſpiret Abſalom (nam *cùm immolaret victimas, facta eſt coniuratio valida, populusq́; concurrens augebatur*;) fauent vrbes & tribus, & quod aliàs pietatis & maioris obſeruantiæ Numinis indicium eſt, ſcelerato ſeruit ad myſterium iniquitatis. Adſcribat ſibi regnum, atque per ſummum nefas proclamari ſe iubeat regem; *Ecce toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom,* milites, tribuni, plebs, ſacerdotes, conſiliarij, & inter eos Achitophel, & quis non? prout plerique rerum innouationibus fauent. Sit quiſpiam paulò incautior in ſenſuum cuſtodia, verbum laſciuius in aures influat, indecentior pictura, vel quidpiam aliud natum ſuſcitare libidinis fomitem, in oculos incurrat; illicò plura alia quaſi ex condicto in hominem tentatum inſurgunt, imagines rerum præteritarũ, & priſtinorum vitiorum memoria minùs retinax, & cultior mulierum ornatus, & non ambita familiaritas, lectus, diæta, ipſe denique diabolus, qui flatu tartareo fœdum libidinis ignem auget, facti turpitudinem extenuat, veniæ impetrandæ facilitatem ingerit. 2.Reg.15.

E contrario quoties quis cum mulieribus ad ſepulchrum pergit Dominicum, vnguenta parat emendatæ famæ, balſamum correctæ vitæ, ſummo manè in viam ſe dat; ſtatim occurrit animo, monumentum copioſo cuſtodiri milite, oſtium ſigillo obſeratum, lapidem aduolutum, Marc.16. atque intra ſe ait: *Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumẽti?* Tam ardua & accliuis res eſt virtus, & cui vix quiſpiam adiutricem porrigit manum; aliter omnino atque dum vitiũ decernitur pariturq́;, tunc enim omnia obſtetricantur.

Vt primus homo de feliciſſimo innocẽtiæ ſtatu decidat, ſerpens inuitat, paradiſus allicit, pomum lenocinatur, aura, tellus, & omnia placido ſeſe oſtendunt aſpectu: vt ho-

Matth. 28. Serm. 74. de Resur. mo rediuiuus resurgat tumulo, quãtus terræ motus, quantæ difficultates? Vnde Chrysologus optabat: O si tunc vel leuis turbo arborem mortiferam deiecisset! ô si nebulæ fumus illius mulieris tenebrasset aspectum? ô si terræ nubes lethalis pomi speciem caligasset! ô si manus tangens inconcussa tremuisset! ô si peccati diem tenebrasset nox iniusta, & lamenta mundi, & incrementa mortis, & Creatoris iniuriam tunc tulisset! sed vitijs semper seruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis; virtutibus verò austera & fortia sunt amica. Idem obseruat Tertullianus Christum tum primùm tentatum, cùm à populo secessisset, atque in eremo quadraginta dierum ieiunium cõtinuasset.

Lib. de Baptismo. Ipsum, inquit, Dominum post lauacrum, statim tentationes circumsteterũt, quadraginta dierum ieiunio functum. Quo nobis tacitè innuitur, mox vt quis è veteris vitæ tumultu egreditur, tentationes quasi itineris impedimenta

Lib. 24. Moral. cap. 12. intercurrere. Hoc, inquit Gregorius, in seipso Dominus sub quadam dispensatione figurauit, qui diabolum non nisi post baptismũ se tentare permisit; vt signum nobis quoddam futuræ conuersionis innueret, quòd membra eius postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. Hinc & Ecclesiasticus monet:

Eccli. 2. *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem* quia tunc vndequaque impedimenta exsurgent, tunc quasi de industria se occasiones ingerent, vt à bono proposito abducant.

Cur homines boni propositi grauiùs quàm alij tententur.

QVia sicut

Horat. *cantabit vacuus coram latrone viator:*

ita virtutibus pijsque desiderijs destitutos diabolus, animarum nostrarum latro, negligit: at qui gratiâ Dei ditescunt, qui bonis operibus, sanctisque exercitijs se dedunt,

Matth. 6. qui sibi thesauros thesaurizant in cælo; his insidias struit,

his

his machinas admouet, & quam poteſt remoram inijcit. Mirum, & virum perfectum has inſidias timuiſſe, quum ait: *Ab altitudine diei timebo*, id eſt, quando meridies gratiæ Dei mihi illuxerit, iamque exiguas vanitatis & ſuperbiæ fecero vmbras; tunc incipiã timere grauiores diaboli impetus, tũ ſcio dæmonium illud meridianum negotium accerſet. Hoc ſequaces quoque ſuos iam antè Saluator noſter monuit, quia *arcta* ſiue tribulata, id eſt, tribulis & vepribus plena, *eſt via quæ ducit ad vitam*. multi in hac harpagones & ſcrupuli, aliaque retinacula, ne pergamus. Quid non molitus eſt Pharao vt iter Iſraelitarum impediret? quid inauſum, quid intactum reliquit? Cælum, aër, terra, mare, flumina propter illos turbata ſunt, cùm Ægypto pararent excedere, quò tamen vt venirent, vltrò à Pharone inuitati fuerunt, toto plaudente regno. Credidiſſet quiſpiam tot AVGVSTINO potuiſſe impedimenta conuerſionis ſubnaſci? toties, & tam diu illam ſufflaminari? Attamen ita ſi res habet: vbi florere inceperis virtutibus, illicò aduolant vulpeculæ, quę demoliantur vineas. Bona vinea, inquit Bernardus, iuſtus eſt, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum teſtimonium conſcientiæ, cui lingua torcular expreſſionis: ſed interim tali vineæ numquam infeſtationes, numquam inſidiæ deerunt; nempe *vbi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas*. Ad vtriuſque probationem facit id quod explicat Origenes de Pharaone rege Ægypti. Ille crudeliſſimo edicto præceperat obſtetricibus, quarum arte vita puerperarum proliumque ſeruanda erat, vt recenter natos Hebræorum filios occiderent, feminas ſeruarent illæſas. Et ſi meminiſtis, inquit, ſæpè oſtendimus diſputantes, quòd in feminis caro & affectus carnis deſignantur, vir autem rationabilis ſenſus, & intellectualis eſt ſpiritus. Senſum autem rationalem, qui poteſt cæleſtia ſapere, qui poteſt intelligere Deum, & quæ ſurſum ſunt quærere, odit Pharao rex & princeps Ægypti, hunc necari cupit & inter-

[Margin notes: Pſal. 55. — Pſal. 90. — Matth. 7. — Vide Exod. — Cant. 2. — Serm. 63. in Cant. — Eccleſ. 5. — Exod. 1. — Hom in cap. 1. Exod.]

interimi. Cupit autem quæcumque carnis sunt viuere, sed & augeri & excoli cupit. Sed Dei potiùs, quàm hominis iram timentes, masculorum vitam tueamur.

CAPVT DECIMVM.

§. 1. Postremùm, desperatio seruandæ continentiæ, quod solum conuersionis impedimentum iam supererat, expugnatur, per exempla continentium, & præcipuè tenerarum virginum.

THEMA CONCION.

Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Prou. 22.

ETIAM ipsa peccandi consuetudo victa iam herbam AVGVSTINO porrexerat, nec erat quod illum ab instituto remoraretur, nisi sola libido, quæ cùm continentiam illi omnino impossibilem clamosissimè ingereret, atque hinc desperatio quædam nasceretur; quo conuersioni iam propiùs adstabat, eo grauiori anxietate totus inhorrescebat. Quid enim grauius emergere è puteo volenti, quàm si desuper quispiam clamet omnem facultatem ademptam, non posse à quoquam iuuari? quem mœrorem ille animo non induat, qui audiat se à flagitijs, etiamsi maximè velit, abstinere nullâ ratione posse? Turpissima res est desperatio, vbi aliqua adhuc facultas suppetit: at illâ sublatâ, nihil ferè videtur habere reprehensionis, sed tantùm quamplurimũ miseriæ & calamitatis. Quapropter & AVGVSTINO ad castra Ecclesiæ, castissimæ sponsæ Christi, transire volenti, acerbissimè illo temporis puncto quo alius fieri volebat, istud accidit, vt Inconti-

nentia

nentia ſenſibili quadam ſpecie manifeſtam ſe ei daret, validiſque rationibus ad ſuum barathrum alliceret. Nempe, inquit Gerſon, hæc eſt eradicatio plantæ, alibi plantandæ, vbi adeſt grandis violentia. Hæc eſt occiſio mortificatioque grani ſeminati; hoc eſt diſcedere de receſſu vitæ primæ & carnalis ad perueniendum ad ſpiritualem. Heu quàm aſpera via hæc eſt ad tranſeundum & deuincendum! Similem horrorem, ſed non ob ſimilem cauſam, experta eſt S. Tereſia in puncto tranſitus ſui à ſæculo ad Religionem. In veritate recordor, ait, quòd ſecundùm meum iudicium, ſenſerim exeundo domum paternam tantum dolorem, vt vix crediderim me maiorem debere ſentire in mea morte. Et mihi videtur, quòd ſingula oſſa contra ſe inuicem in toto corpore concuſſa fuerint. Oritur verò hæc lucta inde, quia tunc, cùm ſeriò quis ſe ad Deum conuertit, amor Dei eſt, inquit Tereſia, valdè modicus & debilis; mundanus fortis & potens, repugnatque fortiter, etiam per ſuggeſtionem deſperationis, ne nidum ſuum ſeu hoſpitiolum, quod habuit ab infantia in homine, perdat. In vita ſua cap. 4.

Ex vſu & præcepto Eccleſiæ, omnẽ carnis immunditiam illicitam eſſe AVGVSTINVS intellexerat, & quia illius obſeruationem ex ſeipſo colligebat vires humanæ naturæ excedere, nec hactenus à quopiam edoctus erat quâ viâ hæc eſſet parabilis; quaſi ad extrema redactus, ſub grauiſſimo continui doloris onere cor eius fatiſcebat. Et propriarum, inquit S. Doctor, virium credebam eſſe continentiam, quarum mihi non eram conſcius: cùm tamen ſtultus eſſem, vt neſcirem, ſicut ſcriptum eſt, *Neminem eſſe poſſe continentem, niſi tu dederis.* Intereà incontinentiæ vires augebantur, nitebaturque illi vel per hoc ſolum & vnicum perſuadere, vt conſilium amplectendæ religionis Catholicæ abiiceret, quòd obſtante huius lege incontinenti eſſe non liceret. Extra dubium quidem eſt, etiamſi quis Goliathum robore adæquârit, ſi armis & propriæ induſtriæ confiſus, à vanitate Lib. 6. Conf. cap. 11. Sap. 8.

Vide Aug l. de grat. c. 15. fua non auerterit oculos, & non potiùs cum humili Isaï
1. Reg. 17. filio venerit *in nomine Domini*, vt in arena Veneris decertet; in fronte ferietur, id est, superbiæ pœnas luet, Angelis hominibusque futurus ludibrium. Et fermè quotquot ex alto sanctitatis gradu in flagitia prolapsi sunt, initium sui casus ab elatione, & nimia sui fiducia sumpserunt: ideo quòd tam nobile depositum propriâ potiùs industriâ, quàm efficaciâ gratiæ cælestis conseruari posse existimarint. Agitabatur non vulgariter Apostolus Paulus carnis stimulo, corpusque illud passioni Christi configuratum, tot laboribus, inediâ, ærumnis exhaustum, fœdo libidinis æstu quatiebatur, cumque ter, id est crebriùs, Deum obsecrasset, vt
2. Cor. 12. auferretur ab eo tam molesta vexatio, dixit illi Deus: *Sufficit tibi gratia mea.* illa hîc sola est necessaria, sola sufficit; alia omnia, vigiliæ, labores, ieiunia, persecutiones, flagra, orationes, nihil sunt ad superandum hostem domesticum, & in visceribus latitantem, nisi gratia mea agmen ducat; illa ceteris quidquid habent roboris addit.

Caro nostra habet se instar terræ à Deo maledictæ, quæ quantumuis magno labore & sudore colatur; tamen adhuc spinas & tribulos profert, iuxta Domini imprecationem:
Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi:* ita & caro nostra, licèt vigilijs & ieiunijs exercita, cilicijs, flagellis & alijs mortificationibus exculta, nihil nisi spinas & tribulos malarum cupiditatum, & præcipuè libidinis profert. Quæ omnia exscindere non opis est humanæ; sed solius ignis diuini congruâ flammâ cor iecurque adurentis. Quapropter quemadmodum castitas ab hæreticis vilipenditur; ita nec apud illos inuenitur: quia vbi non est fides, non est gratia Dei: at vbi non est gratia, nec est castitas, sed effrænis concupiscentia, & relaxatio libidinis. Nec hæreticorum coryphæum puduit asserere, tam concubitum quàm cibum esse necessariũ. Et passim apud heterodoxos illud axioma vsurpatum

patum eſt, Caſtitatem eſſe impoſſibilem. Verè ſcripſit Hieronymus, Difficile eſt inuenire hæreticum, qui diligat caſtitatem, etiamſi eam verbis commendet, & præ ſe ferat. Sed interim continentia abſolutè non eſt impoſſibilis, poteſtque gratia Dei omnem corporibus noſtris circumfuſum libidinis ignem extinguere, non ſecùs atque tres pueros ſeruauit illæſos in medio fornacis ardentis, quibus nec pilus imminutus eſt. Lib. 2. comment. in Oſe, cap. 9. Dan. 3.

At cuius interfuit hoc AVGVSTINVM ignoraſſe, niſi ipſius AVGVSTINI? ingenti enim agitatione hac parte animus ipſius quaſſabatur. Retinebant, inquit, me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittiſne nos? & à momento iſto, non erimus tecum vltrà in æternum? & à momento iſto, non tibi licebit hoc & illud vltrà in æternum? Retardabant tamen me cunctantem abripere, atque excutere ab eis, & tranſilire quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo violenta: Putas ne ſine iſtis poteris? Quantum, Deus, verborum fulmen! quãtum orationis tonitru, *Momento iſto, in æternum, ſine iſtis non poteris!* Et tamen, quæ Dei benignitas eſt, huic malo diua Continentia, viſibili quadam, ſed intellectuali ſpecie ſe præſentans, obuiauit, atque argumentum hoc de impoſſibilitate caſtimoniæ, matronali habitu, ſed virili diſcurſu, & maſculâ argumentorum vi diluit ac profligauit. Lib. 8. Conf. cap. 11.

Diluitur quadruplex pro incontinentia argumentum.

Cùm enim nugæ nugarum, ſiue libido diceret, 1. Dimittiſne nos? monebat AVGVSTINVM Continentia, vt obſurdeſceret aduerſus illa membra ſua ſuper terram, nec reſponſione quidem dignaretur, ſed ſineret illa mortificatione putreſcere. 2. Ad illud verò: Et à momento iſto non erimus tecum vltrà in æternum? addebat Continentia; Non ſitis cum eo; nec erunt cum eo ſordes & dedecora, quæ

vos à tergo, vt vmbra comitatur corpus. 3. Rursus quod Libido diceret: Non licebit tibi hoc & illud in æternum; verè propiùs inspicienti nihil erat: nam ille nomine Conti-
Psalm. 118. nentiæ dicit, *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex Domini Dei mei.* Sint voluptates carnis plenæ delicijs, & illis carendum sit ex hoc nunc & in perpetuum; quid mali? Neque enim habent tantum boni, quantum obseruata lex Dei custodi suo fidelis. 4. Putasne sine istis poteris? Decenti & congruo argumento, illi quoque à Continentia obuiatum est, & quasi AVGVSTINO succenseret, dixit: Tu non poteris quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo?
Lib. 8. Conf. cap. 11. Proijce te in eum. Sed ipsum mirabilis eloquentiæ architectum audiamus: Aperiebatur ab ea parte, quâ intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas Continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens vt venirem, neque dubitarem: & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellę, ibi iuuentus. multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus; & in omnibus ipsa Continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum. Et irridebat me irrisione exhortatoriâ, quasi diceret: Tu non poteris quod isti & istæ? Fas sit his pauca interserere: Vide vt Agnes, Catharina, Cæcilia, Dorothea, aliæque tenerâ ætate virgines Cupidinem alligauerint, arcum confregerint, pharetram excusserint, extinxerint tedas; & tu vir annorum experientiâ, rerum vsu, doctrinæque momentis firmatus, tantum non poteris, qui vel ipsas Samsonis columnas videbaris collisurus? At potiùs S. Doctoris quàm meis verbis pergat D. Continentia: An verò, inquit, isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Proijce te in eum; noli metuere, non se subtrahet, vt cadas. Proijce te securus,

exci-

excipiet & ſanabit te. Et erubeſcebam, inquit de ſe AVGVSTINVS, nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam. Et rurſus illa quaſi diceret: Obſurdeſce aduerſus immunda illa membra ſuper terram, vt mortificarentur. Cui deductioni non quidem maioris lucis, quòd nihil neceſſe ſit, ſed oculorum causâ, ſequens Emblema ſubſeruit.

Tu non poteris quod isti & istæ? Lib. 8. Confess. cap. 11.



Catholicus fieri poterat, sed viuere castè
(Tam grauis hæc illi sarcina) posse negat.
Instar equi, donec pueri teneræque puellæ
Perfacili carnem flectere lege docent.

Caro nostra similis equo & mulo.

HVic symbolo inhæreamus; & carnis petulantiam equũ, rationem sessorem existima. Est, inquit AVGVSTINVS, in nobis quiddam brutale, quo in carne viuimus, sed intellectu regendum est. Motus enim animæ secundùm carnem se mouentis, & in delicias carnales immoderatè defluere cupientis, regit desuper intellectus. Quod attinet ad similitudinem hanc equi cum carnis petulantia; testatur Philosophus, eum esse animal salacissimum omnium tum feminarum, tum marium. hinc Pierius in hieroglyph. ait, in sacris Ægyptiorum sculpturis, equi charactere libidinosos notari solitos. Et D. Basilius dicit hominem creatum quasi centaurum, vt superâ parte sit homo, & rationalis, inferâ equus concupiscens, & ardens libidine. Ieremias Propheta Iudæos in adulteria aliasque libidines profusos equorum nomine compellat: *Equi*, inquit, *amatores, & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat*. q. d. Veluti equi saturi, & abundè pasti indeque lasciuientes, proruunt æstu libidinis, hinniuntque in equas; ita & Iudęi in feminas. Ad hinnitus huius clariorem intelligentiam nota ex Iustino Historico illum esse equini coitus peracti indicium. Nam equus Darij hac occasione imperium domino suo adtulit. Cùm enim occisis Magis, qui per tyrannidem regnum inuaserant, conuenisset inter septem Persarum coniuratos principes, vt cuius equus manè ad solis ortum, (quem Persæ deum venerantur,) primus hinnitum ederet, eius dominus rex haberetur; custos equi Darij pridie eumdem equũ adduxit ad eum locum, illumque admisit equæ, quo altero die conuenturi erant. Cumque manè omnes simul adessent, equus Darij, conspecto pridiano loco hinnitum dedit desiderio equæ, hocque pacto Darius Rex salutatus est.

Aristoteles lib. 6. Hist. animal. cap 22.

lib. 4. cap. de procac. meretr.

Lib. de virg.

Ierem. 5.

At ne equum vel mulum libidine immoderatâ exprimeret, Deumque à sua mente excluderet, solicitè Tobiam Tob. 6.

minorem Raphael monebat, quia super eiuscemodi dæmonium haberet potestatem. Et Psalmographus ait, *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus.* Deinde etiam Hieronymus obseruat mulierem, quę suspecta erat nomine adulterij, accepisse ex præcepto legis ad conficiendam potionem amarissimam, de qua vide caput quintum Num. farinam, non tritici, quo homines vesci solent; sed hordei, quod equorum communiter est pabulum. Quæ enim, inquit, imitata est equos & mulos, quibus non est intelligentia, equorum & mulorum sustentatur alimentis

Psal. 31.

Num. 5.

Hieron in cap 3. Oseæ.

Equus hic domatur, primò subtractione pabuli.

DOMINICA I. Quadrag.

VT igitur Diua Continentia inolitas libidines efficaciùs ob oculos AVGVSTINO ponat, exhibet equũ ferocem, cui ratio specie teneræ virgunculæ insidet, & quia docta regere, domat, cogitque parêre. Ille verò id hactenus ignorauerat, tantoque hæc oportuniùs suggerebat, quid facto foret opus. Si iumento, ait, fortè insideres, si equo vteris, qui te ferociendo posset excutere; nónne, vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea iumentum est, iter ago in Ierusalem: plerumque me rapit, & de via conatur excludere: via autem mea Christus est. Ita exultantem non cohibebo ieiunio? Maximè verò: Sine Cerere enim & Baccho friget Venus. Monetque Apostolus: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* q. d. Luxuria in nimio potu veluti effectus in causa delitescit. Quapropter, quicumque castitatem diligitis, illamque sartam tectam vultis; ebrietatem fugite. Ad Septemtrionem quidam serpentes frigore penè enecti se mouere vix possunt: libido abstinentiâ extenuata non facilè assurgit, sed quasi sopita languet. Si vis vt canis cibum venando quærat, teque deserat, desine illi panem obijcere: vt & à te recedat libido, lautiorem mensam ipse relinque. Cui interpretationi subscripsit Hierony-

August. lib. de vtilitat. ieiunij.

Ephes. 5.

ronymus: Venter mero æstuans, citò dispumat in libidines. Et alibi, Vbicumque, inquit, saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur: specta ventrem & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Numquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormiuerit; tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam. Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Lot per temulētiam nesciens libidine miscet incestū, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. Hinc cùm S. Hilarion annos vix natus quindecim grauissimis carnis tentationibus à dæmone exagitaretur, statim ad hoc ieiunij præsidium confugit. Titillabat dæmon sensus eius, & pubescenti corpori insolita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tirunculus Christi cogitare quod nesciebat, & eius rei animo pompā voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere, Ego te, inquit, aselle faciam vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, vt cibum pótiùs quàm lasciuiam cogites. Audin' AVGVSTINE, vt ille adolescentulus hunc equum coërceat? Et tu non poteris, quod ille potuit? Ignis qui valentem materiam occupauit, aquâ, & interdum ruinâ, extinguendus est: qui enim alimentis deficit, suâ sponte perit,

Epist. 83. ad Ocean.
In 1. Tim. 7.
Gen. 9.
Gen. 19.

Subtrahe ligna foco,

& fugâ vix notabili euanescet hic furor. Ignis ex orco est luxuria, quæ ipsum etiam corpus inflammat. Sed oppressam cupis hanc flammam? pabulum corpori subtrahe, & priusquam extingui putes, senties extinctam.

Seneca epist. 30.

Quò pudicitiam Eustochij, dilectissimæ virginis, magis extra omne periculum solicitus Pater poneret, non dubi-

Hieronym. Epist. 14.

tabat illi ieiunia ſuggerere, quibus & ſtomachus offenderetur, & nutarent tibiæ, dummodo caſtitas ſana & vegeta in afflicto corpuſculo floreret Eiuſdem ſanctiſſimi Doctoris verbis concludo: Omnis caro concupiſcit quidem ea quæ carnis ſunt, & quibuſdam illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit. Sed noſtrum eſt voluptatis ardorem, maiore Chriſti amore reſtinguere, & laſciuiens iumentum frænis inediæ ſubiugare, vt non libidinem, ſed cibos quærat, & ſeſſorem ſpiritum moderato & compoſito portet inceſſu. Inter pabuli ſubtractionem, etiam vigilias, chameunias, & imminutionem ornatus, abiectionem olfactorioli, aliaque corporis incommoda adnumero.

Epiſt. 9. ad Saluin. c. 5.

Secundò, cuſtodiâ oculorum.

DOMINICA Quinquag.

FEro cioribus deinde equis, quò fræno citiùs aſſueſcant, obnubuntur capiſtro lumina, atque tantum de ferocia, quantum de viſu adimitur: coguntur inire vias difficiles, & circulos facere, quod aliàs proteruè detrectarent. Tu quoque, quiſquis victoriam de incontinentia cogitas, ante omnia oculos in poteſtatem redige, & ſalutarem illis legem nihil videndi, cuius poſtea pœniteat, edic. Sunt namque omnium ſenſuum potentiſſimi in amandi negotio; atque hinc Propertius in amore duces, Lucianus primam amoris viam, Plato principium, Philoſtratus ſedem, pari venuſtate appellarunt. Oculis veluti manibus, inquit Baſilius, incorporeis, quidquid volumus, attingimus. Dumque illi laſciuiunt, caleſcunt appetitiones. Quid euidentius in Dauide qui lauantem Bethſabeam vt vidit, vt perijt? In Holoferne, qui captus eſt in ſuis oculis viſâ Iudith? In ſenibus Babylonicis, qui propter laſciuiorem viſum, in concupiſcentiam Suſannæ exarſerunt? Vxorem Lot vel etiam hac de cauſa, exemplo tam inuſitato punitã arbitratur S. Ambroſius, quòd vrbem impudicam, & gentem laſciuam, blandè & quaſi miſerans reſpexiſſet. Hinc ingenioſa antiquitas

Lib. de vera virginitat.

2. Reg. 11.
Iudith 10.
Dan. 13.
Gen. 19.

quitas Amorem quidem puerum, ſed alatum fixit, qui volare in faciem, in ipſum penetrare cor, arcem mentis inuadere etiam robuſtiſſimi poſſit, ſi detur tantùm aditus per aliquem ſenſuum, præcipuè viſum. Non igitur modò dicam quod Chriſtianus poëta ingenioſo diſticho monet,

Quid facies, facies Veneris ſi veneris ante?
Non ſedeas, ſedeas; ne pereas, pereas;

Sed ſubſtituam loco *ne ſedeas*, Ne videas, ne pereas: quia in ouo pullus occidendus eſt, & extinguendus ignis in ſcintilla. atque facillima hæc domandi iſtius equi carnei methodus eſt. Quin & hoc à Saluatore noſtro etiam ſub periculo eruendorum luminum iubemur: *Si oculus*, inquit, *tuus* Matth. 18. *ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum tibi eſt cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Nota, non tantùm oculum eruendum, id eſt, abſtinendum actualiter ab omni illicito & periculoſo viſu; ſed proijciendum, id eſt, occaſiones omnes lubrici viſus amputandas. Feriendum *cum oculis fœdus, vt ne* Iob 31. *cogitent quidem de virgine.* Niſi enim multo lacrymarum imbre turpari velint, niſi ſalſo humore macerari & morſicari, niſi velint culpam diluere, quæ laſciuiori viſu contracta eſt, neceſſe eſt ſe contineant; ne ſint vagi, ne ſint emiſſitij. Alioquin hæc ita temperauit diuina prouidentia, vt quod curioſitate visûs delinquitur, amaritudine lacrymarum compenſetur; & qui omnium peccatorum quaſi eſt inſtrumentum, omnium ſit victima, vt ita dicam, piacularis. Cornelius à Lapide, magnum antiquiſſimi ac nobiliſſimi Comitatus noſtri Loſſenſis decus, ſcribit ſe audiuiſſe In Cōment. Dan. 13. matronam grauem & caſtam monentem Confeſſarios, vt cauerent ab aſpectu & colloquijs longis feminarum: Ego enim, aiebat, certa ſum, non eſſe virum tam ſanctum, tam conſtantem, quem non flectam quò velim, ſi cum eo ad quadrantem horæ colloquar, iſque oculos meos intueatur.

Sed iam apoſtrophâ Continentiæ ad AVGVSTINVM concludamus: AVGVSTINE, ecquid de iumenti tui ferocia deſperas, tu vir iſto mentis vigore, iſtis ingenij adminiculis? Quoniam excæcari poteſt, domari etiam poteſt.
Pſal. 118. *Auerte oculos, ne videant vanitatem*, ne quid de rebus creatis placeat, ne quid concupiſcas; qualia ſunt honos, mulier, diuitiæ, & *in via* Dei, (id eſt charitate, iuxta illud Apoſtoli,
1. Cor. 12. *excellentiorem viam vobis demonſtro*,) viuificaberis, in Chri-
Ioan. 14. ſto nempe, qui eſt *via, & veritas & vita*. Emorientur enim membra illa carnea, quæ ſunt ſuper terram. Legem illam animo tuo ſtatue, quam Zaleucus Locrenſium legiſlator in adulteros tulit, vt oculi illis eruerentur, qui oculis peccaſſent intuendo coniugem alienam; quam legem deinde confirmauit, dum ad puniendum filij flagitium, ſibi illique vnum eruit. Si expediri tot periculis velis, ſi honeſtatem
Matth. 18. continentiæ adamas, voluntariâ cæcitate in te ſæui, *erue oculos, & proiice abs te*. Vel hoc ſaltem quod Samſoni fortiſſi-
Iud. 14. & 15. & 16. mo Hebræorum accidit, diligenter animo verſa. Videbat ille, & crebriùs Dalilam ſuam viſebat, illius molli gremio hiſpidum caput, tot victorijs conſpicuum reclinabat; ſed quo citiùs certiusque periret, crinibus vnà cum robore ab illa exutus eſt. Sed vbi cæcus effectus, nec iam ampliùs mulieres potens intueri; paulatim ſolitas corporis vires, & maſculum robur recuperauit, corpore pariter animoque conualuit, & ſeriam aliquam de hoſtibus vltionem excogitauit. Etenim adductus coram illis ludibrij causâ, quos videns non vicerat, orbatus luminibus ruinâ inuoluit, atque etiam mortuus, (Decio ſanè vti prior tempore, ita virtute maior) de Philiſthæis triumphauit. Nónne & Apoſtolum
Act. 9. Gentium priùs quoque Deus exoculauit, quò cæleſti recipiẽdo lumini fieret aptior? Dic ergo carnis illecebris, quod Pigmenius cæcus Iuliano Apoſtatæ, ſuo quondam diſcipulo. Nam cùm diceret Iulianus, ſe dijs gratias agere, quòd videre præceptorem ſuum poſſet; generosè reſpondit alter,

ſe

ſe verò magis Deo gratias agere, quòd videre hominem tam impium non poſſet. Verè felix & mente liber es, ſi hanc neceſſitatem tibi indixiſti. Finio igitur in maſculis Lucretij verſibus: Lucretius.

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris
Abſtergere ſibi, atque aliò conuertere mentem,
Vlcus enim viueſcit, & inueteraſcit alendo:
Inq́ dies gliſcit furor, atque ærumna graueſcit.

Tertiò, fatigatione & laboribus.

QVòd ſi equi pergant recalcitrare, abducãtur in agrum recèns aratum, vel loca ſabuloſa, atque illic admiſſis habenis curſu exerceantur, fatigentur, exhauriantur, donec ſe magis præbeãt tractabiles. Teſtatur Diogenes amorem nihil eſſe, niſi otioſorum negotium, vireſque & vitam à remiſſo & inerti animo ſumere. Quid enim Dauid, quid Salomon, niſi magnum aliquod Nihil egerunt, cùm amoribus illicitis dederunt operam? Verè vt ille canit,

Quàm platanus ripis gaudet, quàm populus vndâ, Ouid.
Et quàm limoſâ canna paluſtris humo;
Tam Venus otia amat.

His ſi incubes, Amorem ibi intus, veluti pullum in ouo, deliteſcentem excludes. Ideoque Bernardus, veluti ex ſentina ſordes; ita ex otio hauriri tentationes cogitationeſque malas aſſerit. Quare vt animum à libidine liberes, priùs ab ignauia abducendus eſt: quærendi corporis dolores & labores, vt animus valeat. D. Hieronymus teſtatur de ſeipſo, ad preces ſe vigilias, ieiunia, tunſiones pectoris adhibuiſſe, vt caſtitati conſuleret: nullâ tamen re perinde contra impuras carnis tentationes profeciſſe, atque immenſo & ingrato illo labore ediſcendi, in grandiori ætate, linguas Hebræam, Chaldæam & Syriacam. Neque enim tantùm tentationes honeſtis occupationibus præcauentur, ſed etiam ſucciduntur. S. Antonius ſuos edocebat, quomodo ſpiritum (Epiſt. ad fratres de monte. Athan. in vita cap. 6.)

forni-

fornicationis vincerent, dicebatque oportere asperos carni labores imperari, secundùm Apostoli præceptum, dicentis:
2. Cor. 12. *Quando infirmor, tunc fortior sum.* Asserebatque sensum animi sic posse reuiuiscere, si corporis fuisset laboribus fatigatus. Cumque aliquando solitudinis teneretur tædio, & grauem tentationem sentiret, exclamasse fertur: Lubenter saluarer, sed cogitationes meæ me impediunt. Tum verò in vicino vidit hominem in veste monachi nunc flectentem genua ad orandum, nunc texentem sportas, nunc legentem, nunc aliquid aliud operis facientem, simul & vocem audiuit: *Ita fac Antoni, & saluaberis.* Obsecutus oraculo, non solâ oratione, sed & labore manuum intellexit tentationem superari, tædium vinci. Cùm enim libido maximè in parte inferiori sensitiua resideat, corporis exercitia ad illius expulsionem vtilia sunt, tum quia libidinem in sua sede oppugnant, & radicem excidunt, tum quia labore dæmones velut flabello muscæ abiguntur. Vnde vulgatissimum
Cassian. l. 10. inst. cap. 24. inter Monachos erat oraculum, otiosos à pluribus dæmonibus, laborantes ab vno solo impugnari. Et fortassis præter alias rationes, hæc etiam Apostolum ad opus manuum vrgebat (interdiu enim prædicationi verbi Dei instabat, noctu alimenta manu quærebat, funes texebat, scenas & tentoria concinnabat) quòd carnis stimulo flagellaretur, illumque quàm auidissimè optaret ablatum.

Quidni igitur AVGVSTINVM eis verbis compellem, quibus Salmacis nympha à sodalibus, consulentibus famæ eius, quâ propter otium laborabat, admonebatur:

Metam. 4.
Salmaci vel iaculum, vel pictas sume pharetras,
Et tua cum duris venatibus otia misce.

Age AVGVSTINE, ne tempus impuris cogitationibus
1. Cor. 9. perdas, inuigila serijs, equum laboribus frange: castiga corpus tuum, & in seruitutem redige, si nec labores domando sufficiunt, vexantem te carnem pariter vexa, adhibe clauum, percute, feri, admoue calcaria; & hoc ipso simul

dæmo-

dæmonem, antagoniſtam tuum, concupiſcentiæ carnali confœderatum, atque per illam in nos inſurgentem, flagellabis & ſeruitute opprimes. *Cibaria, & virga, & onus aſino: panis, & diſciplina, & opus ſeruo.* Comparat ibi Sapiens ſeruum cum aſino, dicitque vtrique deberi cibaria, illi fœnum, iſti panem, ne ſuccumbant; deinde adhibendam virgam, ſiue diſciplinam, ne exerrent; tertiò, onere & laboribus diſtinendos, ne inſoleſcant. At Dionyſius Carthuſianus vtrũque de carne noſtra moraliter explicat; Tam aſinus, inquit, quàm ſeruus noſter, eſt caro noſtra: cui quidem cibus debetur ad ſuſtentationem, ſed panis, id eſt, victus ſobrius, ne inſoleſcat; virga quoque diſciplinæ, vt laſciuiens ſubijciatur ſpiritui; opus verò & onus ad perfectionem pœnitentiæ, vt bonis operibus aſſueſcat. vnde & alibi ait: *Flagellum equo, & chamus aſino, & virga in dorſo imprudentium, vt ſapiant.* Eiuſcemodi calcaribus vtebatur S. Benedictus, qui grauiori carnis titillatione exagitatus, nudum corpus tamdiu in vepribus volutauit, donec ſanguine vndique diffluente doloris magnitudo libidinis ſenſum extinxiſſet. Simili quoque ſtratagemate S. Ioannes Bonus Ord. noſtri, adactis inter vngues & carnem acutiſſimis calamis, domeſticum hoſtem ſuperauit. Contraque eumdem & in niuibus D. Franciſcus remedium inuenit.

Eccli. 33.

Prou. 26.

Quartò, diſcretione.

VLtimum eſt, vt memineris, magnam fræni retinendi tibi curam incumbere, id eſt, omnia illa quæ diximus, magnâ diſcretione temperanda eſſe, quæ ſi abfuerit, non magni refert alia adeſſe. Hæc ephippio inſideat, & omnia moderetur. Etiam quæ maximè vtilia ſunt, defectu diſcretionis noxia fiunt. His finio, &, ſi libet, omne vincendæ libidinis conſilium in quinque verba conferamus. Primò, gratię diuinæ, non proprijs viribus, innitere; Secundò, Deũ inſtanter pro dono continentiæ ora; Tertiò, ſobrietati ſtu-

de; Quartò, visum coërce; Quintò, laboribus & asperitatibus discretè corpus exerce, atque animo parêre coge.

§. II. *Luxuriæ vitium formidabile, & quasi inuictum, si aperto Marte aggrediaris; non difficile expugnatu, si fugam ineas, & per insidias adoriaris.*

Dominica XXII. post Pentecosten. EXultantem victoriâ Hannibalem, & nimio rerum successu elatum, videre videor, quoties ad luxuriæ fastum & superbum dominatum animum reflecto. Pœnus ille, si continuè secum in acie decertantes inuenisset, semper victor extitisset, quandoquidem ab ipso conflictu vires animumq́ue sumeret: debuit ergo cunctatione & fugâ debilitari. Atque hinc de Q. Fabio Maximo Ennius cecinit: Ennius.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Simili modo cum vitio libidinis, siue initia illius, putà inuerecundos aspectus, liberiora colloquia; siue progressum, cogitationes & tactus, siue denique ipsum opus flagitiosum consideres, belligerandum est. Alioquin meritò quispiam secùs belligerare volenti dicat, quod Dauidem adolescentem Saul senior olim monuit: *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* Imitandi in primis Parthi, qui fugâ prælium ineunt, & à tergo densissimum sagittarum imbrem in hostes spargunt. Sed quidni potiùs è sacris Litteris eiuscemodi rei similitudinem petamus? Vide mihi immanem illum, & superbiâ timidum Philistæum: ille viribus suis armisq́ue fidens, exprobrat agminibus Israel, ingentiq́ue metu vniuersa Saulis castra complet. Quid hic nisi luxuriam designat? illa erecto incedit collo, & sibi omnia, sanitatem corporis, vigorem animi, honorem, bonam famam, virtutes, ipsum denique Deum postponi debere firmiter persuadet: & horum omnium vult sui causâ, nos facere iacturam. Ipsos armatos vltrò lacessit, ipsa inuestis & nuda: tanta illam aperti certaminis fiducia tenet.

1. Reg. 17.

net. At veluti Bethleemiticus adoleſcens, ſibi diffidens, in nomine Domini perrexit in hoſtem, nec cominus gladium, ſed eminus expediuit fundam, lapidemq́ue excuſſit in aduerſarij frontem, quo vulnere Goliath corruit, terramq́ue momordit; ita pari induſtriâ cum libidine certandum eſt. Recede ab illa quàm potes longiſſimè, ſenſus occlude, cogitationes aliò diuerte, & lapides potiùs torrentis, (quibus quinque Saluatoris noſtri vulnera deſignantur, quot & Dauid ſibi elegerat, miſeratq́ue in peram paſtoralem) in fundâ cogitationis aſſume, atque illos eiaculare aduerſus hoſtem: attentè inquã myſteria paſſionis Dominicæ peruolue, & cruentæ huic belluæ *ſanguinem vuæ & mori*, id eſt, virtutem arboris S. crucis oſtẽde, vt à te furens recedat. ſtringe ſagittas è pharetra orationis, quò beſtiam hanc ſine vulnere, ſine periculo ſternas: hæc fugâ in fugã vertitur, numquam infirmior, quàm vbi te imparẽ profiteris. Nemo ſecuriùs Sirenum ſcopulos quàm Orpheus præternauigauit; qui Deorum laudes cantans, perniciosum illarum melos confudit, & irritum reddidit. Meditationes enim rerum diuinarum ſenſuum delectationem non tantùm virtute, ſed etiam ſuauitate ſuperant.

Ibidem.

1. Machab. 6.

Qui in arce benè vndique munita obſidentur, meliùs excluſione commeatus, & interceptione neceſſariorum, quàm impetu & illatâ vi expugnantur: ſed nec libidinis frænandæ efficacius remedium eſt, quàm vias ſenſuum inſidere & occludere, incentiua ſubtrahere, humilitati alijsq́ue virtutibus gnauiter operam dare, & quaſi aliud agendo, illam ex inſidijs opprimere. Numquam non periculoſus cum luxuria fit congreſſus. Si cum carbonario in veſte niuea lucteris; etiamſi victor fias, illumq́ue humi proſternas, contrahes tamen maculas: ſic mens ab impura cogitatione fuliginem referet, quantumuis illi non conſenſeris. Vitium nimis immundum eſt, quod ferè ſemper aliquid

labis affricat, cui ſe applicuerit. Iracundia, inquit Seneca, leones adiuuat, pauor ceruos, accipitrem impetus, columbam fuga. Huic tu, ô anima, ſimilis eſto: namque hoc nomine à ſponſo compellaris; fugam arripe, alas veræ fidei &
Cant.2. ſpei explica, atque *in foraminibus petræ* per amorem abſcondere, immorare, quin & immorere vulneribus eius qui *pe-*
1.Cor.10. *tra & lapis eſt angularis.* Iſta cauerna maceriæ te ſecurum reddet, in hoc receſſu non modò latibulum, ſed & refrigerium inuenies. Cauerna, inquit Alanus in Cantica, amplior ſolet eſſe foramine, vnde per foramina perforationes manuum & pedum Chriſti figurantur; per cauernam eiuſdem lateris apertio ſignificatur. Chriſtus autem dicitur petra propter firmitatẽ: maceria, quia ex multis lapidibus, id eſt, fidelibus, myſticè perficitur, quantum ad ſpirituale corpus, id eſt, Eccleſiam. Quoties igitur pugna ab accipitre ingruit, tutò huc columba confugiet. In conflictu periculum, in fuga ſalus: glorioſa fuga à facie peccati.

CA-

CAPVT VNDECIMVM.

§. 1. AVGVSTINVS sub ficu amarissimè plorat; cor eius diuinitus tangitur, atque plenè ad fidem Catholicam conuertitur. Et post sex circiter menses baptizatur.

THEMA CONCION.

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani. Et dilectus, quemadmodum filius vnicornium. Psalm. 28.

AVGVSTINVS constanti iam animi decreto præteritæ vitę sordes eluere paratus, simul etiam certus sæculi vanitatibus nuntium remittere, (neque enim erat iam amplius *sathan vel occursus malus*, quin potiùs elisa & triumphata iacebat omnis tētationum priorum cohors) deprehendit in se horrorem quemdam, auersionemque ab aspera virtutis via. Placebat quidem via, ipse scilicet Saluator, sed ire per eius angustias adhuc pigebat, sensitque propter generosam illam sententiam mutandæ vitæ in melius, inusitatam mentis tristitiam & anxietatem. Hinc primùm in lacrymas, deinde quasi Noë aquis diluuij amarissimis circumdatus, in miserabiles voces erupit. De Noacho quidem scribit Oleaster, illum hoc habuisse in arca solatij, quòd desuper fenestra crystallina pateret, per quam vultum votaque sua ad Deum in illis angustijs posset dirigere. Ad hunc modum & AVGVSTINVS integro contritionis & lacrymarum oceano quasi immersus, nullibi vspiam vbi quiesceret, aut consolationem

3. Reg. 5.

Lib. 8. Conf. cap. 1.

Oleaster in cap. 7. Gen.

 nem

nem acciperet, habuit, nisi in Deo, quem feruidis precibus accedebat. In Iosaphat quoq; Rege Iuda quiddam simile agnosce. Ille cùm vndiq; à filijs Moab & Ammõ premeretur, propriæ infirmitati diffisus, auxilium de cælo implorauit.
2. Paralip. 20 *In nobis quidem*, inquit, *non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus in te.* Obuallabatur AVGVSTINVS ingenti dolorum & amaritudinum exercitu, nec videbatur locus effugij: quapropter quod solum supererat, vocem intendit, Deum
Psalm. 6. gemitibus permouit: *Et tu Domine vsquequo? Vsquequo Domine irasceris in finem?* & cetera quæ sequuntur.

At vnde in AVGVSTINO orta illa procella ferens ingentem imbrem lacrymarum? Ab infinita profectò Dei boni-
Iudic. 6. tate; qui hoc rore quasi ariditatem velleris designans, euidens reconciliationis testimonium dabat. Id quod sibi quo-
Surius in vita S. Catharinæ Senens. que accidisse testatur in vita S. Catharinæ Senensis B. Raymundus Ord. Prędicatorum. Ait enim se initio, cùm venisset ad eius familiaritatem, multis modis de incredulitate fuisse tentatum, diuque quadam fluctuatione iactatum, cùm modis omnibus, quibus id posset fieri, cuperet explorare, num res eius essent à bono vel malo spiritu. Rogabat autem, vt scribit, anxiè Deum, qui nec fallere posset, nec falli, vt ab ipso dirigeretur. Interim subitò ei venit in mentem, si sanctæ virginis precibus obtineret à Domino, insolitam quamdam, & qualem numquam esset expertus, ob admissa delicta contritionem, id ipsi fore signum euidentissimum, à Spiritu sancto omnia illius facta proficisci. Nemo enim potest hunc habere dolorem, nisi à Spiritu sancto. Itaque accessit ad virginem, & eam impensè rogauit, vt à Domino sibi impetraret veniam peccatorum. Illa hilariter respondit se id libentissimè facturam. Addente autem Raimundo, se non posse frui quiete, nisi eius veniæ ac remissionis certum obtineret signum, nempe magnam quamdam &

in-

insolitam contritionem; mox sancta virgo annuit se eam illi impetraturam. Videbatur autem tum Raimundo, eam omnes suas cogitationes habuisse perspectas. Abijt deinde domum, & alterâ die morbo laborans, decubuit. Eodemque tempore etiam sancta virgo febribus & alijs ægritudinibus decumbebat, aitque ad sociam: Eamus visum Fratrem Raimundum, quia malè habet. Illâ respondente non esse necesse, &, si id maximè foret, se peiùs illo valere: mox præter morem celeriter cum socia abiit ad Raimundum, aitque illi: Quid habes Pater? Ille verò præ debilitate ægrè quippiam loqui poterat; sed tamen adhibitâ vi ait, Cur Domina huc venisti? Peiùs tibi est quàm mihi. Illâ incipiente suo more loqui de Deo, & nostra ingratitudine, nonnihil confortatus Raimundus assedit, nihil iam memor hesternæ petitionis suæ, aut sponsionis virginis. Sed cùm illa loqui pergeret, oblata est menti Raimundi hinc quædam insolita consideratio peccatorum, & quàm esset eorum causâ sine dubio reus mortis; è diuerso autem inde cognitio benignitatis diuinæ, quæ eum gratuitâ bonitate ab ea morte liberaret, ipsamque mortem in vitam, & ignominiam commutaret in gloriam, magnam ei spem faciebat. Sub hac contemplatione ille præ multo cordis dolore tantam vim lacrymarum effudit, in eumque rugitum prorupit, vt timeret cor & pectus diruptum iri. Id vt vidit sacra virgo, quæ eâ solâ causâ venerat, conticuit, vt ille vbertim fleret & singultiret. Interim Raimundo rediit in memoriam petitio sua, & promissio virginis: vertensque se ad eam dixit: Estne hæc bulla quam heri petiui? (bullam enim vocauerat certum signum obtentæ veniæ:) illa respondit, Ipsa est, addensque vt memor esset gratiæ Dei, abscessit, magnam illi hilaritatem mentisque serenitatē relinquens. Porrò Avgvstino non tantùm donum contritionis & lacrymarum, veluti quoddam publicum obtentæ veniæ instru-

instrumentum, diuinitus concessum est (est enim longè aliud planeque diuersum, iustificantem Dei gratiam in
Rom. 9. animo experiri, testimonium reddentem quòd simus filij Dei, atque dumtaxat peccatis abstinere) sed cùm necdum omnes animi motus subsedissent, necdum plenè & planè confirmatus esset, quid deinceps facere deberet, cælitus est admonitus. Audiuit enim vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebrò repetētis, quasi pueri vel puellæ: *Tolle lege, tolle lege.* Atque ita prorsus ab illa vehementissima iactatione & anxietate cōualuit. Visa enim est hæc vox instar sagittæ vel scalpri, quo dum medici corpus ægroti secant, æstum cum sanguine minuūt, & sanitati viam præstruunt. Sed potiùs ipsum AVGVSTINVM loquentem & audiamus, & videamus in sequenti Emblemate.

Percus-

Percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te.
Lib. 10. Confess. c. 6.



Vt sanet, sæuit ferroq; atque igne Machaon,
Et medicâ morbum, dum secat, arte leuat:
Voce Dei proles Monicæ perstringitur ægra;
Atque salutiferam noscit amatq; manum.

Arreptis igitur Paulinis epistolis, quas apud Alipium deposuerat, & coniectis oculis ad primum capitulum, quod aperienti codicem sese offerret, legit: *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiã ne feceritis in cõcupiscentijs vestris.* Nec vltrà voluit legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusâ cordi eius, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tantus tam breuis lectionis fructus extitit, vt putet Cornelius Lancilottus his Pauli verbis, ei insinuata & acceptata fuisse consilia Euangelica, quæ sine dubio securitatem illam præstiterunt. Ac in primis paupertatem, quæ opum contemptrix est, omnemque intemperantiam auersatur, his verbis: *Honestè ambulemus non in comessationibus & ebrietatibus.* Castitatem, quæ aduersatur turpitudini, sequentibus: *Non in cubilibus & impudicitijs*: Obedientiam denique quæ alteri cedit, & morem in omnibus gerit, per hæc: *Non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum:* efficiendo nimirum vt is in omni vestra actione se prodat, perque omnem vitam eluceat: verbo enim Induendi, Hebræi copiam significare solent. Vnde Psalmographus significare volens, maximam fore omnium copiam, *Induti*, inquit, *sunt arietes ouium.* Vult igitur, Chrysostomo interprete, nos vndique Christo ita circumdari, sicut vestimento, vt in omnibus eius voluntariam paupertatem, perpetuam castitatem, integram obedientiam, aliasque virtutes heroicas exprimamus, omnesque tum interiores, tum exteriores actus nostros in ipsum dirigamus.

Rom. 13. Lib. 1. vitæ S. P. August. cap. 37. Psal. 64.

Quis prohibeat hîc exclamare cum Dauide: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri?* At quo pacto magnus & laudabilis nimis? *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion: latera Aquilonis ciuitas regis magni.* Ab Aquilone panditur omne malum. Latera igitur Aquilonis sunt

Psal. 47. Ierem. 1.

peccatores, qui diabolo minitanti se ad Aquilonem sessurum, adhæserunt: quicumque enim alicui cohærent, latera ipsius dicuntur: hi ergo dum ad Deum sese conuertunt, magnum quasi reddunt & laudabilem nimis, quòd illorum misertus tam vilia membra non respuat, sed ciuibus suis adscribat. Repeto, *magnus Dominus, & laudabilis valdè*, qui AVGVSTINVM per aquam & ignem eduxit in refrigerium, per aquam contritionis, per ignem charitatis.

Augustinus.

Psal. 65.

Per aspera ad suauitatem diuinæ consolationis eluctandum est.

NEque enim ad tranquillitatem animi, & altum pacatæ mentis gaudium, nisi per aspera & inamœna lacrymarum & contritionis scanditur. Cuius ecce tibi adumbratam figuram in Ionatha Saulis filio. Ille extendit summitatem virgæ quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis. Per virgam castigatio atque seuera increpatio, quâ Nemesis cælestis peccatores vrget, designatur; per fauum mellis, non gustari cælestem dulcedinem, nisi asperitas correctionis & dolor antecesserit. Non gustauit diuinum illud mel AVGVSTINVS, nisi os faciemque lacrymis ablutus: vt nec extra propositum vsurpare illud Iobi potuerit, *Antequam comedam, suspiro.* Nam, vt inquit Gregorius, qui se in hoc exilio per desideriorum cælestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat: à veritatis enim pabulo ieiuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. Argutè obseruat Chrysostomns, Eliam priùs aquam quàm panem à vidua Sareptana petijsse, ait enim primò: *Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam*: deinde, *Adfer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua.* Non dixit, Da mihi panem, sed, Da mihi aquam. priùs enim aquam petijt, coniecturâ colligens, quòd, si aquæ paullulum habuerit, possit & panis habere. Factum igitur bonum, quòd AVGVSTINVS priùs ægrimoniæ & doloris aquas possederit

1. Reg. 14.

Iob 3.

3. Reg. 17.

rit, per quas ad suauissimum cælestis pabuli gustum transiturus erat. Quemadmodum illi, qui flatu ignẽ accendunt, priùs fumo cruciantur, & sæpè oculis tantopere dolent, vt lacrymæ profluant; sed si flando perseuerauerint, tandem flammã suscitant è prunis ardentibus; ita & illum oportuit (quia *Deus noster ignis consumens est*) nebulâ primũ amaritudinis obtegi, fumo lacrymosoq; imbre perfundi, dum precibus veluti flatu apud Deũ instat, atque ignem mutui amoris conatur accẽdere. Et quãuis hæc fortè plus satis sint ad claram conuersionis sanctissimi viri cognitionem; quia tamen mihi necdum satisfeci, libet huius rei seriem ab ipso AVGVSTINO contextam subiungere, vt ne Lector potioribus frustretur, si Confessionum libri non sint ad manum. Vbi verò, inquit, à fundo arcano, alta consideratio contraxit & congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei; aborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Et vt totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio. Solitudo enim mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur. Et recessi remotiùs, quàm vt posset mihi onerosa esse etiam eius præsentia. Sic tunc eram, & ille sensit nescio quid. Aliquid enim, puto, dixeram, in quo apparebat sonus vocis meæ iam fletu grauidus, & sic surrexeram. Mansit ergo ille, vbi sedebamus, nimiè stupens. Ergo sub quadam fici arbore straui me, nescio quomodo: & dimisi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: *Et tu Domine vsquequo? Vsquequo Domine irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Sentiebã enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles, *Quamdiu, quamdiu, Cras & cras? Quare non modò? quare non hac horâ finis turpitudinis meæ?* Dicebam hæc, & flebam amarissimâ contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebrò repetentis, quasi pueri,

Deut 4.
Lib. 8. Conf. cap. 12.
Psalm. 6.
Psalm. 12.
Psalm. 78.

an puellæ, nescio: *Tolle lege, tolle lege.* Statimque mutato vultu, intentissimus cogitare cœpi, vtrumnam solerẽt pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino audiuisse me vspiam. Repressoque impetu lacrymarum surrexi, nihil aliud interpretans, nisi diuinitus mihi iuberi vt aperirem codicem, & legerem, quod primum capitulum inuenissem. Audiueram enim de Antonio, quòd ex Euangelica lectione, cui fortè superuenerat, admonitus fuerit, tamquam sibi diceretur quod legebatur: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis: & veni, sequere me*; & tali oraculo confestim ad te esse conuersum. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cùm inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quò primùm coniecti sunt oculi mei: *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs vestris.* Nec vltrà volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interiecto aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, & tranquillo iam vultu indicaui Alipio. At ille quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicauit. Petit videre quid legissem, ostendi; attendit etiam vltrà quàm ego legeram: & ignorabam quid sequeretur. Sequebatur verò: *Infirmum in fide recipite.* Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Sed tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono, congruentissimo suis moribus, quibus à me in melius iam olim valdè longeque distabat, sine vlla turbulenta cunctatione coniunctus est.

Matth. 19.

Rom. 13.

Rom. 14.

Histo-

Historia conuersionis S. AAGVSTINI *cum breui Chronologia.*

PRo coronide huius capitis & libri, obserua AVGVSTINVM, licèt iam prorsus esset conuersus ad Deum, nec solùm inter catechumenos, qui Auditores, siue Audientes, vocantur, eò quòd conciones quidem audiant, & Christiani fieri velint, sed necdum baptizari; verùm inter Competentes, siue Electos censeretur, vel fortassis etiam inter iustificatos. Certum enim & Catholicum dogma est, vt Suarez ait, ad remissionem peccatorum sufficere catechumeno contritionem cum voto baptismi, absque reali susceptione Sacramenti; quod nihilominus suscipiendum est, non ratione peccati, quod iam non ampliùs existit, sed præcepti, quo lex Euangelica nos obstringit: *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Obserua, inquam AVGVSTINVM, licèt sic iam esset dispositus, non statim post perfectæ charitatis actum fuisse baptizatum, sed ob rationes distulisse. Primò quidem, quò percipiendæ Christianæ gratiæ se magis redderet idoneum: deinde, vt hominum sinistra de se iudicia, qui ei liberos suos erudiendos commiserant, neque facilè dimitti volebant, declinaret, eriperetque maleuolis occasionem blasphemandi bonum eius, in diminutionem quamdam honoris Dei, quasi ex typho arrogantiæ paucis, id est viginti, diebus ante solemnes vindemiales ferias, professione se abdicaret. Vt ergo omnium ora clauderet, neque videretur magnus statim haberi voluisse, iudicauit tantisper exspectandum: potissimùm tamen, sicut dixi, vt se magis ad tanti Sacramenti susceptionem disponeret, & pulmonibus deinceps parceret quorum dolore ex nimio loquendi conatu tenebatur. Quòd si quis interim voluerit contendere, nec his de causis tam necessarium Sacramentum differendum fuisse; fatetur, (quæ eius humilitas est) se peccasse, & sperare misericordissimum Do-

Raban. lib. 1. de instit. clericor.

Tom. 3. in 3. p. d. 27. sect. 2.

Ioan. 3.

Lib. 9. Conf. cap. 2. & 3.

Dominum hoc peccatum cum ceteris in aqua ſancta abluiſſe, & remiſiſſe. Tolerauit igitur fortiter illud temporis ſpatium donec decurreret, etiam cum pectoris dolore, & difficultate reſpirandi, eoque grauiùs quo ardentiùs expediri deſiderabat: & quia iam cupiditas receſſerat, quæ ſolebat illi leuius reddere negotium; ſolum reſtabat patientiæ exercitium. Noluit tumultuariè abrumpere, ſed lentè ſubtrahere miniſterium linguæ ſuæ: atque ſine vllius offenſione, paucorumque ſcitu, quid animo volueret, effectum dare. Ergo ne quis à fide Chriſtiana alienior remoram inijceret, ſpartam illam tandem deſeruit, atque rus Caſſiacum, cuius copiam Verecundus amicus beneuolè faciebat, abijt, vt ab æſtu ſæculi requieſceret. Verecundus tum necdum ſalutari aquâ ablutus erat, voluiſſetque cum AVGVSTINO Chriſtianus fieri, ſi licuiſſet vxori nũtium remittere, & deinceps cælibatum colere, licet poſteà albo Chriſtianorum inſcriptus ſit, defunctoque AVGVSTINVS precari voluerit pro breui vſu ruris Caſſiaci amœnitatem ſemper virentis paradiſi.

Cum AVGVSTINO abierunt mater ipſius Monica, Alipius, alijque: inter quos fuiſſe Adeodatum filium, Nauigium fratrem, Trigetium, & Licentium ciues & diſcipulos, Lacidianum, & Ruſticum conſobrinos illius, item Euodium, ipſe alibi ſignificat. Ibi ergo vſque ad proximum Paſcha vt minimum hæſerunt: atque interea AVGVSTINVS libros contra Academicos Mediolani inchoatos in manus ſumpſit: & inter illos ſcripſit librum de Beata vita, occaſione diei natalis ſui, qui vindemiæ tempus immediatè ſequebatur, (incidebat enim in Idus Nouembris,) atque tridui diſputatione completus eſt. Duos etiam libros de Ordine, in quibus magna quæſtio verſabatur, vtrùm omnia bona & mala diuinæ prouidentiæ ordo contineat; deinde etiam Soliloquia inchoauit. Præterea per idem tempus addictiſſimus lectioni & meditationi Pſalmorum fuit, atque

Lib. 2. cont. Academ. cap. 7. Lib. de ordine cap. 2. & lib. de vita beata.

atque congruâ ad conuersionem suam methodo, quartum explanauit. Odontalgiâ ibidem decubuit, & quidem adeò vehementi, vt doloris magnitudo illi linguæ vsum eriperet, & necesse fuerit sensa mentis stilo in cera exprimere: sed per fidelium orationes miraculosè sanitati restitutus est. Multas præterea litteras, tum ad Nebridium, aliosque amicos, tum etiam ad Mediolanenses scripsit, vt sibi de alio venditore verborum, (sic eloquentiæ professorem appellat) prospicerent: cùm ipse prætexeret, qui verè illi acciderat, pectoris dolorem, & respirandi difficultatem. Similiter insinuauit per litteras viro sancto, Ambrosio, pristinos errores, & præsens votum suum, vt moneret quid potissimùm de libris sanctis legendum esset, quò percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fieret. At ille iussit Isaiam Prophetam, quòd præ ceteris Euangelij vocationisque Gentium sit prænunciator apertior. Verumtamen ille primam huius lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, distulit repetendum exercitatior in Dominico eloquio. Inde verò vbi tempus aduenit, quo eum nomen dare oportebat, relicto rure, Mediolanum remigrauit: atque tempore Paschali, teste Possidio, vnà cum Alipio & Adeodato filio solemni ritu à S. Ambrosio baptizatus est, effusâ totius Ecclesiæ lætitiâ, exultantibus bonis, frendentibus hæreticis, indignantibus Paganis.

Lib. 9. Conf. cap. 5.

Ibidem c. 6.

Quin & ipsi Cælites dare manifestum lætitiæ signum visi, missis tribus legatis, inter quos SS. Geruasius & Protasius, qui circa id tempus D. Ambrosio apparuerunt, atque vbi corpora sua reconderentur, indicarunt. Et quamuis nemo ambigat de baptismo ab Ambrosio collato, libet tamen ipsius AVGVSTINI verba, vbi agit contra Iulianum Pelagianum, adscribere, quibus id muneris à tanto viro sibi collatum magnopere celebret. Adhuc audi, inquit, alium excellentem Dei dispẽsatorem, quem veneror vt patrem: in Christo enim Iesu per Euangelium ipse me genuit, &

Ibidem c. 7.

Contra Iulianum, lib. 1. cap. 9.

1. Cor. 4.

eo Christi ministro lauacrum regenerationis accepi; beatum loquor Ambrosium, cuius pro Catholica fide gratiam, labores, pericula, siue operibus, siue sermonibus, & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicator Romanus. Iam verò celeberrimum illum hymnum, *Te Deum laudamus*, per id tempus à SS. Ambrosio & AVGVSTINO compositum, quem alternis vocibus felicissimâ extemporalitate, supernè afflati, obeundo viam publicam, cecinerunt, ex more, quo recèns baptizati pompâ solemni in supplicatione circumducebantur, varij Auctores asserunt, estque constans in Ecclesia traditio, quæ & quotidianum huius vsum lætiori anni tempore retinuit.

Contigit autem id anno ætatis AVGVSTINI trigesimo tertio, cùm enim, teste Baronio, natus sit anno à partu Virginis CCCLV. die Nouembris XIII. & baptizatus CCCLXXXVIII. quinta die Maij, quando Martyrologium Romanum anniuersarium conuersionis ipsius diem commemorat; intercedunt anni triginta tres; nisi quis vtriusque computus Ecclesiastici rationem habeat, illius in quo iam annum à principio Ianuarij auspicamur, & istius antiqui, quo Pascha initium anno dabat: ita vt posteriori hoc modo ipsum Pascha AVGVSTINO initium fuerit anni ætatis 34. cùm tamen nondum trigesimum tertium explesset. Alioquin hîc hæret mihi aqua, velimque Alexandrum dari qui nodum hunc gladio expeditioris ingenij secet. Ex annis autem illis triginta tribus, totis nouem adhæsit Manichæis, feruideque sectam illam propugnauit: ab anno scilicet ætatis decimo nono, biennio post mortem patris sui Patritij, vsque ad vigesimum octauum. Intra quod tempus Româ Mediolanum ad professionem Rhetorices, adnitentibus Manichæis, accitus est. Tribus deinde alijs annis alieniori ab ipsis animo fuit, & Philosophos præ illis coluit. Vniuersim duodecim anni, vt ipse ait, fluxerunt, ex quo vndeuicesimo anno ætatis suæ, lecto Ciceronis Hortensio,

Scaliger l.1. de emendat. temp.

Lib.5. Conf. cap.13.

Lib.8. Conf. c.7.

tensio, excitatus fuerat studio sapientiæ, licèt distulerit, contemptâ felicitate terrenâ, ad eam inuestigandam vacare. Placuit porrò illi præ reliquis doctrina Platonis, apud quem postea deprehendit non pauca extare fidei Christianæ conformia; sed cùm nec ibi plenam veritatem, quam auidissimè sitiebat, inuenisset, voluisset quidem se Academicis, qui nihil firmè statuunt, sed omnia tantùm in vtramque partem ventilant, adiungere, si in illorum libris inuenisset salutiferum Christi nomen: verùm quia illud, quemadmodum & ipsa veritas, aberat, numquam in Academicorum verba iurauit; sed triennio integro quasi dubitantij vitam egit professione Philosophus. Tandem ergo desperatione inueniendæ veritatis adactus, statuit in Ecclesia Catholica, in qua à parentibus constitutus erat, tamdiu permanere, donec certi aliquid illucesceret, quò cursum dirigeret. Ac proinde anno ætatis suæ 31. catechumenis adiungitur, sed, vt suprà distinxi, audiētibus; donec sub finem biennij, id est, initio Septembris, aut circiter, anni Dominici CCCLXXXVIII. plenissimè ad Deum conuersus est sub ficu, & anno sequenti, festis Paschalibus, aquâ salutis tinctus. Atque hæc temporis est series, quam ex libris Confessionum optimâ fide, & non oscitanti lectione (ni fallor) eruere potuimus. Si quis meliora deprehenderit, optimo, quo par est, affectu his nostris relictis, amplectemur. Lib. 5. c. 14.

§. 2. *Quæ nobis sæpè videntur fortuita qualis erat* AVGVSTINO *codicis apertio, destinato Dei consilio, in salutem electorũ fiunt.*

QVotquot ferè hactenus conciones, siue tractatus, de S. AVGVSTINO ediderunt, attentiori meditatione, ad caput illud vltimum libri octaui, quasi de industria, obhæserunt, atque alij alia ad mores transtulerunt. Lancilottus noster, cur potiùs sub ficu, quàm alia quauis arbore, sederit fleueritque, non inelegantes rationes adfert. Non pauca etiam habent super alijs atque alijs materijs B. Tho-

Dominica IV. post Pentecosten.

Lib. 1 vitæ S. Augustini cap. 35.

mas Villanouanus, Valderama, Valadier, Osorius, alijque plures. Sunt quoque loci egregij morales, de vtilitate lectionis spiritualis; item secessûs à turbis sæcularibus, vt liberiùs Deo & nobis vacemus: de paucitate amicorum, qualis AVGVSTINO Alipius fuit, qui solitudinem nõ minuant: de cura & gaudio Angelorum super conuersione peccatorum. Et ne hîc asymboli simus, pauca de fortuita libri apertione dicamus: quòd illa quæ nobis sæpè videntur merâ sorte accidere, rato Dei consilio accidant. Nam si propiùs omnia inspiciamus, nihil fortuitò agitur; sed etiam minutissima quæque supernæ illi Prouidentiæ substernuntur, & in quam partem illa iusserit, inclinant.

Fortuitum alicui videri poterat, quòd AVGVSTINVS aperiens codicem Apostolicum, in illa verba, *Non in comessationibus*, &c. inciderit; sed hæc lectio omnem illi prioris vitæ solicitudinem ademit, consilia Euangelica suggessit, quibus voto desiderioque apprehensis, se fluctuationi expedire, gradumque posset figere. Quis verò hoc potuit nisi Deus, lectione illâ mediante? S. Ephrem cùm aliquando singulari quodam instinctu ad pietatem maiorem, sublimioremque vitæ sanctæ philosophiam amplectendam moueretur, eoque studio Edessam tenderet; sic secum dixit, Deumque precatus est: Iesu Christe omnium Domine concede, vt ego Edessam ciuitatem ingrediens in talem virum statim incidam, qui sit idoneus ad disserendum mecum de ijs quæ ad animæ ædificationem pertineant & vtilitatem. Et cùm sic orasset, atque ad portam ciuitatis peruenisset, cœpit cogitabundus secum attento solicitoque animo expendere, quomodo virum illũ optatum accederet, & quænam ex illo ad maiorem vtilitatem, vitæque perfectionem esset interrogaturus. Dumque sic cogitabundus incederet, ecce tibi mulier quædam leuicula & meretrix, in ipso portæ introitu, sancto Ephrem facta est obuiàm. Cumque defixis in eam oculis, quasi emotæ mentis, subsisteret; & tristis

Rom. 13.

Vitæ Patrũ. l. 1. Vitæ eius cap. 4.

pertur-

perturbatoque animo torqueretur, quòd non vt precatus fuerat, ſed contrarium potiùs votis ipſius accidiſſet; cœpit & illa eum ſic ſtantem acerrimo obtutu contemplari. Poſtquam verò ſic diu ſe inuicem adſpexiſſent, Ephrem volens eam pudore afficere, & ad verecundiam quæ mulieribus conuenit, adducere; Quid verò, inquit, non erubeſcis mulier, tam fixis oculis nos intuens? Illa autem: Mihi, inquit, conuenit te ſic adſpicere: ex te enim ſumpta ſum, & tuo latere. te verò, non nos, ſed terram potiùs oportet adſpicere, ex qua ipſe ſumptus es, & in quam rurſus reuerteris. Hæc cùm audiſſet Ephrem, præter omnem expectationem, & mulieri faſſus eſt magnas ſe habere gratias, propter eam quã ab ipſa acceperat vtilitatem, & Deo acri emiſit ſtudio gratiarum actiones; qui per ea quę præter ſpem accidũt, ea ſæpè poteſt facere quæ ipſam ſpem ſuperant: & quæ nullâ ferri lege videbantur, in certũ & ſalutarem hominibus dirigit finẽ. A caſu quoq; hoc eſſe alius quiſpiã dixiſſet, quòd S. Antonius animo voluens quomodo Apoſtoli omnibus ſpretis ſecuti fuiſſent Saluatorem, & multi facultatibus ſuis venditis, pretia ad eorũ pedes tuliſſent egentibus partiẽda; quæúe aut quanta ſpes iis repoſita eſſet in cælis, templum intraret, & tunc Euangeliũ legeretur, in quo Dominus dicit ad diuitem: *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæcumque habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cælo.* Veluti & hoc ſæculo plurimi, quia caſu tantùm accidere exiſtimant, vt Concionatores vlcus eorum tangant; nihil mouentur ad ſalutaria, excludunt à corde ſuo vocem Dei loquentis per os ſacerdotis, excipiunt quaſi ab apparatu eloquentiæ foret, telum quo feriuntur, & non à Deo; quaſi timeant ab ipſo ſanari. Sed non ita Antonius, qui audito oraculo Euangelico, quaſi diuinitus huiuſmodi antè memoriam concepiſſet, & veluti propter ſe hæc ſcriptura eſſet recitata, ad ſe Dominicum traxit imperium, ſtatimque regreſſus, poſſeſſiones quas habebat vendidit. Non

Athanaſ. in vita eius c. 2. Matth. 19. Act. 4.

Matth. 19.

ita S. Nicolaus Tolentinas; qui cùm fortè audiſſet Auguſtinianum concionatorem diſſerentem ſuper illo S. Ioannis
1. Ioan. 2. dicto: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt*; mundi rebus renuntiauit, atque eumdem Ordinem ingreſſus, vitæ ſanctitate, & miraculorum gloriâ floruit. Non ita Babylas mimus; qui audiens legi in eccleſia verſum hunc ex
Matth. 4. Euangelio: *Pænitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum*, à luxurioſa vita ad continentiam tranſijt. Non denique S. Franciſcus; qui dum ex Euangelio pauca verba
Matth. 10. pronuntiari audiuiſſet: *Nolite poſſidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis veſtris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*, eam ſibi regulam, velut Dei monitu ſeruandam propoſuit. Quòd enim hoc ex Dei beneplacito fieret, rei probauit euentus. nam in Ordinis Seraphici exordio, aliqui non infimæ notæ S. Franciſcum nimij rigoris accuſabant, atque in Capitulo generali pro relaxatione quadam inſtabant. At ille ſuorum querelas ad dictatorem & inſpiratorem Regulæ Chriſtum detulit; reſponſumque eſt cælitùs: *Ad litteram, ad litteram*, ſcilicet omnia obſeruanda, nihil gloſſematis interpolandum.

Non eſt cur non à Deo eſſe diceret Clodouæus, primus
Gregorius Turonenſ. Galliarum rex Chriſtianus, quòd illi, quos ad baſilicam S. Martini Turonenſis cũ muneribus loco ſancto exhibendis miſerat, ſi fortè aliquod victoriæ auſpicium ab æde ſancta ſuſciperent, (meditabatur enim tum, comparato exercitu, Arianos ex Gallia profligare) renuntiarent ſe audi-
Pſalm. 17. uiſſe in ipſo baſilicæ ingreſſu hanc antiphonã cantari: *Præcinxiſti me, Domine, virtute ad bellum: ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me; & inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.* Etenim reuerâ huius euentus auctor fuit Deus, qui ſolus ita legatorum iter moderari poterat, vt hoc potiùs quàm alio temporis puncto adeſſent: & ſicuti ſolus victoriam in manu habet, & cui voluerit, dat illam; ita dedit Clodouæo non ſine euidenti teſtimonio

nio miraculi. Fortuita quoque & incerta lectio eunucho Candacis reginæ censeri poterat, nisi, Deo omnia moderante, hac occasione illuminatus, conuersus & baptizatus fuisset, & Æthiops mutasset pellem suam. Vnius etiam prouidentiæ diuinæ fuit, vt Isaiæ potiùs, quàm alium quemlibet sacrum librum euolueret, illíque occurreret locus expressissimus de morte Saluatoris, cui meditabundus & cognoscendi auidissimus inhæreret. Historia sic habet: *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens: Surge, & vade contra meridianum ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta. Et surgens abijt. Et ecce vir Aethiops, eunuchus potens Candacis reginæ Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem, & reuertebatur sedens super currum suum, legensq́ Isaiam Prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis quæ legis? Et ait: Et quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitq́ Philippum vt ascenderet & sederet secum. Locus autem Scripturæ quam legebat, erat hic: Tamquam ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius? Respondens autem eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum: & incipiens à Scriptura ista, euangelizauit illi Iesum: & dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam: & ait Eunuchus; Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam, Philippus & eunuchus, & baptizauit eum. Cùm autem ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto, & pertransiens euangelizabat ciuitati-*

Act. 8.

Isa. 53.

tatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

Et meâ quidem ſententiâ, non modò non inconſultum, verùm etiam pium & laudabile exercitium fuerit, ſi quando mœrore affligimur, calumniâ mordemur, morbo aliâque aduerſitate premimur, hoc pacto oportuna & ſalutaria conſilia monitaq; venari, & librum aliquem pium, putà Breuiarium, Officium B. Virginis, Thomam à Kempis de Imitatione Chriſti, vbicumq; ceciderit, aperire; atque ſecundùm id quod primùm in oculos incurrerit, diuino beneplacito nos magnâ animi ſubmiſſione adtemperare. Librum quidem ſeruus Abraham non aperuit, non tamen abſimili ratione voluntatem Dei explorauit: ſunt enim omnium noſtrûm *ſortes in manu Dei,* & cùm illi libuerit, ſinit vt candidam proſperamque ex vrna educamus. Mittebatur in Meſopotamiam, iuramento obſtrictus vt Iſaaco domini ſui filio vxorem quæreret in cognatione Abrahæ: cumque longum iter emēſus, veniſſet *ad vrbem Nachor, & camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ veſpere, tempore quo mulieres ſolent egredi ad hauriendam aquam, dixit: Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam, & illa reſponderit. Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipſa eſt quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac: & per hoc intelligam quòd feceris miſericordiam cum domino meo. Necdum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in ſcapula ſua, puella decora nimis, virgoq́ pulcherrima, & incognita viro. Deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. Occurritq́ ei ſeruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ reſpondit: Bibe domine mi, celeriterq́ depoſuit hydriam ſuper vlnam ſuam, & dedit ei potum. Cumq́ ille bibiſſet, adiecit: Quin & ca-*

Pſalm. 30.

Gen. 24.

camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundensq́; hydriam in canalibus, recurrit ad puteum vt hauriret aquam, & haustam omnibus camelis dedit. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrùm prosperum iter suum fecisset Dominus, an non? En quemadmodum admirabili Dei prouidentiâ, & votum ipsius Abrahæ impletum sit, & quam sibi seruus eius præstituerat, rata sit facta conditio. Dixerat ei Abraham: *Dominus in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, & diriget viam tuam:* & serui desiderium iuxta iudicium quod sibi de futura vxore formauerat, protinus adimpletum est. Similiter Ionathas Saulis filius omen sibi fore cæleste statuit, si Philistæi ad ascensum inuitarent. *Stemus*, inquit ad armigerum, *in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. hoc erit nobis signum.* Dato signo vsus est, subsecutaque hostium strages indicio fuit, non frustra hanc belli tesseram assumptam, quam diuinitus concessa victoria approbauit. Hoc est igitur quòd, dum aduersum aliquid vel in anima vel in corpore patimur, adeò molestè feramus, quia plerumque id vel hominum nequitiæ, vel loci incommodis, vel aëris intemperiei, alteriúe causæ fortuitæ adscribimus, laturi æquanimiter, si cuncta ab immensa Dei prouidentia dependere, ab optimo in optimum finem dirigi cogitaremus.

1.Reg.14.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

§.1. AVGVSTINVS fide illuſtratus, & aquâ ſalutis tinctus, primùm omnium in laudes omnipotentis Dei, & admirationem operum eius erupit.

THEMA CONCION.

Scitis quoniam, cùm Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes. Ideò notum facio vobis, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. 1. Cor. 12.

Dominica XI. poſt Pentecoſten Exod. 14. PERSEQVEBATVR Pharao rex Ægypti Iſraelitas tantâ pertinaciâ, vt etiam ignoto itineri ſe crederet, & quò illi ductu Dei præceſſerant, ſequi ſuis auſpicijs auderet, ſecurus fluctuum vorticumque, qui vtrimque ſibi ſuiſque impendebant. At *reduxit*
Exod. 15. *ſuper eos Dominus aquas maris, ſubmerſiq; ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Et quò miraculum hoc manifeſtius euaderet, oſtendit Deus cadauera, & opima ſpolia Ægyptiorum, eiecitque in littus Arabiam verſus, vt Hebræi colligerent. Viſus ſanè eſt in hac re facere, quod matres ſolent, quæ vt liberis timorem incutiant, proferunt aliquam laruam: quâ ſi viderint nimiùm percelli, ſtatim deponunt, monſtrantque nihil eſſe præter chartam pictam, & humi abijciunt, pedibusque proterunt. Ita enim Deus paſſus quidem eſt vt Pharao magno armorum fragore Hebræos perſequeretur, terribilique ſpecie appareret; ſed vt vidit terrore perculſos, Pharaoni laruam detraxit, rotás curuum excuſſit,

cuſſit, terræ alliſit, totumque exercitum aquis obruit ac protriuit. Intereà Moyſes euchariſticum carmen expediuit, omnemque ad illud decantandum plebem exhortatus eſt. Præcinebat ipſe cum viris, Maria ſoror eius aliæque mulieres alternatim reſpondebant. Reſonabat magnificus ille hymnus, *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem eius deiecit in mare*, &c. totis caſtris, omniaque iubilo complebantur. Et nónne huius figuræ myſterium cernitis etiam in baptiſmate AVGVSTINI, luculenter adimpletum; quodque Hebræis corporaliter exhibitum eſt, illi ſpiritualiter accidiſſe? Mare rubrum baptiſmum ſignificat, qui ſanguine Chriſti conſecratus rubet: Iſraelitæ, catechumenos, atque inprimis AVGVSTINVM, quem dum per baptiſmum ſuum Chriſtus traijcit, omnia peccata eius, tamquam hoſtes inſequentes, occidit, non aliter atque in illo mari omnes Ægyptij perierunt. Atque ille victor, quaſi ſpolia de hoſtibus legens, peccato & diabolo inſultat, & quas poteſt, quà publicè, quà priuatim gratiarum actiones Deo perſoluit.

Ibid.

Aug. tract. 11. in Ioan.

Neque enim Hymno illo, *Te Deum laudamus*, ſatiatus eſt (quem vt ſuprà diximus enthuſiaſmo abreptus cecinit) ſed templi penetralibus vix abſcedebat, quin potiùs totos dies meditationi intentus, Pſalmos maximo pietatis ſenſu decantari, quibus diuina Maieſtas ſeu laudatur, ſeu propitia redditur, audiebat. Aſcendensque à conualle plorationis, cantabat Canticum graduum. Quod quidem Canticum ſic dictum eſt, quòd, quotieſcumque Iudæi ſeſe ab hoſtibus in priſtinam libertatem vindicaſſent, pro gratiarum actione cani ſolitum fuerit, veluti apud alias nationes Pæan; ritu, quia quindecim Pſalmis particularibus conſtat, aſcendendi paulatim, quaſi per gradus, verſus Ieruſalem in editiori loco ſitam. Ad hunc igitur Iudaicum morem Pſalmos ipſe quoque canebat, in gratiarum actionem, & memoriam tanti beneficij, quòd Deus eum de grauiſſima peccati ſer-

uitute, deque tot erroribus vitæ pristinæ in libertatem Christianam & portum salutis asseruisset. Ita vt cantare Canticum graduum propriè nihil sit, nisi Deo pro perceptis beneficijs gratias agere; Ascendere verò à conualle plorationis, idem quod vitam emendare, & pro admissis culpis lacrymas fundere.

Vide Lancilottum l. 2. vitæ Augustini c. 3.

Quatuor itaque sunt, quæ nos extra ingratitudinis culpam ponunt, memoria, amor, seruitus siue obsequium, & perpetua cum gratiarum actione laus: quæ omnia in AVGVSTINO adfuisse consideranti manifestò liquebit. Nec satiabar, inquit, illis diebus, (quibus recèns baptismum receperat) dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij tui, super salutem generis humani. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suauè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.

Lib. 9. Conf. cap. 6.

Faciebat nempe AVGVSTINVS, quod Apostolus Corinthijs scribebat, atque pro themate concionis posuimus, vt non tantùm non ampliùs dicerent *anathema Iesu*, id est, fidei eius renuntiarent, nomenque sacrosanctum execrarentur, quemadmodum multos fecisse scribit Plinius: Propositus est, ait, libellus multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos aut fuisse, cùm præsente me deos appellarent, & imagini tuæ (quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri) thure ac vino supplicarent: præterea maledicerent Christo. quorũ nihil cogi posse dicuntur, qui sunt reuerâ Christiani: ergo dimittendos putaui. Alij se Christianos, fuisse dicunt, sed esse desiisse. Hi omnes imaginem tuam, & deorum simulacra venerati sunt, & Christo maledixerunt. Hactenus Plinius. Sed potiùs Iesum agnoscerent & inuocarent, quasi auctorem gratiæ, salutis, omniumque donorum spiritualium, atque hac de causa assiduè

1. Cor. 12.

Epist. ad Traianum.

gratias

gratias agerent: hoc enim videtur D. Paulus per Miosin intelligendum reliquisse.

Rursus, cùm AVGVSTINVS Cassiaci se in virtutibus Christianis ac baptismi veluti tirocinio exerceret, quàm delectabatur & inflammabatur lectione sacrorum voluminum, præcipuè Psalmorum Dauid, quos toto orbe recitari vehementer optabat contra humanam superbiam, quæ turgidum orationis genus æstimat, sed veritate destitutum, quæ in simplici Psalmorum stilo reperiebatur. Namque vt Euripides ait:

Est veritati sermo simplex condecens.

Optabat Manichæis, vt Sacramenta & medicamenta illa salubria intelligerent, & experirentur, quæ quia insani, refugiebant. Consule si placet lib. 9. Confessionum cap. 4.

Deinde magnos aliquot heroas, Dauidem, Debboram, Annam matrem Samuelis, Zachariam patrem Ioannis Baptistæ, in hoc AVGVSTINVS imitatus est, quòd singulari Dei beneficio, iam Christianus effectus, nouum hymnum composuerit. Et nos adeò nihil noui pro innumeris beneficijs exsoluimus, vt etiam veteres gratiarum actiones reticeamus. Porrò illud habuit cum omnibus omninò iustis commune, quòd illicò proruperit in laudes Dei, baptismate donatus: sunt enim iusti, si fas sit dicere, gallinis similes, quæ quoties bibunt, toties cælum suspiciunt, atque beneficij auctorem rememorando quasi venerantur: ita & ipsi nullo à Deo beneficio donantur, quin ad illum per gratiarũ actiones recurrant; contrà atque impij, qui instar porcorum glandes è quercu excussas vorant cum grunnitu, sed ne vel semel respiciunt vnde tam largiter pascantur. Hæc tamen, inquit Seneca, inter duos beneficij lex est: alter statim obliuisci debet dati, quod de Deo probat S. Iacobus: quia si postuletur *sapientiam, dabit omnibus affluenter, & non improperat*; alter accepti numquam, sed quantum potis est, gratias refundere. Refundet autem, etiamsi tantùm sinceram &

In tit. Psalmor. Iud. 5. 1. Reg 2. Lucæ 1.

Lib. 2. de benef. cap. 2. Iacob. 1.

integram voluntatem habuerit, huius non alium quàm seipsum habeat testem.

Hoc ergo discamus, & altè memoriæ infixum geramus, vt excitati à somno, quot-diebus gratiarum actioni instemus, quasi recenter editi in lucem, veluti AVGVSTINVS in gratiam. Quid enim lectulus nisi vterus quidam maternus, qui nos vsu sensuum destitutos fouet ac reficit, atque mox in mundum, ostensuros palàm nos viuere, effundit? Ille maternis egressus ergastulis per Sacramentum baptismatis, pensum hymnidicum persoluit; nos quia quotidie è lecto quasi renascimur, quotidie gratias referamus.

§.11. *Præstantissimum medium est, ad acquirendam in bono proposito perseuerantiam, quotidiana pro beneficijs acceptis gratiarum actio.*

DOMINICA XIII. post Pentecost.

QVanti hæc referat post beneficia, inde patet, quòd perseuerantia in bono adiuuet, & illius sit quasi sedula mater ac nutrix. Quos enim vocatione suâ sanctâ videris excidere; obserua an non priùs turpem incurrerint ingratitudinis notam: eò quòd scilicet primum statum suum nihili, deinde vili-penderint, mox etiam odio habuerint: &, quod caput rei est, gratiarum actionem neglexerint. Verè enim de pluribus tum Religiosis, tum Clericis, alijsque hominibus, dixeris quod Virgilius de agricolis ait:

Felices nimiùm sua si bona norint,

id est, intelligant, & æstiment ingens illud sibi collatum à Deo vocationis beneficium; idque quotidianâ gratiarum exhibitione testentur. Sed prô dolor! quia aliqui nec sorte suâ contenti viuunt, nec gratitudinis affectum erga Deum ostendunt, sæpè amittunt coronas suas, turpique casu corruunt. Huius rei illustre exemplum sunt leprosi à Saluatore nostro mundati, qui cùm iussu ipsius irent ad sacerdotes, atque inter eundum sanarentur, nouem ex illis beneficij accepti immemores, redire ad cælestem medicum gratiasque

que agere omiserunt. & quid dicemus, nisi eos, vt fidem in Christum, ita & sanitatem rursus amisisse? vtpote qui Dominum & benefactorem suum contempserint, atque ob ingratitudinē digni fuerint qui beneficio exciderent, quemadmodum de pœnis feudatariorum feloniam committentium scribunt Iurisconsulti. *Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit, Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.* Et hic sine dubio & sanitatem diuinitus concessam retinuit, & in fide constans perseuerauit. Sic enim Gratiæ tres, siue Charites, inter se implexæ sunt, vt gratia perpetuo volumine & circuitu gratiam pariat: nec quidpiam diuitem cælestis aquæ venam exarescere nisi ingratitudo facit. *Cùm ieiunas*, inquit Christus, *vnge caput tuum*, id est, mitte in Christum, qui est viri caput, quemadmodum caput Christi est ipse Deus, vnguentum, & in illum refunde totius boni operis odorem & fragrantiam. Petit, inquit Bernardus, aut certè repetit magis Christus, quod dedit: *Ad fontem enim, vnde exeunt flumina, reuertuntur*, non vt ibi remaneant, sed vt *iterum fluant* abundantiùs. Non vt minus habens, quod dederat, Christus repetit; sed ne tibi pereat, quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione factâ superueniens repelletur: sic planè gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat, vertitur in perniciem. Fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliore. *vnge* igitur *caput tuum*, refundens in eum qui supra te est, quidquid in te est deuotionis, quidquid delectationis, quidquid affectionis: si qua in te gratia est, referatur ad ipsum. Et alibi idem S. Doctor ait: Veluti

Luc. 17. Matth. 6. Ambros. lib. de Elia c. 10. 1. Cor. 11. Serm 1. de ieiun. Eccles. 1. Serm. 13. in Cant.

uti origo omnium fontium & fluuiorum mare eſt, virtutum autem & ſcientiarũ origo eſt Dominus Ieſus Chriſtus: ita dona cæleſtia, per gratiarum actionem ad ſuum principium & cęleſte profluuiũ ſunt remittẽda, quò vlteriùs terrę refundantur. Et mirũ quomodo Deus, qui à nobis tam leui & iniquâ monetâ ſoluitur, rurſus tot tantaq; credat. Similes enim vidẽtur mihi grates noſtræ ſerico, quod huc ex Italia aduehitur. Illud hîc Antuerpiæ aurum vocant, dum recens aduenit, & rude adhuc & illaboratum permanet; argentum, dum glomeratur, torquetur, triplicatur atque diuerſis vſibus aptatur; æs verò dum aliquem colorem bibit: ita vt quod in initio præſtantiſſimum fuit, inter manus operariorum vileſcat. Gratiæ itaque nobis à Deo datæ optimæ atque ſinceriſſimæ ſunt, ſed vſu noſtro deteruntur, & niſi iam, quaſi opere confecto, per gratiarum actiones ad Dominum ſuum redeant, multum de pretio, multum de pręſtantia remittunt.

Quapropter illis, qui ſuperfluâ & ſæpè noxiâ anxietate tenentur, vtrúmne in bono perſeueraturi ſint, & finaliter in ſtatu gratiæ morituri: atque hoc vnum ferè ſemper vrgent: Iam quidem, cum Dei gratia (vt arbitror) benè viuo, iam diaboli ſuggeſtionibus non ſuccumbo: ſed quid poſtea fiet? quid ſi in vltimo vitæ articulo grauiùs quàm vmquam hactenus tenter? Illis, inquam nihil melius efficaciuſque præſcripſeris, quàm vt in gratijs Deo agendis perſiſtant; diem nullum, nullam horam, imò, ſi poſſibile ſit, nullum horæ quadrantem prætermittant, quin in diuinæ bonitatis erga ſe prædicationem erumpant. Impoſſibile tunc erit vt Dei gratia flacceſcat, hominemúe deſtituat, quem gratitudo non intermiſſa exornat.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

§. I. *AVGVSTINVS æstu amoris diuini languens, ad huius mundi delectabilia deinceps nauseabat.*

THEMA CONCION.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Psalm. 30.

ILLE idem Amor, qui AVGVSTINO os resoluit in laudes Dei, animum quoque eius tam feruenti desiderio rerum cælestium inflammauit, vt omnium quæ priùs carni & sanguini fuerant suauia, caperet nauseam. Mira subitaque rerum mutatio: qui priùs tantâ auiditate honoribus, corporisque voluptatibus inhiabat, hederaceâ tenacitate adhærebat, vt sine illis non videretur posse viuere; iam satur omnes fastidiebat. Nempe veluti, cùm *Nadab & Abiu filij Aaron arreptis thuribulis ponerēt ignem & incensum desuper*, atque *offerrent coram Domino ignem alienum, egressus est ignis sacer à Domino*, id est, ab ostio tabernaculi, vbi Deus habitabat in hominibus, & responsa dabat, statimque & ipsos iuuenes, & ignem profanum absumpsit. ita & AVGVSTINO accidit: qui licèt antea immodico cupiditatum variarum æstu flagraret, tamquam alieno & damnabili igne; vbi cælesti flammâ incaluit, protinus ille profanus ardor extinctus est, quin & amabile quoddā atque opportunum frigus contra voluptates terrenas pariter aduexit. Vnde aut similia, aut etiam potiora ille expertus, clamabat; *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* q. d. Neque in cælo,

Dominica XX post Pentecosten.

Leuit. 10.

Psalm. 72.

neque in terra eſt aliud à te, id eſt, non eſt præter te aliqua creatura, quæ ad beatificandum me ſufficiat: tu ſolus Deus ſufficis, tu ſolus ſumma æternaque beatitudo: te ſuper omnia amo, amore tui torreor, præter te nihil volo, vel deſidero. Ideoque defecit caro mea, & cor meum, quoad amorem terrenũ, ſcilicet, defecit in amando omne id quod tu non es. Maxima enim AVGVSTINI animum ſubierit nauſea neceſſe eſt, qui dicebat etiam ante ſuſceptum lauacrum ſalutis: Mihi autem diſplicebat, quod agebam in ſæculo, & oneri mihi erat valdè: non iam inflammantibus cupiditatibus, vt ſolebant, ſpe honoris & pecuniæ, ad tolerandam illam ſeruitutem tam grauem: iam enim me illa non delectabant, præ dulcedine tua, *& decore domus tuæ, quam dilexi.* Et ſtatim à baptiſmo; Quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas: eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis, & ſaluti meæ, Domino Deo meo. Eſt namque Deus, vt acutè obſeruat S. Antonius de Padua, ſol, qui eclipſim, id eſt, defectum in cruce patiens, omnia decolorat, & nigrore quodam obducit, ita vt nihil amplius coloris & venuſtatis in honoribus, diuitijs, voluptatibus appareat. Ideoque anima AVGVSTINI pœnitentis meritò dicat: *Nigra ſum, fuſca ſum, quia decolorauit me ſol,* dum oculo fidei Deum meum, ſponſum meum, Ieſum Chriſtum in cruce pendentem, clauis confixum, felle & aceto potatum, ſpinis coronatum video, atque intus in cordis arcano ſuauitatem gratiæ eius perſentiſco: omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis pompa tranſitoria

Lib. 8. Conf. cap. 1.

Pſalm. 25.

Lib. 9. cap. 1.

Serm. 3. Quadrag.

Cant. 1.

ria in pallorem vertitur, & à me nihili æstimatur. Vnde ſicuti Ionathæ guſtanti fauum mellis oculi, præ fame caligantes, aperti ſunt, vt clarè omnia quæ circa ſe erant, cerneret, ad quæ intuenda oculorum acies non penetrabat. Ita vbi AVGVSTINVS cæleſtis gratiæ ambroſiam pleno mentis ore guſtauit, animaduertit nil eſſe omnia illa vana & fluxa, quæ priùs totum illum detinuerant. Hinc contra mundum, non ſecùs atque Ionathas contra Saulem, indignans quòd ſe tanto beneficio tam diu priuaſſet, aiebat: *Turbauit pater meus terram, vidiſtis ipſi, quia illuminati ſunt oculi mei, eò quòd guſtauerim paululum de melle iſto.* Optabilis cæcitas, vt AVGVSTINVS nihil deinceps, niſi ſpirituale & æternum cerneret. Rurſus, ſicut Propheta Daniel viſo Angelo, qui ſibi futura nuntiatum venerat, dixit: *Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies: cúmque ſurrexiſſem, faciebam opera Regis, & ſtupebam ad viſionem*; ſimiliter de AVGVSTINO liceat dicere, qui poſteaquam vidit & guſtauit, cœpit ægrotare mundo, illiuſque blanditias & voluptates toto corde aſpernari, nec illum quidpiam reficere poterat, quin ad potiora aſſurgeret, atque ſtudioſè ſummi Regis negotia ageret, omnes denique animæ corporiſque facultates in illius amorem & obſequium impenderet. Intellexit tum vel maximè, Deum reuerâ id eſſe quod Hebraicè audit, *Saddai*, *Solus ſufficit.* Quapropter & ſequenti Emblemate AVGVSTINVM ſpecie hominis febri æſtuantis & lecto affixi exhibemus, qui tantam ciborum, quibus antea cum delectatione reficiebatur, nauſeam concipit, vt ne oculis quidem contueri illos ſuſtineat. Quia, vt Macarius ſenior Ægyptius ſcribit, Amor ſiue gratia Dei magnam cum febri ſimilitudinem habet: quemadmodum illa ciborum, ita hæc nauſeam terrenarum voluptatum inducit, diuinioreque flammâ animam ſuccendit, vt nihil illi amplius, quod carni blanditur, libeat; nihil quod carnalem vitam trucidat, ſpiritus perhorreſcat. Amor immundus in-

1.Reg.14.
Dan.8.
Hom.9.
Auguſt.in

Psalm. 121. flammat animam, & ad terrena concupiſcenda, & peritura ſectanda vocat perituram, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit: at amor ſanctus ad ſuperna eleuat, & ad æterna inflammat, & ad ea quæ non tranſeunt, neque moriuntur, excitat animam, & de profundo inferni leuat in cælum. Igitur AVGVSTINVM felici hac febri languentem paulisper contemplemur.

Et quas nugas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Lib. 9. Confeſſ. cap. 1.



Sacchara non ſapiunt, & mella videntur amara,
Cui febris calidum torret anhela iecur.
AVRELI *ſimul ac dio mens æſtuat igne,*
Fercla placere, priùs quæ placuêre, negat.

Mirabitur fortè quiſpiam qui paullò pluſquam accuratus fuerit, cur amorem diuinum, quo ſanitas & integritas conſtat mentis, morbo fecerimus ſimilem. Cui reſpondebimus, id factum ideo, quòd ille non tantùm morbo, ſed & morti, & quod extremum eſt malorum, inferno, in S. Scriptura comparetur. *Fortis eſt,* inquit Sapiens, *vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Nam veluti illi qui mortis vel inferni tolerant anguſtias, vix aliquid cogitare valent præter pœnas, & illuc deijciunt impetum cogitationis, vbi ſentiunt vim doloris: ita & amantes, potenti illo morbo victi, & cum morte ſenſuum colluctantes, id vnum cogitant, quod amant; illuc feruntur, quò pondus amoris eos inclinat. Deinde ſanctiſſimus Propheta Dauid famem & ſitim ſpiritualem, (quæ, ſi corporis neceſſitates ſpectes, non minùs quàm morbi ipſi, ſunt pœnalia,) exoptat: adeò nihil mali illa animi affectio continet, etiamſi febris nomen illi tributum ſit. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in, omni tempore.* Qui modus loquendi ſine dubio incongruus, quin & nouus, videretur, concupiſcere, id eſt, velle expetere vt deſideremus, ſiue fameamus & ſitiamus Dei iuſtificationes, niſi optabilis foret eiuſcemodi fames & ſitis. At in hoc exceſſus bonorum ſpiritualium manifeſtatur, quorum vel ſolum deſideriũ, ſola ſitis, eſt melior, quàm omnis poſſeſſio bonorum quorumcumque temporalium. Quis vmquam ſanus concupiuit deſiderare bona temporalia? Potiùs enim qui talia ſitiunt, ab ea ſiti liberari contendunt, nec pauci eam quantum poſſunt, euitant, vtpote ſibi noxiam & periculoſam. Sed fames ſitiſque rerum ſpiritualium, animam reficit, plurimumque vtilitatis præſtat, ita vt inter beatitudines à Saluatore noſtro connumeretur: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* O igitur verè optabilis tantæ veritatis fames & ſitis! ô deſiderabilis amoris febris! de qua non ineptè dixeris, quod Themiſtocles de ſuo apud Xerxem exilio ad liberos aiebat:

Cant. 8.

Innocent. lib. 3. c. 7. de contemptu mundi.

Pſal. 118.

Matth. 5.

aiebat: *Perieramus, nisi periissemus.* Quid enim diuinius, quàm vt anima eiuscemodi calore langueat, imò morbida, mortuaque rebus mundanis, vigeat viuatque cælo? O medice cælestis & æterne, ita, rogo, meæ sanitatis & salutis curam habe, vt hoc morbo decumbam, hac febri moriar:

—— Non digniùs arserit ales,
Quæ super Eoos extincta renascitur ignes.

§ 2. *Quia nulla adhuc nobis mundi pars plenè desipit, euidens signum est cælestia parum posse placere.*

DOMINICA Palmarum. Hom. 44. SIcut, inquit Macarius senior Ægyptius, qui sunt in naui, non hauriunt aut bibunt è mari, nec ex eo victum aut vestitum sumunt, sed aliunde portant in nauem: hoc modo Christianorum animæ, licèt fluctibus huius sæculi, corpore veluti phaselo conclusæ, iactentur, non de sæculo isto, sed desuper è cælo cibum cælestem accipere debent. Quod nisi faciant, palàm est quia adhuc terrenis, quæ instar oceani nullam fidem, nullamque constantiam seruant, implicantur: & quamuis Christi præferant nomen, vitam tamen illius non æmulantur, qui de seipso ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Atque ex effectu id probat: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.* Vnde non malè inferimus, nostrûm multorum regnum esse de hoc mundo, terrenaque sapere, quia omnia nobis pro illius possessione retinenda famulantur. Quotusquisque non sibi hîc regnum aliquod constituit? ille quidem in splendidis ædibus, villis, agris: iste in vestium luxu, & ciborum lautitia: tertius in hortis & nemoribus, in quibus veluti inertiæ & otij vmbra consenescat, & quæ sapientes pro secessu à curis, & laborum temperamento quandoque vsurpant, grauissimum negotium æstimat. Alius omne studium impendit aucupio fauoris principum, & quasi regnare videtur, si speciosè, etiamsi miserè, seruiat. Est etiam, pro cuius lon-

Ioan. 18.

longæuitate Æſculapij filij ſtrenuè decertent, conenturque fata extendere; ſed tamen fata non cedunt. Quæ ſatis manifeſtè conuincunt quàm plurima huius mundi quàm plurimis necdum diſplicere, adeoque cæleſtia ſapere non poſſe. Vacuandus animus ſordibus, vt aquam puram cæleſtem infundas: & quantum iſtarum exhauſeris, tantum illius intrabit.

Iuſſus eſt Ezechiel prophetare oſſibus mortuorum; ſed quæ priùs vetuſtas omni ſucco exuerat, reddideratque ſicca & albentia: atque in illa ſpiritus, id eſt charitas Domini intrauit, melioríque vitæ reſtituta ſunt. Qui locus litteraliter & primariò quidem de filijs Iſraël intelligendus eſt, ſed & propoſito per accommodationem non ineleganter ſeruit. Cùm enim illi captiuitate preſſi Babylonicâ, ſe aridis oſſibus compararent, & idcircò exiſtimarent impoſſibile, vt populus exſuccus & emortuus viuere rurſus & florere poſſet, dicebant: *Aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus.* Sed contrà Deus, vt oſtenderet hoc nihil omnipotentiæ ſuæ refragari, aſſumpſit Prophetam in ſpiritu, duxitque in campum magnũ plenum oſſibus mortuorum, quæ erant ſicca vehementer, nullumque reliquum habebant vel vitæ vel ſpiritus veſtigium. Dixitque Ezechieli: *Fili hominis, putáſne viuent iſta oſſa?* Hærebat Propheta dubius, concederetne, videns illa à ſpiritu vitæ penitus excluſa, an verò negaret attẽdens Dei infinitam potentiam, ideoque reſpondit: *Domine Deus tu noſti.* Et dixit Deus: *Vaticinare oſſibus iſtis, & dices: Oſſa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Ecce ego introducam in vos ſpiritum, & viuetis.* Vide quibus oſſibus iubeatur Ezechiel vaticinari, & promittere ſpiritum Dei, non omnibus, ſed oſſibus iſtis, Iudæis diuturnâ captiuitate attritis, macie albentibus: quod vt notius euaderet, ſemel & iterùm repetijt, dicens: *Vaticinare oſſibus iſtis. Et hæc dicit Dominus Deus oſſibus iſtis.* Quaſi non omnia apta ſint, in quæ ſpiritus Dei

Ezech. 37.

introducatur, ſed illa tantùm, à quibus ſpiritus proprius receſſit, quorum caro emarcuit, quorum nerui vt fœnum exſiccati ſunt. Quod vbi in nobis adimpletum fuerit ſpiritualiter, quando videlicet ſenſum ad omnia terrena & caduca amiſiſſe videmur, tum viuificator ille ſpiritus Dei aduenit, & cæleſtia cum illo pariter nobis ſapere, & mirificè placere incipiunt: acceduntque *oſſa ad oſſa*, id eſt, robur & conſtantia animam ſubeunt, *vnumquodque ad iuncturā ſuam*, id eſt, ſeruato vbique ordine charitatis & diſcretione in rebus gerendis: moxque conſurgit & apparet integer diuerſarum virtutum exercitus, quæ ſtant ſupra pedes ſuos, id eſt, aſſiduè exercentur, & in opus exeunt.

CAPVT TERTIVM.

§. 1. *AVGVSTINVS Deum reperit, & omnia bona pariter cum illo.*

THEMA CONCION.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, (æterna Sapientia) *& innumerabilis honeſtas per manus illius.* Sap. 7.

DOMINICA IV. Quadrageſimæ. Iſa. 8.

ABIECERAT hactenus infelix ille *aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio,* & aſſumpſerat magis Raſin, & filium Romeliæ; confiſus, inquam, fuerat AVGVSTINVS in acumine ſubtilis ingenij, ſperaueratque ſe in honoribus, delicijs, & voluptatibus inuenturum præſidium, & ſtabile aliquod animæ ſuæ gaudium, ipſo omnium Creatore neglecto; cuius maieſtas, quia ſobriè in humilitate Eccleſiæ Catholicæ fulgurat, continuâ quidem, ſed inſonorâ beneuolentiæ ſcaturigine decurrit inſtar fontis Siloë, diuitis optimarum aquarum, innumeros ſecum

cum voluens gratiarum & delectationum vortices: ideoque à carnalibus hominibus, qui nihil nisi externam rerum apparentiam contemplantur, despicitur, cognitaque dumtaxat fit virtus eius in Christo renatis, & reuersis in naturam paruulorum ac humilium. Hinc vbi omnibus abdicatis, totum se Deo AVGVSTINVS mancipauit, salubriter intellexit frustrà alibi aliquod bonum quæri extra Deum, à quo, & per quem, & ad quem sunt omnia: cuius vnius consequendi causâ, dum humana sudat industria, quasi omnium bonorum, quæ per creaturas sparsim diuisa sunt, compendium indagat. *Hæc est*, inquit Sapiens *consummatio sermonum*, siue summa omnium dictorum, *quia Deus est in omnibus*. Nam ipse est τὸ πᾶν, id est, vniuersum: quo nomine Deum Trismegistus, aliique ex veteribus sapientibus non tantùm compellarunt, sed & veluti quoddam totius orbis compendium sub Panis satyri figura depinxerunt. Pectus eius varijs insigne stellis radiabat, fistulam septem compactam cannis ori eius imprimebant, propter siderum errantium siue Planetarum symphoniam: hinnuleæ pellis varietate contegebant, vt ex maculis stellæ referri viderentur; quia fortassis ex Hebræorum monumentis didicerant *cælum extendi sicut pellem*. Et certè Eusebius, & alij Ægyptiorum arcanorum interpretes, sic expressum Panem tradiderunt: Caprina erat facie, rubro colore, hirtis cornibus, variâ & maculosâ pantheræ pelle indutus, infimâ sui parte hispidâ, pede caprino, alterâ manu fistulam septem calamorum tenebat, alterâ baculum incuruum. quâ figurâ vniuersi symbolum contineri putabant. Facies enim rubens æthera significabat, bina cornua solem & lunã, pantheræ pellis cælestium siderum varietatem, pars inferior hirsuta arbores, virgulta, feras, caprini pedes terræ soliditatem, fistula septicannis cæli harmoniam, in qua sunt septem discrimina vocum, virga recurua annum qui in se recurrit, ideoq; τὸ πᾶν, id est, omne interpretabantur, siue naturam

Ecclis. 43.

Psalm. 103.

ipsam rerum, quæ omnia complectitur. Arcades verò, qui eumdem Panem vt Deum colebant, vniuersæ materiæ Dominum appellabant.

1. Cor 15. Ioan. 1. Sap. 7. Sed ad sacra redeamus. Apostolus in primis ait: *Erit Deus omnia in omnibus.* & Ioannes: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Denique in Sapientia vocatur, inquit Palacius, Spiritus sanctus, mundus subtilis: quia veluti mundus omnia corporalia complectitur, ita Deus omnia corporalia continet incorporaliter & immutabiliter, vt meliores simus in Deo quàm in nobis. Et S. AVGVSTINVS, Bonorum, inquit, summa nobis Deus est, Deus est nobis summum bonum. Neque infrà manendum est, neque vltrà quærendum: alterum est friuolum, alterum nullum. Vnde sub typo militum, qui venerãt vt illum comprehenderent, Homo-Deus fidelibus suis ait; *Quem quæritis?* respondent illi, non peruersâ, sed optimâ & sincerâ voluntate, parantes nõ canabina aut ferrea vincula, sed dulcia amoris ligamina, funiculos charitatis; *Iesum quærimus Nazarenum*: aut aliud quidpiã quod nos beatos possit reddere. Quibus ille respondet: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Ego Saddai, solus ego sufficio. Dimittite cetera, mihi vni adhęrescite, sinite quæ videntur mundi delectabilia ire & præterire: sinite vt dæmon, caro, mundus vadant; Iesus sit vobis prora & puppis. Nam veluti hoc perfectionem amoris commendat, quòd sit vnius: ideoque nonnulli Amorem pinxerunt pedibus calcantem notas arithmeticas, solâ vnitate exceptâ, quam rosis coronatam manibus tenebat,

August. in Procem. Psalm. 121.

Ioan. 18.

——*Vnum*, inquit aliquis, *amat, vnum ecce coronat,*
Et reliquos numeros en pede calcat Amor:

ipse quoque Aristoteles asserit perfectum amorem esse non posse nisi ad vnum: ita pariter rei amatæ excellentiam demonstrat, quòd amantis desiderium satiare & explere abundè sufficiat. Iã verò nemo alius id potest nisi qui seipso est, & bonus est: qui & alibi zelantis sponsi personam erga

genus

genus hominum regale & electum assumens ait: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* q. d. Quamuis sciam sponsam meam nihil aliud præter me appetere, tamen quia murus aheneus est, & ostium forte, id est, constanter & feruenter me iuxtà ac virtutem colit, præcidamus illi occasiones desiderandi quidpiam aliud, quum illi solus plusquam satis sim: ædificemus murum contra procorum insidias, contra procacium impetus: compingamus ostium cordis eius tabulis cedrinis, ne quis fur illud subuertat vel perfodiat: qualitercumque cum illo sim, præ me solo friuola sunt vniuersa. Huic propositioni, quasi de industria respondet Iessiades: *Quid,* inquit, *mihi est in cælo? & à te quid volui* tecum *super terram?* Ita interpungunt Aquila & D. Hieronymus. Deum qui habet, cetera parui facit, licèt præstantissima, cùm in ipso insint omnia, ideoque prosequitur: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Et hunc imitatus S. Franciscus assiduè vsurpabat: *Deus meus, & omnia.* Quidni ille omnia, qui dicitur omne bonum?

Cant. 8.

Psal. 72.

Hinc ne fortè apud AVGVSTINVM, iam conuersum & salutari vndâ perfusum, querelæ esset locus, si quid minus à Deo fuisset ei oblatum, quàm priùs mundus crepantibus buccis spoponderat; ostendit illi amor diuinus, sub vmbratili schemate, Deum esse centrum vniuersi, circa quod omnia sunt, & in quo omnia ordine certo in orbẽ procedunt, donec integra rerum vniuersitas absoluatur: creaturas omnes esse veluti lineas, quæ ad diuersas orbis partes deferuntur. Vt namque centrum nec magnitudo est, nec circulus, nec orbis, sed omnium & circulorum & orbium principium: nec linea est, sed id in quo omnes lineæ conuergunt: ita Deus nihil est eorum quæ sunt in mundo: nec mundus totus, sed totius mundi principium & finis. Atque hac de

causa Deum Trismegistus fortè describit substantiam perfectissimam, cuius centrum vbique est, circumferentia nusquam. Deus, inquam, res est, similitudinem quamdam centri in circulo habens, vtpote qui omnia bona in se complectitur, & ab illo est, quidquid creaturis inest: adeoque qui punctum hoc medium digito apprehenderit, simul apprehensurus sit capita omnium linearum, id est perfectiones omnium creaturarum. Quisquis centrum hoc feruenti amore possederit, vnà fit possessor dominusque omnium quæ in Deum (vnde suum esse mutuantur) per continuam conseruationem indesinenter refluunt. Neque est earum rerum quæ sunt conditæ, quidpiam vllâ bonitate præditum, quin infinitis partibus, idem melius præstantiusque in Deo existat, & in eodem omnia habeas per quem facta sunt omnia. Atque id tum AVGVSTINVS experiri cœpit, quia

August. in Psal. 72.

Fidelis homo, quasi nihil habens, omnia possidet inhærendo tibi, cui omnia seruiunt. Lib. 5. Confess. c. 5.



Ductilis in medium perfertur linea centrum,
Conueniunt vno dextra, sinistra, loco.
Centrum ingens Deus est, cunctorum summa bonorum:
Quidquid amas, dabit hic, quidquid amare potes.

Deprehendit longè aliter se habere amorem Dei, atque creaturarum: in illo enim intellexit omnia bona per essentiam, in istis exiguum aliquid contineri per participationem. Sunt creaturæ, vti diximus, tantùm quædam tenues lineæ, quæ à centro ad circumferentiam circuli recedunt; quantoque magis, tantò minus retinent boni, quod à centro Deo hauserunt. Quarum quamlibet dum conaris extra centrum, circa extremitatem apprehendere, aliam ex diametro oppositam simul stringere eâdem manu non potes. Dicamus, v. g. lineas ad circumferentiam extensas, esse vnam diuitias, alteram honores, tertiam voluptates; ex quibus si vnam, putà diuitias, tenueris, honori insistere non vales; si honores amas, voluptatibus valedicendum est. At si Deo inhæseris, quidquid hæc omnia habēt pulchrum vel delectabile, in eo adunata inuenies omnia. Ideò pudeat, inquit S.P. AVGVSTINVS, cùm alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare bonum ipsum, vnde bona sunt. Rursus in principio eiusdem capitis, S. Doctor ostendit & amœna loca, & salubres cibos, & temperatum aërem esse bona, non proprio, sed alieno quodam bono, in quantum scilicet conferunt sanitatem: & amicos in se plurimum boni continere, quia amicitiam dulcis animorum consensio & amoris fides sequitur: & diuitias esse bonas ratione cuiusdam tertij, quia facilè expediunt: Angelos bonos, sed sanctâ obedientiâ; tamen vel sic amanda esse (bonum enim amoris principium est & finis) sed his omnibus magis bonum esse ipsum Deum, qui non aliquo alio bono bonus est, sed bonum omnis boni. Hoc ipsa quadamtenus diuina bonitas indicauit apud Ieremiam, vbi se viuo fonti, creaturas omnes *cisternis dissipatis, quæ continere non valent aquas*, confert. quàm minimum enim refrigerij & solatij præbitura est cisterna aquæ expers sitienti viatori, præ viuo fonte; tam nihilum poterunt humanum animum delectare creaturæ præ ipso omnium Creatore.

Lib. 8. de Trinit. c. 3.

Ierem. 2.

Quapropter, vt Genius in Emblemate digito demonſtrat, Deum ſtude apprehendere, & omnia deſiderabilia pariter tibi cum illo accident: ipſe fons & origo omnium eſt: qui illum inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem. Lætitiam, delicias, theſauros, pulchritudinem, beatitudinem deſideras? in illo vno ſunt omnia. Lineas ſingulas omitte in circumferentia, omnes ſimul complectere in

Pſal. 36. centro, & *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Nos quid ſumus? inquit Lipſius, humiles, imò humus.

Lib 5. de milit. Rom. dial. 20. Deus ſuper omnia: ille omnia; & ab illo, quidquid boni eſt, ſummo bono.

§. 2. *Quis verò ſpe huius præmij ad difficilia non animetur?*

Dominica VI. poſt Pentecoſt.

SOlent aliquando reges & principes, publicâ ſtabilitâ pace, aut etiam in nuptiis ſuis, vel inauguratione, indicere haſtiludium, agitationes taurorum, venationem, aut aliud dignum ſuâ maieſtate ſpectaculum, ad quod Comites, Barones, Equites, alijque nobilitate inſignes euocantur. Proponitur tum victoribus adamas plerumque auro inſertus, aliáue gemma, generoſus equus, gladius, aut aliud quidpiã, quod ſit tamen longè minoris infra impenſam & operam pretij. & tamen certatim omnes maximo ſtudio aduolant, ingentibus ſumptibus ſeipſos exhauriunt, etiam non raro ære alieno grauant, maximam famulorum cateruam contrahunt; ardent in arenam deſcendere, nulla pericula reformidant, labori nulli parcunt. Et quæ huius alacritatis cauſa? Gemma vna, vnus equus? Nihil minùs: ſtatim enim atque victor præmium ſuſtulerit, puellę alicui donat. Quod eos igitur excitat, & veluti prouocat in pericula, in arenã, eſt, quòd intra adamantem ſiue equum omnia quæ Nobilitas impotenter deſiderat, includantur, ſuntque hæc veluti totius optatæ felicitatis compendium. Latet namque in eo præmio Principis agonothetæ fauor, fama fortitudinis,

nis, honor & veneratio populi, gaudium de triumphatis æqualibus, ſpes æternaturi nominis, plauſus ſpectantium domicellarum, denique vni alicui, quam deperit, placuiſſe. Atque illud eſt, quòd gemma non vſque adeò magni pretij, tot impenſis, & magno ſæpè periculo, maximiſque laboribus appetatur. Nónne enim & hoc Dauidem fortiſſimum iuuenem, ad ſingulare certamen cum Goliath ineundum perduxit, quòd percuſſori illius deſponſam audiſſet filiam regis? An prudentiſſimo adoleſcenti, & nequaquam amoribus dedito, tanti erat vna puella? Imò tanti; ſed puellam regiam cogita, quam quicumque obtinuiſſet, regio fuiſſet ſanguini inſertus, acquiſiſſetque ius ſucceſſionis, communicationem non modicam diuitiarum, deliciarum & honoris regij: & quid tandem hæc poſſidenti, vel rei vel ſpei poterit deeſſe, vt inter maximos tandem aliquando eminere valeat? Quidquid alij ſeparatim & ſucceſſu temporis, ſummis laboribus & curâ inueſtigant, iſte vno aleæ, vt ita dicam, iactu, vno ſtratagemate acquiſiuit. Enimuerò ſi alicubi aurifodina extaret, quæ futura eſſet occupantis, etiamſi iter ad illam foret difficillimum, plenumque periculis; tamen quot putas eò perrecturos, vt vno quaſi compreſſu volatilis fortunæ alas ſtringant, atque in ſuam redigant poteſtatem? Si alicubi fons vino flueret, non vna Samaritana illum fortaſſis ſibi dari depoſceret. Amant etiam homines ſua commoda, &, vt Ouidius ait,

1.Reg.17. Ioan.4.

—— curæ eſt ſua cuique voluptas:
Hæc quoque ab alterius grata dolore venit.

Lib. 1. de Arte.

Idque maximè, ſi non admodum difficulter ad illa valeant penetrare.

Nobis interim, ô Chriſtiani, non adamas aliquis, non aurifodina, non fons vino, non terra melle fluens; ſed ipſe Deus, ipſe τὸ πᾶν, id eſt, vniuerſum, quo omnium deſiderabilium perfectiones continentur, in præmium proponitur:

ille vitæ & laborum amplissima merces, ille certaminis brauîum est. Et adhuc quispiam nostrûm ardua recusabit, pallebit ad pericula, aut labores formidabit? *Quis*, aiebat quidam ex militibus Holofernis, *contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Quis, inquam, spernat populum Christianum, qui Deum ipsum pro certaminis laurea habet? Quis non pro hac Rachele, non dico quatuordecim, sed omnes vitæ suæ annis seruiat, idque tantâ amoris vehementia & alacritate, vt dies adhuc videantur pauci? Aucupem vel sola spes prædæ totos dies gelu inter & pruinas detinet; militem amor laudis, diuitiarumque cupiditas domo expellunt, periculis obijciunt, fame sitique conficiunt: amatorculos non paucos puellæ forma excruciat, & speratæ nuptiæ tantùm non enecant frigore, vigiliâ, contumelijs: & animum nostrum languescere & tepere æterna hæc retributio, infinita merces sinet? Abscedat ab animis nostris hæc infamia, vt illis pluris sit aurichalcum, quàm nobis purum putum aurum: illis vanitas, quàm nobis res & ipsa veritas: illis creaturæ, quã nobis Creator. Absit vt aut minis concutiamur, aut præmijs non excitemur. Vti seruilis conditionis hominum est, pœnis ad officia sua adigi; ita spes præmij etiam difficillima, generosas mentes non tantùm excitat, sed inflammat. Ingruant aduersa, arietent dura & aspera, instent Chaldæi; *sedent*, quia securi & immobiles animo, iusti *super flumina Babylonis*, id est, aquis tribulationis superiores sunt, cantantque hymnum hilariter, quia recordantur pulchræ Sionis: dum scilicet ante oculos mentis illorum, amplitudo æternitasque gloriæ cælestis versatur. Nihil, inquit Tertullianus, trux sentit in neruo cui animus est in cælo. Atque hoc est quod de Martyribus cogit dicere D. Basilium: Pericula non respicit Martyr, coronas respicit: plagas non horret, præmia numerat: non videt lictores infernè flagellantes, sed Angelos supernè læ-

Iudith 10.

Gen. 29.

Psalm. 136.

Ad Martyr. cap. 3.

Hom. de Barlaam.

tis ominibus acclamantes imaginatur; non ſpectat ad temporalia pericula; ſed ad præmiorum æternitatem. Hoc idẽ de ſe aiebat generoſus ille populi Hebraici pater & rex: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas*, non vno tantùm aut decem annis, ſed *in æternum, propter retributionem*, quæ tu Deus es, & præter quam D. Thomas, iuſſus rogare quidquid vellet, non rogauit aliam. Imò ipſe ſalutis humanę reparator præmio animarum, quas lucraturus eſſet, non animari modò, ſed exhilari, & gaudio ſubſultare aliquando viſus eſt. Cùm enim Philippus & Andreas nuntiarent Gentiles adeſſe qui conuenire eum vellent, peterentque edoceri fidem, reſpondit ipſe: *Nunc anima mea turbata eſt*, occaſione (inquit non ignobilis interpres) Gentilium eum videre cupientium, mortis & paſſionis imminentis conſiderationem aſſumit: & hoc præ nimio amore & deſiderio noſtræ ſalutis, ac Gentilium vocationis, veluti pati & mori geſtiens, ita ille. Et quidem rectè. Præ deſiderio ſubeundi mortem, vt, per quam tot & tanti erant faciendi fructus, quodam modo eam præueniret, excitans in ſe timorem & horrorem ipſius, vt vel ſic iam pati inciperet. Vide ergo quantam oblatum menti Saluatoris noſtri præmium paſſionis eius, virtutem habuerit. Quapropter ſicut porcorum actores, cùm non poſſunt compeſcere porcum clamantem, reſupinantes illum, efficiunt vt minùs clamet; ita & queruli & impatientes homines reſupinandi ſunt, vt cælum videant, cuius intuitu animentur ad pugnam, & conqueri deſinant.

Pſalm. 118.

Ioan. 12.

Toletus in Comment.

Theophyl. in cap. 15. Luc.

CAPVT QVARTVM.

§. I. *Amor diuinus* AVGVSTINVM *inter alia docuit, verum esse quod ait Apostolus, vitam spiritus acquiri mortificatione membrorum quæ sunt super terram.*

THEMA CONCION.

Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Rom. 8.

DOMINICA V. post Pentecost.

INNVMERA ac propemodum infinita sunt dona & ornamenta spiritus, quæ simul cum gratia iustificante, mirâ Dei benignitate & munificentiâ, animum AVGVSTINI statim à baptismate subierunt. Nec amor ille diuinus, quo sagittatum erat cor eius, gestabatque verba Dei in visceribus, se otiosum continebat, sed mira indies operari cœpit: quæ ipse S. Doctor de se sparsim tum alibi tum præcipuè libris Confessionum commemorat, vt non difficile sit illa inuestigare, cùm sese legentibus vltrò offerant.

Lib. 9. Conf. cap. 2.

Lib. 13. Conf. cap. 9.

Quale illud inprimis est: *Dono tuo accendimur, & sursum ferimur.* Vbi pulcherrimi Emblematis materiam habes. Sicut enim pyrobola, quæ nitrato puluere impleri solent, in triumphis publicis, dum accenduntur, sursum euolant, nec nisi consumpto puluere, in terram recidunt: aut velut auis Manucodiata, quam alij paradisi, alij auem sine pedibus vocant, semper volat in aëre, nec vmquam terram nisi mortua contingit: (reperiri aiunt in Moluccis insulis, atque illâ magistrâ reges Marmim immortalitatem animi didicisse.) Ita vbi AVGVSTINI animum ignis diuini amoris corripuit,

Aldrouand. ornithol. lib. 12. c. 21.

ripuit, ita continenter rebus cælestibus & æternis inhæsit; vt etiam aliquando mulier illum de rebus suis interpellans non fuerit exaudita: atque idem eum amor tam feruidè ad Deum compulit ascendere, vt nullus eiuscemodi vmquam charitatis *ascensiones in corde suo* disposuerit. Cùm enim ab ipso Deo tertiùm iam rogaretur: AVGVSTINE amas me? post alteram responsionem tandem quasi in ecstasim amoris, longè ipsius animi præsentiam superantis, raptus, dixit: Si ego Deus forem, & tu AVGVSTINVS esses, omnino vellem ego fieri AVGVSTINVS, vt tu fieres Deus. Est enim, teste Platone, amor profusionis & desiderij pater, adeò vt etiamsi amato omnia quæ potuit, impenderit, tamen adhuc plura illi desideret. Hoc diuinum AVGVSTINI cum Deo colloquium, & grauissimos eius testes citatos, vide apud Lancilottum lib. 3. Vitæ S. Augustini cap. 42.

Marul. lib. 1. exempl.

Psalm. 83.

In dial. Amor.

Amor deinde *vult esse vsui fraternæ charitati:* quia veluti superbia, princeps illa parensque omnium malorum, non suis commodis, inquit Angliæ Cancellarius, prosperitatem suam, sed ex alienis metitur incommodis & miserijs; ita verus amor felicitatem ex aliena multorumque salute æstimat. Ideoque non contentus, AVGVSTINVM Deo adiunxisse, laborauit vt plures ipse verbo & exemplo lucrifaceret. Cùm enim conterritus peccatis, & mole miseriarum suarum, agitaret in corde, & meditaretur fugam in solitudinem, prohibitus confirmatusque est à Deo intus loquẽte, monitusque vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed qui pro ipsis mortuus est, Christo. Ac deinde se feruidâ oratione & flagranti zelo ad Deum conuertit: Domine, Deus meus, intende orationi meæ, & misericordia tua exaudiat desiderium meum: quoniam non mihi soli æstuat; sed vsui vult esse fraternæ charitati: & vides in corde meo, quia sic est, vt sacrificem tibi famulatũ cogitationis & linguę meæ. Quod & egregiè præstitit scriptis tot libris, habitis tot cõcionibus, fundatis vtriusque sexus tot Cœnobijs, assumpto

Lib. 11. Conf. cap. 2.

Tho. Morus lib. 2. Vtop.

Lib. 11. Conf. cap. 2.

pto etiã munere Episcopali, idque per annos quadraginta.

In Psal. 145. Rursus, *quòd sol est sensibus, hoc amor est mentibus*: nam sicuti illo cubiculum irradiante, etiam leuissimi atomi apparent, & in oculos inuolant, licèt nihil sordidum priùs ibi esse videatur: ita vbi amor AVGVSTINI animo illuxit, qui antea nec furtum, nec fornicationem, nec alia grauissima scelera, quasi non viderat, aut illis tantam subesse turpitudinem deprehenderat; iam etiam minuta quædam inter conscientiæ inquinamenta numerabat: quòd v. g. inter vescendum, bolum aliquem fortè dederit voluptati: quòd aliquando in ecclesia concentu vocum magis quàm sensu ipso verborum fuerit delectatus: quòd casu leporem plagis implicatum, & muscam araneæ telis inhærentem curiosiùs contemplatus fuerit: quòd item sole ad meridiem clarissimè resplendente, delectationi quæ ex intuitu lucis est, plus indulserit. (Lib. 10. Cóf. cap. 35. & alibi.)

Sunt & alia quàm plurima, his potiora: sed vti Lectorem in præfatione monui, non nostræ intentionis fuit illa illustrare; nec vltra scopum iaculum expedio: sed hîc figo pedem, atque tertium hunc librum hac obseruatione concludo; quòd AVGVSTINVS ab amore diuino pariter edoctus sit, vitam spiritus acquiri per mortem sensuum, atque tum demum cum Deo ambulaturum, & perfectum fore, si omnino de terra & cognatione sua exeat, id est, terrenas omnes affectiones seponat. Nam vt Ambrosius obseruat, (Lib. de Abraham.) licèt iam tum Abraham de terra & cognatione sua exisset, habitabat siquidem in terra Chanaan, eratque ipse natione Chaldæus; tamen eò quòd illi dictum fuisset à Deo, (Gen. 17.) *Ambula coram me, & esto perfectus*; rursus exitûs de terra & cognatione sua admonebatur, quia omnes terreni & carnales affectus sunt edomandi, vt quis ad perfectionem vitæ spiritualis perueniat. Nec alius huic cælesti negotio idoneus est, nisi qui peritura omnia seposuerit, iuxta illud: (Matth. 16.) *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam,*

&

& sequatur me. Primum ecce quod à sequentibus se Christus exigit, est mortificatio: prius enim est declinare à malo, deinde facere bonum: agricola priusquam triticum seminat, agrum spinis & tribulis purgat; nobis quoque priùs vitia eradicanda, mox inserendæ virtutes sunt. Priùs euelle, destrue, & disperge; postea ædifica, & planta. Hinc Apostolus ait: *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*; vitâ scilicet æternâ & beatâ. Quantumuis enim ad Deum penitus conuertamur, illique studeamus omni conatu inhærere; viuunt tamen in appetitu nostro carnalia desideria, actusque concupiscentiæ, quibus vitaliter ea quæ sensibus blandiuntur, concupiscimus. Sed hæc ipsa per mortificationem assiduam domanda, frænanda, eradicanda sunt, ijs resistendo, eaque supprimendo: quod fieri nequit, nisi hæc desideria mortificemus, id est, ijs mortem adferamus. Mori enim debent, vt non ampliùs viuant, sed viuat in nobis virtus & continentia. Hoc ante omnia præstat amor diuinus, qui regit *in virga ferrea, & tamquam vas figuli* conterit eos: id est, vt locum illum S. P. AVGVSTINVS interpretatur, inflexibili iustitiâ suos gubernat, & in eis terrenas cupiditates, affectus inordinatos iræ, auaritiæ, libidinis, ambitionis, & veteris Adæ lutulenta negotia conterit. Nam quòd hoc ita sit explicandum, vel inde patet quòd Deus Pater noluerit filium suum subditos & discipulos duriter tractare, cùm lex illius sit plena suauitate charitatis: quapropter de contritione prauarum cupiditatum sermo ibi est. Nemo ambigit quin opera mortificationis sint opera timoris; & tamen semini Israel, id est, perfectis, & Deum quantum fas est mortali, intuentibus dicitur: *Timete eum omne semen Israel, quia non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis.* Via nempe timoris, siue mortificationis, deducit in semitam dilectionis & vitæ.

Psalm. 36. Ierem. 1. Rom. 8. Psalm. 2. Psalm. 21.

Et quamuis de mortificatione à se vsurpata, AVGVSTI-

NVS œſtro diuini amoris percitus manifeſtè ſcribat, tamen multo minus eſt quod calamo exarauit, quàm quod opere præſtitit. Ad mortificationem oculorum quantum atti-
Lib. 10. Cōf. cap. 34. net: Reſiſto, inquit, ſeductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam Domine, & erigo ad te inuiſibiles oculos, vt tu euellas de laqueo pedes meos. Pulchros, nitidos & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam, teneat eam Deus qui hęc fecit: bona quidem valdè, ſed ipſe eſt bonum meum, non
Cap. 33. hæc. Quantum verò ad auditum: Cùm, inquit, accidit, vt me ampliùs cantus, quàm res quæ canitur moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire can-
Lib. 10. c. 32. tantem. Quantum ad olfactum: De illecebra odorum non ſatago nimis: cùm abſunt, non requiro; cùm adſunt, non reſpuo, paratus etiam ijs ſemper carere. Quantum ad lin-
Cap. 37. guam: Quotidiana fornax eſt humana lingua. Imperas, Domine, nobis & in hoc genere continentiam: *da quod iubes; & iube quod vis.* Tu noſti hac de re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. Aduerſus autem ſuauitatem ciborum pugno ne capiar, & quotidianum bellum gero in ieiunijs, ſæpiùs in ſeruitutem redigens corpus meū. Hoc tu me docuiſti, vt, quemadmodum medicamenta, ſic alimēta ſumpturus accedam. Sed cùm ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſe tamquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius cauſa fiat quod ſalutis causâ me facere vel dico, vel volo. His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & inuoco dextram tuam ad ſalutem meam. Tandemque ſymbolo vno quaſi omnia complectens, quæcumque impotens ille Amor exigeret, aſſiduè dicebat:

Moriar,

Moriar, ne moriar. Lib. 1. Confess. cap. 5.



Ipsa rogum sibimet Gangetica construit ales,
Cumq́ue mori timeat, viuere morte parat.
Si noua vita placet, veterem reparemus Adamum:
Non furor hic, non est, ne moriare, mori.

Quod alibi S. Doctor interpretatur. Hoc opus, inquit, nostrum, actiones carnis ſpiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere. Denique quaſi ſeipſum animans ait: Calca mortuum, ſcilicet affectum prauum; tranſi ad viuum, vt & illum mortifices. Calca iacentem, conflige cum reſiſtente: mortua eſt vna delectatio, ſed viuit altera. Et alibi: Ego perſequar affectus carnales meos, ne ab eis comprehendar, ſed comprehendam illos; vt abſumantur, & non conuertar donec deficiant. Vſi fuerunt hoc aureo dicto in ſigillis litterarum & alibi plures ex noſtris Belgæ, virtute, doctrinâ, auctoritate eminentes. Ego quoque in illo conquieſco, & quale quale opuſculum concludo: *Moriar, ne moriar.* Moriar, ô Deus, mihi, paſſionibus meis, mundo huic temporaliter; vt ne moriar tibi in æternum, morte tam dirâ & horrendâ. Serm. 13. de verb. Apoſt. Enarrat in Pſal 17.

Et quamuis ſymbolum hoc ore numquam fortaſſis vſurpauerit, opere tamen expreſſit D. Hilarion, qui vt ſemper viueret, ſepulchrum elegit. nam breuem adeò cellulam extruxit latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc eſt, ſtaturâ ſuâ humiliore; porro longitudine paulò ampliore, quàm eius corpuſculum patiebatur, vt capulum potiùs quàm domum crederes. Et nónne huic tuguriolo congruè quis præfixiſſet ex nomine inquilini hanc epigraphen: *Moriar, ne moriar?* Hieron. vitæ Hilar. c. 5.

§. II. *Epilogus operis.*

QVoniam omnes homines ſumus, id eſt, non modò labi faciles, ſed certi; (incumbit enim iam inde ab origine rerum filijs Adæ Athe, ſiue pronitas quædam ad peccandum alliciens) vix dari quempiam exiſtimo, qui non aliquid in ſe ſimile, quod in AVGVSTINO repertum fuit, ſit deprehenſurus. Nam communi illâ & hereditariâ prauita- Lib. 1 c. 1.

 te,

te, vel ſaltem aliquatenus laboramus: atq; in vix euitabiles, qui adoleſcentiæ occurrunt, ſcopulos impegimus, viximuſque aliquãdo non vſq; adeò ad ſeueram Catonis regulam. Quare vt idem omnium ortus eſt; ita pronitate quadam ad
Cap. 2. malum, omnes quoque nati ſumus. quotuſquiſque enim eſt, qui non diſtulerit aliquando ad meliora ſe accingere? pauci hîc Alexandri ſumus, vt nihil eorum quæ facere de-
Cap. 3. bueramus, non ſubinde plus iuſto diſtulerimus. Quantus vbique locorum eſſet planctus & eiulatio, ſi tot æſtus maris abriperet, quot praua ſæculi conſuetudo tranſmittit in
Cap. 4. formidabile pelagus huius vitæ? multis enim obeſt nimia parentum indulgentia, qui dum ſuos per ſeueritatem correctionis nolunt creſcere, deprimunt: adeoque ligna & fomenta vanitatis, libidinis, ſuperbiæ comparant, vt filij coquere incipiant placentam reginæ cæli, id eſt, Veneri
Cap. 5. alteriúe monſtro ſacrificent. Sanguineis porrò lacrymis deflendum eſt, nonnullos frequentatione praui ſodalitij in grauiora præcipitari flagitia, idque tam paruo tempore, vt nihil ampliùs poſſint diaboli multorum annorum prauis ſuggeſtionibus.

Itaque hæc quinque ſimul, quaſi facto agmine, AVGVSTINI adoleſcentiam impetiuerunt, atque, vt ipſe ait, deduxerunt ad ima inferni, id eſt, talem effecerunt, vt vix melius fuerit, quàm damnatum fuiſſe. Quiſquis igitur es,
Cap. 6. vide, an nihil infernale poſt flagitia patiaris. An non aliquid eiuſcemodi adhuc mortalis ſuſtineas, quod animarum damnatarum perferre eſt proprium. Eſt namque peccatum, non ſecùs atque infernus, malorum omnium quoddam veluti compendium. Conſidera, an non vtrobique abominanda & horrenda omnia: nullus ordo in inferno, ſed ſempiternus horror inhabitat: nullus quoque in peccato, quod cælum ipſum turbauit, rebellionem membrorum aduerſus animum, animi contra Deum adduxit, vt etiam-

num

num horreat peccator ad moti folij vmbram. Horribiles apud infernum tenebræ: in tenebris quoque peccator ambulat, & neſcit quò vadat. Deniquе nulla quies, nulla ſecuritas, nulla in inferno redemptio: peccator ſimiliter quietem nullam, nullam ſecuritatem vmquam experitur: & quamquam fortaſſis tutum potentia vel diuitiæ reddiderint aliquem; ſecurum neminem: ad extremum nec redimi peccatum vllâ virtute naturali poteſt, ſed id ſolius Dei omnipotentiæ eſt, quæ tam facilè damnatum inferno, quàm peccatorem prauâ voluntate expediat. Sunt & inter viuentes, qui & Ixionis rotam, & Siſyphi ſaxum, & Titij vulturem, & Tantali ſitim, & Belidum vrnas ſuſtineant: quaſi non ſufficiat vnus infra terram infernus. Cap. 7.

Vt verò alius omnia hæc mala non ſentiat, AVGVSTINVS ſaltem experientiâ didicit, peccata, præcipuè ſuperbiam, libidinem, gulam hominibus eripere conſilium & prouidentiam, vt more pecudum ferantur, quò ſenſus inclinant, non quò ratio mouet. Et quem auaritiæ, amoribus, ſtudio ambiendi deditum mordaces curæ non lancinant, non exedunt? Id ſanè manifeſtius eſt, quàm vt vllâ probatione indigeat: quia ſicut nox lucẽ abigit, ita peccatum lumen & candorẽ gratiæ cæleſtis eliminat. Adulterio perpetrato clamabat ille cæcutiens: *Et lumen oculorũ meorum non eſt mecum.* Hinc miſero lapſus præſtruitur ad alia atque alia peccata: eſt enim via hæc non tantùm tenebris obſita, ſed & lubricitate periculoſa, vt minoris felicitatis non ſit rurſum non peccare, quàm ſuper glaciem firmo pede incedere. Rident interea in interitu noſtro dæmones, & humanæ inſipientiæ miſerias explodunt; quaſi nihil bonis Angelis velint concedere, quibus eſt *gaudium ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Quæ quidem tam grauia ſunt, vt quamuis nec ſpes æternæ retributionis alliceret, nec metus damnationis vrgeret; tamen deberent ſufficere

Pſal. 37.

Lucæ 15.

ficere ad nos à peccando deterrendos. Neque enim si rectè calculum ponas, vel millesima ex parte tantum peccatis boni & delectationis inest, quantum ægrimoniæ & malorum: vt emotâ sit mente, qui tam breui & vili gaudio tantam malorum, vt ita dicam, charybdim sibi accersit.

Sed dum altero libro perspicimus, quid AVGVSTINO sic constituto acciderit, qualiter, & quibus medijs illum à via, qui Christus est, errantem, ad æternitatis brauîum, diuina benignitas reuocauerit; non surdâ aure omnia prætereamus, quasi non & nobis aliquid eiuscemodi dicatur, aut saltem pro tali beneficio debeamus optimum Patrem aliquando deprecari, vt peccatis expediamur. Ille, quia sui
Lib 2 cap.1. iuris & arbitrij erat, peccauit: quia de numero prædestinatorum, in peccato non domum, sed hospitium fixit; nec habitauit, sed peregrinatus est. Commodùm tamen con-
Cap. 2. uersioni aliquando futuræ lacrymæ Monicæ matris accesserunt: quia sæpè alienæ, & præcipuè maternæ pietati conceditur, quod peruersitas nostra non exorat. Verè felices, qui si non talem parentem, saltem homines habent pios & religiosos, qui Deum assiduè studeant pro se placare: qui habent Iobum aliquem vel Danielem, qui negotium eorum apud Deum agat, vtpote quorum sacrificia & orationes semper suscipiantur. Quis verò hîc suauissimum diuinæ prouidentiæ ordinem magnoperè non admiretur, quæ & AVGVSTINO plenissimam arbitrij libertatem indulsit, & suæ prædestinationis effectum sortiri fecit? Nec interim alios Deus trahit, quàm volentes, & vltrò sequentes. Quod vt, (saltem in quibusdam) secundùm suæ volun-
Cap. 3. tatis beneplacitum consequatur, omnium omnino mortalium cordibus inscripsit legem naturæ, quam nulla delet iniquitas, quâ etiam flagitiosissimus quisque monetur turpitudinis peccati, & deuiationis à recto. Neque in alijs tabulis,

lis, nisi cordis carnalibus, Cain, Lamech, alijque legerunt homicidium punitione dignum; scelera inulta manere non posse. Quod, fateor, magnum bonum est, sed in illius quod sequitur comparatione, minus: quòd præterea homo ab omnipotenti Deo creatus sit infiniti boni capax, nec quidpiam creatum, illius desiderij capacitatem explere possit: vnde & fit vt nec voluptates, nec diuitiæ, nec honores quemquam satiare, aut delectatione explere valeant: vt hac ratione moneantur, omnia illa deserere, quæ iuxta Psalten narrant delectationes, sed non vt Deus. Nam etiamsi sedulò quærant, nullam non tantùm in rebus hisce terrenis requiem, vel mentis stabilitatẽ inueniunt; quin potiùs maximam vbique amaritudinem, & conscientiæ intolerabilem carnificinam. Sic nempe prudentissimus huius vniuersi architectus omnia temperauit, vt dulcibus amara admisceret & superaret abundè mensura malorum: vtique futura mortalibus incitamento, ad deserenda noxia. Rursus si nec hæc asperitas, inquiesque animi sufficiant abducendis illis à peccato, ingeritur crebrò etiam nolentibus mortis, futurique iudicij memoria, in quo exactissima omnium factorum, cogitationum, verborumque reddenda est ratio : vt qui suauiter vellicanti Deo parere renuunt, horribilium recordatione compellantur. Nec verò est qui mortem, qui iudicium excludere per obliuionem ab animo queat: cùm tot & tam varia sint, quæ assiduò nos finis nostri admoneant: vt quotidiana vicinorum domesticorumque funera sileam, tot strages, tot vrbium deuastationes: quid enim aliud omnia clamant, quotidianus solis occasus, perpetuus fluuiorum decursus, temporis ruina, ædificiorum vetustas, attriti pontes, nisi se perire, & nos pariter aliquando desituros? Hanc verò cogitationem vbi peccator incœperit paulò altiùs in animum admittere, statim alicubi exurgit aliquis Ambrosius, qui etiam aliud agens, in salutem illius peroret,

Cap. 4.
Psal. 118.
Cap. 5.
Cap. 6.
Cap. 7.

& sæpè Confessarius, pater, magister aliquis, consilij diuini nescius, illa depromit, monetque quæ validè occasionem futuræ conuersionis ingerant: nisi fortè talem animo duritiem induerit, vt ne asinâ quidem loquente moueri queat, & cuncta à casu, nihil à Deo arbitretur immitti. Mox etiam fit vt opportunè vel in lectionem Vitæ Sanctorum, id quod
Cap. 8. D. Ignatio Loyolæ contigit, vel in colloquium piorum hominum incidat; vt ex ijs, (veluti in speculo faciem contemplamur) suam turpitudinem cognoscat, atque in imitationem eorum accendatur. Sed prò miseriam conditionis humanæ! Vix eiuscemodi cogitatio AVGVSTINVM aliquantisper detinuerat, & ecce praua peccandi consuetudo hor-
Cap. 9. ribili boatu reclamabat. Eheu! quot seriò ad emendationem se disponunt, qui hac ferreæ consuetudinis catenâ irretiti, denuò relabuntur. Alia atque alia AVGVSTINO quoque impedimenta obiecit, donec tandem impossibilitatem
Cap. 10. continentiæ, necessitatem libidinandi firmis, vt videbatur, rationibus adstrueret: quamuis illa omnia diuinâ subnixus gratiâ tandem superarit: neque enim graue est illa
Cap. 11. deserere, sed apparet dumtaxat, idque timidis & ignauis.

Quid igitur, ô Christiane, hæres? quid angeris? quid differs plenè conuerti ad Dominum? Obiiciant praua consuetudo, mundus, caro, dæmon quæ velint, paupertatis, infamiæ, irrisionis metum, difficultatem deserendi vetus sodalitium: animum superfluâ anxietate perturbent, scrupulis obruant: omnia tandem auxilio diuino fretus perrumpes, si orationi lacrymisque constanter & feruidè te dederis, si turbas populi solitudine commutaueris, libros sacros rectâ intentione legeris, Sanctorum opem, precesque, ac inprimis Beatissimæ Virginis, imploraueris. Non est Deo impossibilis etiam Lazari quatriduani resuscitatio; tu tantùm ne relucteris

ris, ſed velis. Velis, inquam, firmâ ſtabilique & efficace voluntate: amanti nihil difficile, volenti nihil impoſſibile.

Denique etiam memineris AVGVSTINO lætitiæ illum indicem hymnum, non niſi poſt egregiè nauatam operam decantatum fuiſſe: poſt pugnam nempe palma, poſt laborem quies, poſt tempeſtatem celeuſma ſequitur. Sic te ad pœnitentiæ Sacramentum diſpone, quaſi illud tibi futurum ſit inane gratiâ, aut ſine illo foret moriendum, ita ſtude perfectam habere, & ſæpiùs elicere contritionem: abſque dubio erit, vt cælitus conſolationem accipias, & Dei amicitiâ perfruaris. Lib. 3. c. 1.

Poſtremò vbi beneficio abſolutionis donatus fueris, in aſſidua gratiarum actione perſeuera, ne ingratitudo benignitatis diuinæ fontem obſtruat, breuique pereat, quod tanti temporis labore partum eſt. Et quamuis non omnia illa, quæ AVGVSTINVS, experiaris; quotidie tamen magis magiſque ceterorum omnium, præ vnius Dei amore, inanitatem & fallaciam deprehendes: nauſeabis ad priſtina peccatorum dedecora, & miraberis ac dolebis, te in ijs aliquando, veluti in balſamo & cinnamomo, fuiſſe volutatum. Et quanto vlteriùs in via Dei perrexeris, tanto magis veteres errores accuſabis; indignaberis indignatione ſanctâ non eſſe plures qui hoc bonum intelligant, & quàm dulce ſit reliquiſſe vitia. Senties Deum eſſe omnia, atque cum illo, & in illo ſolidum gaudebis gaudium, extra quem amara ſunt omnia; hunc amplectens, interno affectu dices: *Deus meus & omnia,* extra te nihil volo, nihil concupiſco. Cap. 2. Cap. 3.

Te verò, ô mundi Mens æterna, cuius ſpiritus fertur ſuper abyſſum humanæ imbecillitatis, vt illam foueat, &

viuificet, obsecro & obtestor, vt quisquis seipsum in hoc Speculo perspexerit, AVGVSTINVM *tuum, fidelem tuum, imitetur; motionibus tuis monitionibúsque auscultet, donec intret in viam rectam: dúmque exseris dexteram tuam de alto, vt labyrinthi huius mundani errores signes, ille candorem fili cælestis cognoscat, & sequatur. Fiat, â summe Deus, fiat!*

INDEX
CONCIONVM.

IN FESTO S. P. AVGVSTINI.

P*Ro hoc festo, beneuole Lector, tot habes Conciones, quot extant tribus hisce Libris capita, quinimò paragraphi. At si quas selectiores velis, vide lib.2.cap.7. 8. & 11. similiter lib.3.cap. 1. 2. & 3.*

INTRA OCTAVAM EIVSDEM.

Diuisimus inter concionandum præsens Opus in quatuor Octauas. Liber primus copiosam materiam primæ Octauæ subministrat; liber secundus duabus alijs; tertius quartæ. Si verò vnam aliquam ex toto Opere conflare desideras; pro duabus prioribus Concionibus vide libri primi capita 1.2.3.4. & 5. non quidem integra, sed primos dumtaxat paragraphos. quin sola Emblemata largam nouæ alicuius inuentionis materiam subministrabunt: pro quinque alijs Concionibus l.2.c.2.7.8.9.10. & 11. pro Octaua lib.3. cap.1.2.& 3. Atque hoc pacto vniuersam Conuersionis D.P. AVGVSTINI *historiam perstringes.*

IN FESTO S. M. MONICÆ.

Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere. *Luc.7. De lacrymis S. M. Monicæ copiosè agitur lib.2.c.2.§.1.*

DOMINICA I. ADVENTVS.

Erunt signa in sole, luna, & stellis. *Luc. 2. Quantum momenti habeat mortis & iudicij memoria ad conuersionem peccatoris, vide l.2.c.6.§.1. & 2. Hæc enim videtur S. M. Ecclesiæ intentio, quæ hodiernâ Dominicâ ideo hoc de iudicio Euangelium propronit, vt ad pœnitentiam (quæ optima ad celebrandum Christi natalem est dispositio) compungamur.*

DOMINICA II. ADVENTVS.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? *Matth. 11. Etiam in carcere conſtitutus Ioannes munus ſuum inſtituendi diſcipulos non omittit; nihil enim iuſtum conturbat quidquid acciderit ei, quia ſcilicet in maximis tribulationibus virtus plurimum conſolationis habet. l. 2. c. 5. §. 2. poſt medium.*

DOMINICA III. ADVENTVS.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem. *Ioan. 1. Quamuis id temporis Iudæorum Synagoga eſſet vitijs nec paucis nec paruis inquinata; tamen virtus naturâ ſuâ adeò eſt præſtans, vt etiam improbis Phariſæis fuerit venerationi: quare & magnificam hanc legationem ad Ioannem adornant. l. 2. c. 3. §. 1.*

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. *Luc. 3. Qualiter pœnitendum, & vincenda peccandi conſuetudo, l. 2. c. 9. §. 1. circa medium.*

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Dixit eis Ieſus: Implete hydrias aquâ. *Ioan. 2. Etiamſi B. Virgo necdum oportuno tempore videretur poſtulare à filio miraculum; tamen, quò Chriſtus oſtenderet exemplo, quantum parentibus deferendum ſit, matris rogatu illicò aquam in vinum conuertit. lib. 1. c. 4. §. 2.*

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. *Matth. 8. Non tenebatur Chriſtus lege Moſaica, at ne alicui vel de Sacerdotibus, vel plebe,*

DO-

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum illo loquentes. *Matth. 17. loquentes de excessu siue morte. Alliciebat Christus hac gloriæ suæ ostensione infirmos discipulorum animos ad fortiter martyrium ipsius causâ subeundum. Mira diuinæ Sapientiæ astutia, l. 2. c. 7. §. 1. circa medium.*

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. *Luc. 11. Non sunt dæmonia naturâ suâ muta, sed quia illos quos obsident, mutos efficiunt. Quomodo peccatores dæmonibus sint ludibrio, lib. 1. cap. 7. §. 5.*

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Vnde ememus panes vt manducent hi? *Ioan. 6. Non incongruè responderi posset: Ex teipso, optime Iesu; quia in te panem & quocumque panis est parabilis, eminenter contines, adeò vt nihil illi deesse queat, cui tu ades. lib. 3. c. 3 § 1.*

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? *Ioan. 8. Quasi dicat Saluator noster: Ecquis vestrûm intuens & contemplans vitas, in quibus veluti in speculo vitia vestra apparent, veterum Prophetarum, quos sanctos iudicatis, poterit in vita mea quidpiam reprehendere, ad quod sese non debeat componere? l. 2. c. 8. § 1.*

DOMINICA PALMARVM.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. *Matth. 21. Hodie Christo aliena vestimenta substernuntur à populo, post quinque non ampliùs dies proprijs per summam ignominiam exuetur. Quanta honoris fauorisq; humani sit inconstantia, lib. 2. c. 4. §. 1. post medium.*

DOMINICA PASCHÆ.

Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? *Marc. 16. Quoties quis aliquod bonum opus aggreditur, plurima intercurrere solent impedimenta; at peccare volentibus omnia fauent. l. 2. c. 9. §. 2.*

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. *Luc. 14. Quidquid nocumenti gula primi parentis nobis adtulit, cœnâ Eucharisticâ restauratur. lib. 1. c. 1. §. 3.*

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Hic peccatores recipit, & manducat cum eis. *Luc. 15. Quomodo nos ad fiduciam in Deum contemplatione diuinæ misericordiæ excitare debeamus, l. 2. c. 8. §. 2.*

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. *Luc. 5. Quæ nobis sæpè videntur fortuita, qualis alicui apparere posset hæc retium laxatio, destinato Dei consilio fiunt. lib. 2. c. 11. §. 2.*

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Matth. 5. Isti corpus cutemq́ apprimè curabant; at vera iustitia non acquiritur nisi mortificatione membrorum quæ sunt super terram. lib. 3. c. 4. §. 1.*

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Et præcepit turbæ discumbere super terram. *Marc. 8. Si Christus illos qui breui tempore eum secuti fuerant, pascit, & ita beneficè remunerat; quis spe cœnæ, siue beatitudinis æternæ, non animetur ad grauia pro Christo perferenda? l. 3. c. 3. §. 2.*

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis. *Matt. 7. Quantoperè à societate & commercio hæreticorum cauendum sit, l.1.c.5.§ 3.*

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset. *Luc. 16. Laude digni sunt qui diuitijs non innituntur, nec illis cor apponunt, quia reuerà fluxæ sunt & fallaces. l.2.c.4.§.1.post medium.*

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Cùm appropinquaret Iesus Ierusalem, videns ciuitatem, fleuit super eam. *Luc. 19. Quanti momenti sint piorum hominum lacrymæ apud Deum, l 2.c.2.§.1.circa medium.*

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc.18. Nihil contra corruptæ naturæ prauitatem præstantius, quàm propriæ imbecillitatis confessio. l.1.c. 1.§.3. circa medium.*

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Et solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. *Marc. 7. Quisquis per Sacramentalem peccatorum suorum confessionem vinculum linguæ abrumpit, rectè loquitur, id est in laudes Dei illicò prorumpit. l. 3. c. 1. §. 1.*

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam dispoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. *Luc. 10. Per hunc hominem quemdam, humanum genus intellige, quod per Adamum veluti insidiatorem & direptorem æternæ felicitatis, exutum est donis gratiæ; atque præterea in tribus animæ potentijs grauia vulnera accepit. Huic medetur Christus, verus Samaritanus. l.1. cap.1.§.1.*

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? *Luc. 17. Nouem illi propter ingratitudinem, fide exciderunt; quia præstantissimum medium ad acquirendam perseuerantiam in bono, est gratiarum actio. lib. 3. c. 1. §. 2.*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Non potestis Deo seruire, & Mammonæ. *Matth. 6. Qui Mammonæ seruit, curis euisceratur, ideoq; Deo seruire non potest. l. 1. c. 7. §. 2.*

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Et accessit, & tetigit loculum. *Luc. 7. Christus ad visum & contactum cadaueris nihil perterritus, accessit, tetigit, mortuum resuscitauit. quid enim sibi vita timeret à morte? Non secùs nobis obuiandum est diabolo & tentationibus, veniant licet cùm magno apparatu & multitudine: qui enim in nomine Domini pugnat, vincit. l. 1. c. 1. §. 2. & l. 2. c. 6. §. 2.*

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. *Luc. 14. Hydropicus hic ab alijs quidem ferebatur, sed optimâ erga Christum erat voluntate. neque enim sufficit vt alij pro nobis orent, vel quidpiam boni faciant, sed debemus ipsi saluti nostræ cooperari. l. 2. c. 2. §. 2.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum. *Matth. 22. Præceptum dilectionis est facile. l. 2. c. 1. §. 2. post medium.*

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Matth. 9. Difficillimè lectus, id est, peccandi consuetudo, & non*

nisi ad speciale Christi mandatum tollitur , vt eatur in domum beatæ æternitatis. l.2.c.9.§.1.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? *Matth.22. Sordidus eris & inuenustus, qualitercumq; vestiaris, nisi etiam charitate Christiana amiciaris. l.1. c.3.§.3.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Heri horâ septimâ reliquit eum febris. *Ioan. 4. Febris corporis noxia , febris animæ salutaris , qualis* AVGVSTINVM *comprehendit, vt erga omnia terrena deinceps nausearet.* Felix, quem tenet illa febris. *l.3.c.2.§.1.*

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios , & tenens suffocabat eum. *Matth. 18. Euidens signum est seruum hunc fuisse valdè nequam , eò quòd testimonium propriæ conscientiæ , quæ illi dictabat se similibus verbis consecutum fuisse condonationem maximi debiti, eludere potuit : atque adeò precibus conserui sui non est commotus, vt etiam tenens suffocaret eum. l.2.c.3.*§ 1.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Ostendite mihi numisma census. *Matth. 22. Pharisæi similes fuerunt peccato luxuriæ, quod non aperto marte , sed quasi per diuerticulum vincitur : ita & illi dum fictè interrogant vt captent , alia interrogatione capiuntur. l. 2.c. 20.*§.2.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Domine , filia mea modò defuncta est. *Matth. 9. Non est illi multùm timendùm à puellis, qui illas mortuas seriò cogitauerit. lib.2. cap. 6.§.2. circa finem.*

DOMINICA VLTIMA POST PENTECOSTEN.

Vide Dominica 1. *Aduentus.*

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM
QVÆ HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

curæ,

 non

per

corri-

I.

quâ

F I N I S.

ERRATA.

*Fol.*5.*linea penult.*soleat,*lege*soleant. *Fol.*92.*l.*17.nequis,*lege*neque. *Fol.*96. *l.*15. partem,*lege* portam. *Fol.*119.*l.*30.seruare,*lege*serenare. *Fol.*143.*l.*25.procurator,*l.*procuratorem. *Fol.*164.*l.*26.*dele* Præclarè,*vsque* Hac de causa. *Fol.*166. *l.*7. bona,*lege*bono. *Fol.*177.*l.*7.*à fine* centesimum diem, *lege* annum quinquagesimum. *Fol.*191.*l.*6. *dele* à. *Fol.*269.*l.*6. transfacto, *lege* transacto. *Fol.*289.*lin.*14. Pharone,*lege* Pharaone. *Fol.*334.*lin.*16.perseuerantia, *lege* perseuerantiam. *Fol.*356.*lin.*6.*à fin.* trux, *lege* crus. *Fol.*357.*lin.*9. exhilari, *lege* exhilarari.

APPRO-

FACVLTAS R. ET EXIMII P.M. PROVINCIALIS.

TEnore præſentium & muneris noſtri auctoritate concedimus P. F. Io. Mantelio S.Th.L. facultatem emittendi in lucem librum à Theologis noſtris lectum & approbatum, cui titulus, *Speculum peccatorum aſpirantium ad ſolidam vitæ emendationem.* Datum Mechliniæ 7.Maij 1637.

F. Carolus Veron Prouincialis.

APPROBATIO R.P. VISITATORIS.

OPus hoc R.P. Ioannis Mantelij, Ord. Eremit. S. AVGVSTINI, Sac.Thl. Licentiati, cùm animum oculoſque argumenti varietate oblectet, totidemque paginis Lectorem moueat, non equidem eſt indignum vt lucem videat, & Auctori ſuo æuum proroget. Louanij 27. Februarij, anno 1637.

*F.Io.Riuius S.Th.Licent. Ord.Eremit.*S.AVGVSTINI, *S.Litterarum Louanij Profeſſor, & prouinciæ Belgicæ Viſitator.*

APPROBATIO CENSORIS.

IN hoc Speculo pia Auctoris eruditio & erudita pietas relucet; & quia id non tantùm illuſtrandis peccatoribus aſpirantibus ad ſolidam vitæ emendationem ſeruiet, ſed & pijs hominibus, atque in primis Concionatoribus, vſui eſſe poterit; dignum iudico, quod in publicum prodeat, & multorum verſetur manibus. Datum Antuerpiæ 18. Maij 1637.

G. Eſtrix Canonicus & Plebanus Antuerp. & librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, nequis *Speculum peccatoris conuertentis ſe ad Deum, Emblematis & diſcurſibus moralibus adumbratum, auctore* R. P. F. IOANNE MANTELIO *S.Theologiæ Licent. Ordinis Eremitarum* S. AVGVSTINI, præter Henrici Aertſſens Typographi Antuerpienſis voluntatem intra nouennium in Belgio imprimat, aut alibi locorum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléve exponat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione exemplarium, & alia pœna pecuniaria multabitur, prout latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, anno 1636. die 21. Iulij.

Signat

Steenhuyſe.